IO. AMOS COMENII,
ECCL. FF. BOH. EPISCOPI, 4. 3

HISTORIA FRATRVM BOHEMORVM,

EORVM
ORDO ET DISCIPLINA ECCLESIASTICA,
AD ECCLESIAE RECTE CONSTITVENDAE EXEMPLAR,
CVM
ECCLESIAE BOHEM. AD ANGLICANAM
PARAENESI.
Accedit
Eiusdem auctoris PANEGERSIA, ſiue
EXCITATORIVM VNIVERSALE,
Ad cuiusuis ordinis & loci in Europa viros,
quo
Salubria ſuppeditantur conſilia,
Quomodo communis rerum humanarum emendatio ſuſcipi atq; fieri poſſit,
EX OPERE EIUS, VT VOCAT, PANSOPHICO, NONDVM EDITO DESVMTVM.
Praemiſſa eſt praefatio
IO. FRANCISCI BVDDEI. P.P.
de inſtauranda diſciplina eccleſiaſtica.
Cum priuilegio.

Digitized by Google

HALAE, Typis & impenſis Orphanotrophii. 1702.

Digitized by Google

A & Ω.

QVi ſalubriora quaeque variarum eccleſiarum inſtituta, ad pietatis vitaeque ſanctioris ſtudia excitanda, conſeruanda, & promouenda comparata, deſcribunt, aut ab aliis deſcripta in lucem proferuut, faciunt vtique mea opinione quod operae ſit pretium, & ex quo magna ad plurimos redundare vtilitas poſſit. Etenim cum eorum, quorum Deus ad eccleſias aut plantandas, aut reſtaurandas vtitur opera, vnus alterum interdum ſapientia vincat, cum vnus equidem ſit ſpiritus, ſed varia tamen eiusdem ſpiritus, ad gradus etiam quod attinet, dona: fieri aliter non poteſt, quam vt in vnius Eccleſiae diſciplina conſtitutionibusque laudabilius quid, praeſtabiliusque reperiatur, quam in reliquarum. Sed vſus tamen pie ſapienterque conſtitutorum cum referri ad omnes, aut plures ſaltem, debeat, a ſcriptoribus cordatis haec in exemplum aliis merito proponuntur, quod imitentur, & ad quod ſe componant, quibus ſerio decretum eſt aeternae hominum inuigilare ſaluti, nihilque eorum, quae ad iacentes & proſtratas res chriſtianas erigendas iterum pertinent, praetermittere. Noſtrarum autem eccleſiarum qui hanc faciem eſſe credunt, vt de iis corrigendis vel emendandis amplius cogitandum non ſit, vel qui vbique eam diſciplinae & inſtitutorum eccleſiaſticorum rationem eſſe ſibi perſuadent, iis vt nihil addi queat, falluntur turpiter, ſeque aut ignaros rerum omnium eſſe, aut ſumma, quae, plerisq; mortalium incumbit, miſeria, parum tangi demonſtrant. Nihil hic primis eccleſiae noſtrae reſtauratoribus, B. Luthero eiusque ſociis, piis

Digitized by Google

atque cordatis viris, imputandum eſt. Illi enim fecerunt, quod in viribus eorum poſitum erat, & quantum illorum temporum ratio permittebat, cetera autem perficienda poſteris & velut conſummanda reliquerunt. Res tamen longe aliter cecidit, ac iſti quidem ſunt opinati. Neſcio enim quae ignauia, quis tepor pleroſque ſucceſſorum Lutheri occupauit, vt formulas ab eo praeſcriptas ſi frequentarent, ſuo ſe ſatis officio feciſſe exiſtimantes, non tantum de prouehendo indies ad meliorem conditionem eccleſiarum ſtatu non cogitarent, ſed ne ea quidem, quae Lutheri aetate inſtituta optimo conſilio erant, ſeruarent, aut ita vt decebat, vſurparent. In controuerſias omnes & diſputationes certatim ſe dederunt, quas, ſi pie & moderate inſtituantur, neutiquam damnamus, de pietatis ſanctitatisque ſtudio pauci ſerio fuerunt ſolliciti. Non eſt huius loci, haec eccleſiae noſtrae explicare mala: id ſaltem quod diximus, emendari & perfici in multis eccleſiaſtica inſtituta & diſciplinam poſſe, cum dubium quibusdam aut forte temerarium videri poſſit, vno alteroue exemplo demonſtrabimus.

Comparanti autem mihi & contendenti apoſtolicas eccleſias cum noſtris, magnum nimis deprehendere mihi videor diſcrimen in iis etiam capitibus, in quibus hae quam proxime ad illas accedere & poterant, & debebant. Namque primo maior in apoſtolicis eccleſiis illorum, qui donis a Deo ſibi conceſſis aliis inſeruierunt, fuit diuerſitas, maiusque ſtudium dona iſta conſeruandi & ad vſum ſingulorum transferendi: cum hodie contra, qui miniſterio eccleſiae admouentur, omnibus hiſce vſibus ex aequo pares eſſe debeant, reliqui autem vt res eccleſiae promoueant, nullo modo ad ſe ſpectare credant. *Alios*, inquit apoſtolus *1. Cor. XII. 27. ſtatuit Deus in eccleſia primum apoſtolos, deinde prophetas, tertio magiſtros* (διδασκάλους) *deinde potentias ſeu miracula* (δυνάμεις) *deinde ſanationum dotes, adminicula* (ἀντιλήψεις) *gubernationes, genera linguarum.* Quod iam vberius in antecedentibus ediſſeruerat, docens *diſcrimina eſſe donorum, cum vnus tamen ſit ſpiritus.* Horum omnium autem donorum, quis vſus eſſe debeat, vt cuncta ordine & decenter fiant, in hoc pariter ac ſequenti capite diſerte explicat, & ſummatim cuncta velut complectitur *verſ. 26. cap. XIV. Quid ergo eſt, fratres? quando coitis, carnem habet,*

Digitized by Google

habet aliquis veſtrum, doctrinam habet, linguam habet, patefactionem habet, interpretationem habet, omnia ad vtilitatem fiant. add. Rom. XII. 4. Epheſ. IV. 11. Neque eſt quod quis exiſtimet, horum donorum hanc rationem eſſe, vt hodie amplius locum non inueniant. Eſto enim, non expectanda hodie eſſe, quae olim per miraculum credentibus conferebantur, pleraque tamen ita comparata ſunt, vt ſine miraculo contingere queant hominibus, ea, quibus comparari poſſunt non negligentibus, ſimulque ob eccleſiae noſtrae ſtatum aeque neceſſaria ſint, ac olim forte fuerunt. Per prophetas non eos modo quibus futura a Deo reuelantur, ſed generatim, qui ſolida rerum diuinarum & ad ſalutem neceſſariarum notitia inſtructi erant, deſignari, conſtat; praeſertim autem eos, qui ſcripturae verum ſenſum ediſſerere accurate poterant: quae facultas cum diuinarum litterarum pia & diligenti lectione, accedente meditatione aliisque exercitationibus acquiri poſſit, eam hodienum dari, nemo inficiatus fuerit. A prophetis autem iſtis non hic modo, ſed alibi etiam diſtinguit apoſtolus τὺς διδασκάλυς, quos *Epheſ. IV.* coniungit cum paſtoribus, ποιμένας καὶ διδασκάλυς. Quodnam inter hos diſcrimen fuerit, nunc inquirere prolixius inſtituti noſtri ratio non patitur. Forte non errauerit, qui dixerit, quosdam ſingulari dono ſcripturam ſacram interpretandi, & in ea vbique Chriſtum demonſtrandi, alios dono dogmata creditu neceſſaria perſpicue & luculenter proponendi, alios denique dono ad cuiusque ſtatum & indolem omnia rite accommodandi, cauſſasque progreſſum ſanctimoniae impedientes inueſtigandi, fuiſſe praeditos. Nec dubium, quin aliud adhuc ſit donum παρακλήσεως, quod memorat apoſtolus *Rom. XII. 8.* Sicuti & in epiſtola ad *Epheſios IV. 11.* Euangeliſtarum autem ceu ſingularibus donis ad ſuum munus inſtructorum, tum in epiſtola ad Epheſios, tum, ad Corinthios citatis locis. De apoſtolis autem cum quis exiſtimare haud ſine ratione poſſit, cum illorum officio ceſſare etiam dona, pariter ac de potentia miracula edendi, vti & linguarum a Deo ſine humana opera atque induſtria conceſſa notitia, nunc nihil dicam: caeterorum donorum omnium eam eſſe rationem puto vt cur locus iis amplius concedi nequeat, non videam, & doctiſſimos etiam ſcripturae interpretes mecum conſentientes habeo

)(2 beo

beo. Namque ad euangeliſtas quod attinet, multis iisque egregiis donis, quibus apoſtolis quodammodo comparari poterant, eos fuiſſe inſignes, recte mihi colligere videor ex *2. Tim. IV. 5.* Sed reſtant adhuc in iſta recenſione, quae *1. Cor. XIII.* inſtituitur, ἀντιλήψεις & κυβερνήσεις; & ἀντιλήψεως quidem dono eos gauiſos fuiſſe arbitror, qui ſingulari prudentia aliorum neceſſitatibus, qualescunque demum erant, ſuccurrendi inſtructi fuerunt, vt nemo ad eos accederet, qui non ſalubre ab iis referret conſilium, ſiue is tentationibus vexaretur, ſiue alio quocunque vrgeretur malo, praeſertim tali, quod vitae morumque ſanctimoniae creare periculum poſſet: atque pertinet etiam forte ad hos illud apoſtoli, ὁ ἐλεῶν, ἐν ἱλαρότητι *Rom. XII.* Alii rurſus inſigni pollebant ſapientia, vt quid e re totius Eccleſiae eſſet, intelligerent, & ea ſuaderent, quae ad eius ſalutem & commoda neceſſaria arbitrabantur, eorumque erat κυβέρνησις, & ſic in reliquis res etiam ſeſe habebat.

Iam cum haud inuitus illis ſubſcribam, qui hiſce vocibus, non officiorum, ſed donorum diuerſitatem innui contendunt, ecce! qualem veteris eccleſiae fuiſſe faciem, clariſſimis inductus documentis, credam. Cum in omnibus & ſingulis flagrantiſſimus eſſet amor, ſtudiumque mutua in ſpiritualibus commoda promouendi inde reſultans, quisque diligenter ſe explorabat, quibus a Deo maxime inſtructus eſſet dotibus, quas in communem omnium conferre vtilitatem poſſet. Has cum deprehendiſſet, vbique tum in conuentibus, tum ſeorſim eas exercendi data erat poteſtas, nec quisque prohibebatur proferre quae poterat, ad ſanctimoniae & pietatis incrementum, modo ordine cuncta fierent atque decenter. Ordo autem & confuſionis euitatio cum vix obtineri poſſet, niſi quibusdam ſpeciatim regendi cuncta munus commiſſum eſſet, *ſeniores* ſeu *presbyteri*, ob ætatem indeque prouenientem auctoritatem, ad hoc quam aptisſimi viſi ſunt, quibus cum cura quoq; ad ſtatum totius Eccleſiæ, moresque ſingulorum diligenter attendendi, impoſita eſſet, *Epiſcopi* dicti ſunt. Cum etiam in operibus caritatis exercendis itidem confuſio omnis euitari debeat, in magna autem pauperum & eorum, qui illis ſubuenire certatim ſtudebant, multitudine, hoc vix commode fieri posſit, niſi & ea cura viris prudentia & pietate prae

ceteris

Digitized by Google

ceteris inſignibus committatur, primo in eccleſia Hieroſolymitana, et deinceps in aliis quoque, *Diaconi* ſunt conſtituti. Simpliciſſima itaque haec erat eccleſiae et longe pulcherrima facies, quae ſi ſemper ita manſiſſet, quid addi amplius mortalium potuiſſet felicitati!

Aſt enim vero quo maior circa externa cura haberi deinceps coepit, eo grauiora damna, decreſcente indies amoris feruore, & ſanctitatis ſtudio, eccleſia Chriſtiana paſſa eſt. Hinc qui vitae ſaltem morumque puritate praeſtare aliis debebant, dignitate, officio, et poteſtate antecellere voluerunt; hinc Epiſcoporum prae aliis praerogatiua; officiorumque eccleſiaſticorum multiplicatio, & oſtiariorum, pſalmiſtarum ſeu Lectorum, Exorciſtarum, Acoluthorum, ſub-Diaconorum, Diaconorum et Presbyterorum nomina, & alia creſcentis indies corruptionis documenta. Purioris iſtius ſimplicioriſq; eccleſiae ſtatum in Corinthiis ita exhibet CLEMENS Romanus: *Omnia ſine perſonarum acceptione a vobis fiebant, & in Dei legibus ambulabatis, praepoſitis veſtris ſubditi & ſeniores inter vos debito honore proſequentes: Iuuenibus vt moderata & honeſta ſectarentur, mandabatis: mulieribus, vt in inculpabili, ſancta & caſta conſcientia omnia peragerent, diligendo maritos, prout officium poſtulat, denunciabatis. Omnes humili animo eratis, nullatenus ſuperbientes, magis ſubiecti quam ſubiicientes, dantes potius quam accipientes. &c. in Epiſt: ad Corinth: p. m. 1, 3.* Et conſtat etiam ex aliis monumentis, non alia fuiſſe officia in veteri eccleſia ab Apoſtolis conſtituta, quam Presbyterorum ſeu Epiſcoporum & Diaconorum, quod eccleſiae conditio tum non plura requirebat, donornm ſpiritualium vſu vnicuique Chriſtianorum libere relicto. Sed ab iſta vt dixi ſimplicitate ſenſim diſceſſum eſt, ſuntque viri docti, qui iam ſecundo tertioue ſeculo, quosdam ordinum officiorumue deinceps introductorum memorari, obſeruant. Vid. *GVIL. BEVEREGIVS ad Cod. Can. eccleſ: primit: lib. 2. cap. 2. n. 4. it. BLONDELLVS in apologia pro Hieronymo de epiſcopis & presbyt: in praefat: p. 22.* Certe in concilio Laodiceno, quod ſeculo quarto celebratum eſſe omnes fatentur, licet nonnulli illud ad huius ſeculi annum vigeſimum primum, alii ad annum ſexageſimum quintum, alii ad alium referant, praeter presbyteros & diaconos, mentio fit lectorum, pſalmiſtarum, exorciſtarum & oſtiariorum *Can. XXI. & XXIV.* De iis vero, quae poſt inſecuta ſunt,

Digitized by Google

temporibus dicere nihil attinet, cum vix vmbra veri Chriſtianiſmi, qua alia, qua etiam donorum vſum, & officiorum eccleſiaſticorum rationem, remanſerit.

Et haec etiam umbra veteris eccleſiae apud nos hodie conſpicitur: praeter vmbram enim vix aliquid deprehendere licebit, in quo cum veterum Chriſtianorum moribus & inſtitutis conueniamus. Paſtorum equidem et Diaconorum retinemus vtcunque nomina, ſed ſiue functionum diuerſitatem, ſiue inaequalitatem dignitatis inter eos, qui eccleſiae miniſterio consecrati ſunt, paſſim gliſcentem, conſideres, propiusne adhuc ad Romanam quam apoſtolicam eccleſiam accedamus, definire vix audeo. Sed haec tolerari facile poſſent, praeſertim cum ſine grauiori forte incommodo mutari nequeant: modo cuncta ad vſum et eccleſiae incrementum dirigerentur. Iam vero, in quo maxime a veteri eccleſia diſſentimus, hoc eſt, quod donorum ſpiritualium nullum adeo apud nos ſit excitamentum, diuerſitatisque illorum nulla habeatur ratio. Qui enim apud nos ſacris functionibus non ſunt deſtinati, quos vulgo *laicos* vocant, quod de officio alios commonefaciendi, cohortandi, conſolandi, erigendi, & ſic porro dicitur, id ad ſe pertinere nullo modo credunt, has illorum ſaltem partes eſſe, qui in miniſterio eccleſiae ſunt conſtituti. Nec vllibi fere etiam poteſtas dona haec exercendi illis conceditur, cum in publicis conuentibus illis tacendum ſit, priuati autem, qui ſpiritualium exercitationum cauſſa inſtituuntur, inuiſi ſint & ſuſpecti. Et ſane ea noſtrarum rerum eſt conditio, vt munus publice docendi recte tantum viris ad hoc conſtitutis demandetur, priuati autem conuentus, non niſi adhibita iuſta cautione & circumſpectione admitti queant: non ac ſi per ſe hoc noxium eſſet aut periculoſum, cum tamen iſta ratio rem chriſtianam conſeruandi & promouendi moribus eccleſiae apoſtolicae ſit conueniens, ſed quod tanta plerorunque chriſtianos ſe mentientium apud nos eſt proteruitas, improbitas, ignorantia, imprudentia, vt grauisſima huius libertatis metuenda ſint incommoda. Doceant ergo publice tantum, qui ad hoc ſunt conſtituti, fungantur officio publico perducendi alios ad vitam ſanctiorem, quibus hoc eſt demandatum, ſed vellem tamen donorum in his etiam magis, quam officiorum, haberi rationem ad exemplum

Digitized by Google

emplum eccleſiae apoſtolicae; ad quam ſi eo vsque accedere per noſtram corruptionem non poſſumus, vt in omnibus iis ſimiles euadamus, hactenus tamen ſaltem eam imitari par eſſet, vt non dona officiis (quod ineptum) ſed officia donis magis attemperarentur. Sic ſunt nonnulli magis apti, vt verba publice ad populum faciant, alii vt rudem plebem propoſitis quaeſtionibus reſponſionibusque erudiant, alii vt in mores cuiusque inquirant, & impedimenta progreſſuum in vitae ſanctimonia inueſtigent, & ſic porro. Dona haec diuerſa ſunt: cur non diuerſa conſtituuntur officia, vt, prout quisque hoc alioue dono a Deo inſtructus eſt, ad bonum rei chriſtianae promouendum adhibeatur? Nec eſt quod quis putet, haec commodius dici quam in vſum transferri. Habemus exemplum in eccleſiis Belgicis, in quibus laudabili prorſus inſtituto diſtinctum eſt concionatorum, presbyterorum & diaconorum munus. Vt enim concionatores in ſermonibus ad populum habendis occupantur, ita presbyteri contra ad vitam moresque ſingulorum attendunt, omnes & ſingulos adeunt, quo pacto vnusquisque domi erga vxorem, liberos, familiam vniuerſam ſe gerat, inquirunt, & tum porro de eo ſtatuunt, prout aut moribus chriſtianis praeditum, aut ab iis alienum eſſe deprehendunt. Et ſic in multis aliis ea poſſet iniri ratio, vt in hisce qui eccleſiae praeficiuntur, ad dona ſpiritualia magis quam fieri ſolet, attendatur.

Hic vero etiam mihi in mentem venit δοκιμασία illorum, quibus eccleſiae cura eſt demandanda. In ea quod ad eruditionem & rerum theologicarum peritiam reſpicitur, modo etiam ſemper ad hanc, ita vt decet reſpiciatur, laudo equidem. Vellem tamen, vt paulo accuratius quoque in mores vitaeque rationem inquireretur. Paulus apoſtolus, quae in vero epiſcopo conſiderari debeant expoſiturus, eum debere eſſe dicit *irreprehenſibilem, vnius vxoris virum, ſobrium, frugi, modeſtum, hoſpitalem;* tum demum addit: *διδακτικόν ad docendum aptum*, innuens, ad mores non minus quam doctrinam attendendum eſſe, eosq; velut redarguens, qui praecipue aut primario doctrinae rationem habent, de moribus, vitaeque ſanctimonia non adeo ſunt ſolliciti. *1. Tim. III. 1. ſeqq. add: Tit. I. 5. ſeqq.* Eadem quoq; reliquorum veteris eccleſiae doctorum erat ſententia, eum verum

pres-

Digitized by Google

presbyterum & diaconum eſſe exiſtimantium, qui non tam ordinatione, quam morum innocentia & puritate ſe talem probaret. *Hic eſt reuera presbyter eccleſiae*, inquit CLEMENS ALEXANDRINVS, *& verus diaconus, id eſt, miniſter Dei voluntatis, ſi faciat & doceat, quae ſunt Domini* (ἐὰν ποῇ ϗ διδάσκῃ τὰ τȣ̃ κυρίȣ) *non vt qui ordinetur ab hominibus* (ȣ̓χ ὑπ' ἀνθρώπων χειροτονȣ́μενος) *neque quod iuſtus cenſeatur presbyter, ſed quod iuſtus referatur in presbyteratum* (vel ita: aut qui propterea, quia presbyter, iuſtus aeſtimatus eſt, ſed qui propterea quia iuſtus eſt, ad presbyterium electus eſt.) *Et licet hic in terris non fuerit prima ſede honeratus, ſedebit, in quatuor & viginti thronis, populum iudicans, vt dicit Ioannes in apocalypſi: Stromat: lib: VI. p. m. 667.* Talis ergo cum presbyter, cum diaconus eſſe debeat, imo omnes illi, qui eccleſiae praeficiuntur, accuratisſima ſane opus eſſe δοκιμασία vt nũ tales ſint? exploretur, quiuis facile intelligit. Quae vtiq; aliquot horarum ſpatio non abſoluitur: teſtimoniis vero & litteris commendatitiis quantum hodie tribuendum ſit, nemo neſcit. Optandum ergo, vt illi demum hocce munere digni iudicarentur, qui per aliquot annos toti eccleſiae fidem ſuam, dexteritatem, ſobrietatem, modeſtiam, reliquasque virtutes probaſſent, & iis quoque praediti ſint donis, quae ad eiusmodi muneris adminiſtrationem requiruntur.

Mirifice etiam mihi placet illud veterum inſtitutũ *de viduis*, ſpectatae pietatis probataeque vitae, quibus multa ſubeunda erant miniſteria ad rem chriſtianam apprime facientia, & quae tamen non niſi a ſequiori ſexu commode expediri poſſunt. Dicebantur et *diaconiſſae* & iam in eccleſiis apoſtolicis conſtitutae erant, vt Paulus apoſtolus nos condocet *1 Tim. V. 9. ſeq.* vbi et quae virtutes & officia harum viduarum ſint, diſerte explicat. Ex harum etiam numero forte Phoebe illa fuit, cuius *Rom. XVI. 1.* apoſtolus meminit. *Commendo*, inquit, *vobis Phoeben ſororem noſtram, quae eſt in miniſterio eccleſiae quae eſt in Cenchris.* Ad quem locum ORIGENES notat: *Hic locus apoſtolica auctoritate docet, etiam feminas in miniſterio eccleſiae conſtitui.* Singula harum viduarum munera & officia recenſere, noſtrum non eſt, praeſertim cum illud iam quam diligentiſſime praeſtiterit CASPAR ZIEGLERVS in peculiari de *diaconis & diaconiſſis* commentatione, *Cap. XIX.* Sed hoc tamen praecipue obſeruandum, quod captiuis & peregre

Digitized by Google

gre aduentantibus fuerint praeſto, aegrotantium etiam geſſerint curam. De captiuis quidem celebre extat teſtimonium ipſius LVCIANI hominis ethnici, in diſſertatione *de morte Peregrini*, quod ad iſtam rem comprobandam paſſim afferri ſolet. Cum enim retuliſſet peregrinum illum philoſophum, chriſtianae religionis ſacris imbutum, eamque ob cauſſam in carcerem coniectum fuiſſe, ſubiicit: *Chriſtiani hanc rem grauiter & indigne ferentes, nullam non impendebant operam, & plane mouebant omnia tentantes, ſi quo modo furtim illum poſſent eripere. Deinde animaduertentes hunc conatum fruſtra eſſe, nihil tamen ex altero, quo captiuus egebat obſequio, intermittebant, verum omnia cum magna fide & diligentia praeſtabant. Ac mane quidem ilico videre erat iuxta carcerem praeſtolantes anus viduas quaspiam &c. Exin omnis generis coenae inſerebantur variae, ac ſacri inter ſeſe ſermones dicebantur.* Quae eo lubentius retuli, vt ethnico homine teſte intelligeretur, quanta veterum Chriſtianorum circa miſeros quosuis, aut vllo calamitatum genere oppreſſos, fuerit cura, quanta ſolicitudo. Quam contra apud nos omnia frigent! quam rara caritatis conſpiciuntur exempla! Viduarum autem iſtarum etiam fuiſſe, aegrotantium atque infirmorum curam gerere, docet HIERONYMVS ad Nepotianum: *Quod ſi,* inquit, *huiusmodi non fuerint conſanguinitatis caſtimoniaeque perſonae, multas anus nutrit Eccleſia, quae & officium praebeant, & beneficium accipiant miniſtrando (aegrotanti) vt infirmitas quoque tua habeat fructum eleemoſynae.* Adhibitae porro iſtae viduae ſaepius fuerunt in conſilium, vt ſententiam ſuam in rebus ad priuatam cuiusque vitam pertinentibus exponerent, inprimis ſi de matrimonio ineundo negotium eſſet, ne qua temere viro iungeretur quem fugere debuiſſet, vt quem antea laudauimus CASPAR ZIEGLERVS loquitur *l. c.* §. *XV.* Teſtimoniis TERTVLLIANI hoc confirmat GABRIEL ALBASPINÆVS, qui in primo obſeruationum de *veteribus Eccleſiae ritibus* libro, *obſeru: XXIV. p. m.* 113. *ſeqq.* ea de re ex inſtituto agit explicatque, cur apud veteres Chriſtianos foeminae *petiiſſe maritum a vidua* dicantur. Omnia autem viduarum officia ALBASPINÆVS velut vnico faſce hunc in modum complectitur: *ut ſacerdotes a conſuetudine & mulierum familiaritate longius amouerentur, certae quaedam viduae, natae annos magis ſexaginta, ceteris mulieribus praeficiebantur, vt non ſolum eas ope*

Digitized by Google

& conſilio in domeſticis negotiis iuuarent, ſed etiam vt eis in rebus ſacris & religionis ritibus operam ſuam praeſtarent. Igitur hae viduae & diaconiſſae ad hoc erant iſtitutae, vt catechumenas primis fidei rudimentis domi imbuerent, docerent, formarent. Cum paulo ante baptismum eſſent lauandae, vngendae, immergendae (ne ſacerdotum oculi laederentur,) praeſto aderant hae viduae, quae iis omnibus manum admouebant. Difficillimis quoque Eccleſiae temporibus poterant ſine ſuſpicione per domos diſcurrere, epiſcoporum mandata deferre, monere, colligere, preces denique, ieiunia, peruigilia, ſtationes iungere. Si quid ab Epiſcopo caeterae mulieres cuperent obtinere, iisdem viduis vtebantur, quibus ſolis illius adeundi tum erat poteſtas: nuptias neque facere neque de iis cuiquam mulierum fas erat cogitare, quin prius per easdem viduas epiſcopum conſuluiſſent. Scio fore, qui cum noſtris moribus haec adeo non conſiſtere poſſe ſibi perſuadeant, vt rem ſane ridiculam in medium eum afferre iudicaturi ſint, qui auctor eſſet, vt ad ſimiles vſus viduae ſpectatae virtutis & probitatis conſtituerentur. Sed hoc quoque ſcio, eam proh dolor! noſtrorum temporum eſſe conditionem, vt quicquid ad ſanctimoniae puritatisque moribus hominum inducendae incrementum aliquid confert, id abſonum ſtatim, ineptum, et quod in vſum transferri non poſſit, ad minimum ſuperuacaneum iudicetur. Fateor equidem, fuere nonnulla viduarum apud veteres officia, quae apud nos ceſſant, ob inſtitutorum & rituum diuerſitatem, vt illud quod de praeparatione catechumenarum ad baptismum, commemorauimus. Haec & alia eiusmodi locum apud nos non inuenire, quilibet facile intelligit. Sed enim vero quod de aegrotorum, praeſertim pauperum cura diximus, itemque de formando ad meliores mores ſequiori ſexu, praeſertim plebeiae conditionis, num hoc quoque ſuperuacaneum aut minus neceſſarium eſſe, quis affirmare auſit? aut forte tam pulchre & in doctrinae euangelicae cognitione & in moribus ſanctis proficiunt omnes, vt reliquis carere facile mediis queamus? Nimirum mala equidem & incommoda videmus, morbum vtcunq; agnoſcimus, ſcelera & flagitia, quorum vrbes & prouincias interdum fama peruolitat, deteſtamur, vel ſaltem ea deteſtari videri volumus, aſt medicinam reſpuimus. Satis namque eſſe putamus, ſi publice verbum diuinum proponatur, applicationem eius, aut quo pacto ad efficaci-

Digitized by Google

am ſuam exercendam ſingulis inculcari diligenter debeat, in minimis ponentes. Hinc ſtultis illis agricolis ſimiles tandem euadimus, qui ſemina ſparſiſſe contenti, de agri praeparatione non ſunt ſolliciti, nec curant ſintne rite terrae mandata, aut ſi quid porro, vt euoluere ſe tandem et in ſperatos explicare fructus queant, requiratur.

Ex eadem ratione prouenit, quod collapſa penitus ſit diſciplina eccleſiaſtica, & vix ſpes aliqua eam reſtituendi, ſuperſit. Chriſtus ipſe diſerte conſtituit, vt illorum qui peccatis ſe contaminarunt, ſi ſpretis admonitionibus omnibus, ad bonam redire nolint mentem, euitemus conſortia. *Math. XVIII.* Quod enim dicit eiuſmodi hominem pro *ethnico* reputandum eſſe atque *publicano*, hoc non aliter capi poteſt, quam de commercii cuiuſcunque cum eiuſmodi homine euitatione. Et grauiſſimas ſanctiſſimasque Chriſtus Seruator hoc conſtituendi habuit cauſſas rationesque. Etenim qui praefractos & peruicaces peccatores non fugiunt, & perinde erga illos ac homines probos & virtuti operantes ſe gerunt, nonne approbare illorum vitia videntur? Vitia autem vt approbet, qui ſerio pietati & ſanctitati litat, fieri nullo modo poteſt; potiusq; exiſtimandum, veram virtutem illis curae cordique non eſſe, quibus perinde eſt, ſiue cum probis, ſiue cum improbis illis viuendum ſit. Sunt praeterea ad praua quoque imitanda per naturam homines paratiſſimi. Exempla itaque vitiorum ſi quotidie ante oculos verſentur, nec fugere iis deditos, homines doceantur, quid aliud quam velut quoddam malorum diluuium inde expectandum eſt, quo, abreptis per quorundam prauos mores, reliquis, totus orbis Chriſtianus inundetur? Ipſi itaque apoſtoli, praeceptis & veſtigiis Chriſti inſiſtentes, nullo pacto cum improbis, veris Chriſtianis commercium aliquod intercedere voluerunt. *Quod cum eis* (impudicis auaris &c.) *non eſſe contrahendum ſcripſi*, inquit apoſtolus, *id eo pertinet, vt ſi quis, qui frater nominetur, impudicus eſt, aut auarus, aut deaſtricola, aut conuiciator, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiusmodi homine ne quidem cibum cupiatis 1. Cor. V. 11.* Obſtupeſco ſane quoties haec lego, & noſtri ſimul ſeculi mores confero. Quis impudicitiam, auaritiam, ebrietaten inter crimine refert? Cui unquam in mentem venit euitare conſortia hominum auarorum & ebrioſorum? Et tamen cum hiſce cibum quoque capere prohibet apoſto-

Digitized by Google

poſtolus. Num quae apoſtolorum tempore vetita fuerunt, hodie forte licita ſunt? aut veterum Chriſtianorum mores & inſtituta ad nos non pertinent? aut exiſtimamus, cum veteribus Chriſtianis multo forte ſimus perfectiores, ab eiusmodi hominum conſortio nullum ſeductionis imminere periculum? Quicquid horum dixeris, aut quicquid ad vim effati apoſtolici infringendam commentus fueris, non euades. Clara nimis & manifeſta res eſt, vt nulla tegendi aut excuſandi ignauiam, aut prauitatem tuam, tibi relicta ſit ratio. Hoc ergo caput ſit omnis diſciplinae eccleſiaſticae, fugere quouis modo & euitare illorum commercia, qui manifeſtis eiusmodi flagitiis, & vt ſcriptura loquitur, operibus carnis, dediti ſunt. Conſtat autem ſibi Paulus apoſtolus, & idem alibi magna ſeueritate inculcat: *Denunciamus autem vobis fratres*, inquit *1. Theſſal. III. 6. per Domini noſtri Ieſu Chriſti nomen, vt vitetis omnem fratrem intemperanter ſe, non ex inſtitutione, quam a nobis accepit, gerentem.* Nulla hic exceptio, nulla excuſatio: *Omnem fratrem intemperanter ſe gerentem* vitare iubet. In epiſtola autem ad Romanos *XVI 17.* ab eis etiam, qui ſeditiones & offenſiones, contra eam quam acceperint doctrinam excitent, cauere & illos declinare iubet. Quemadmodum & Titum ſuum condocet, vt haereticum hominem poſt vnam alteramue admonitionem declinet *Cap. III. v. 10.* quod & Ioannes mitiſſimus apoſtolorum, & nihil caeteroquin niſi amorem ſpirans, inculcat. *II. Epiſt. v. 10.*

Manſit etiam aliquamdiu poſt apoſtolorum tempora haec eccleſiaſticae diſciplinae ſaluberrima ſeueritas. Namque nec recipiebant quenquam inter ſuos niſi emendatae voluntatis vitaeque ſanctioris certiſſimum dediſſet documentum, & ſi quis ad deteriora iterum lapſus eſſet, hunc procul a ſe remouebant, nec ſuis volebant amplius intereſſe conuentibus. Teſtem huius rei damus ORIGENEM, cuius verba latine ſaltem, breuitatis ſtudio, damus, quae tamen digna ſunt, vt paullo diligentius expendantur. *Chriſtiani quantum poſſunt, praeexaminant animos audire ſe cupientium; ac primo priuatim informatos, priusquam in coetum recipiantur, vbi videntur eo profeciſſe, vt honeſtae vitae ſint cupidi, tum demum introducunt diſtinctis ordinibus; altero recens admiſſorum nec dum aſſecutorum luſtrationis ſymbolum: altero eorum, qui quantum in ſe eſt, demonſtrant ſibi propoſitum eſſe, nihil aliud niſi cum*

Chri-

Chriſtianis velle & ſentire: inter quos nonnulli praepoſiti ſunt, qui in vitam & mores eorum, qui admittuntur, inquirunt, vt non conceſſa facientes candidatos religionis arceant a ſuis conuentibus; caeteros horum diſſimiles excipiant ex animo, & quotidianis acceſſibus meliores faciant. Iam erga peccantes quam ſeuera eſt diſciplina, praecipue contaminatos libidine, quos e ſua communione reiiciunt noſtri, quantumuis Celſus eos nugacibus circulatoribus ſimiles faciat. Et Pythagoraeorum quidem veneranda ſchola ponebat cenotaphia diſciplinae ſuae deſertoribus, nimirum quod haberet eos pro mortuis: hi vero vt perditos Deoque mortuos lugent eos, qui libidine aliove ſimili malo victi fuerint: ac rurſum reſipiſcentes, haud ſecus, quam rediuiuos recipiunt tandem, poſt longiorem melioris mentis approbationem, quam cum primum ad religionem diſcendam admitterentur; ea tamen conditione, vt quoniam lapſi ſunt, excludantur in poſterum ab omnibus dignitatibus & magiſtratibus eccleſiaſticis. lib. III. contra Celſum p. m. 142. 143.

Notatu cumprimis digna hic eſt veterum Chriſtianorum, circa eos qui primum ad illorum ſacra accedere volebant, cura & circumſpectio. Dicit ORIGENES *Chriſtianos praeexaminaſſe animos audire, ſe cupientium.* Maior adhuc eſt Graecorum verborum emphaſis: προβασανίσαντες τῶν ἀκύειν σφῶν βυλομένων τὰς ψυχάς. Namque τό βασανίζειν varia explorationum denotat genera, quae illis ſubeunda fuerunt, qui Chriſtianis ſe adiungere cupiebant, vt certo conſtaret, num vitiis omnibus & foedis cupiditatibus nuncium mittere parati eſſent. Reſpexit haud dubio ad morem Pythagoraeorum, quorum etiam in ſequentibus iniicit mentionem, qui itidem diſcipulos ſuos variis generibus exercitiorum ad vitam tolerantiamque philoſophicam praeparabant, easque exercitationes, non ἀγῶνας modo & ἀσκήσεις, ſed eadem etiam voce βασάνυς vocabant, vt obſeruat Io: SCHEFFERUS *de nat: & conſtitutione Philoſophiae Ital: cap. XIV. p. m. 140.* In noſtris moribus nihil eiusmodi deprehenditur. Adeo prorſus a veterum Chriſtianorum diſciplina deſciuimus. Vbi enim eſt iſte βροβασανισμὸς? aut in quo conſiſtit? cum Iudaei aut Turcae apud nos conuertuntur, (ita enim loqui moris eſt) ſatis eſt, ſi verba & formulas doctrinae chriſtianae accurate recitare didicerint, ſique interrogati reſpondeant, ſe iis capitibus fidei chriſtianae, quae in noſtris docentur Eccleſiis, adhibere fidem. De moribus vitaeque ratione

Digitized by Google

one magnum eſt ſilentium. Niſi forte quod a manifeſtis & grauioribus ſceleribus eiusmodi homines ſibi temperauerint, pro emendatae purgataeque mentis certiſſimo indicio capiamus: in quo tamen pleroſque magnopere falli conſtat. Quae autem haec eſt miſeros conuertendi ratio? iisdem cupiditatibus, quibus Turcae & Iudaei exiſtentes ſeruiebant, immerſi manent Chriſtiani facti, ſatis egregie ſecum actum exiſtimantes (quomodo & hoc ſerio ſibi perſuadeant) quod eadem proferre verba poſſint, quibus religionem ſuam circumſcribunt Chriſtiani. Idem de illis cenſendum, qui ex Romanenſi Eccleſia ad nos accedunt. Plerique namque eorum, ad hoc faciendum adducuntur, quod ſperent, ſe apud nos tutiorem rationem cupidatibus ſuis habenas laxandi, inuenturos. In quo interdum etiam non falluntur. Hi ergo ſi profiteantur, ſe ea credere, quae in Auguſtana confesſione aliisque Eccleſiae noſtrae libris ſymbolicis continentur, ſi dicant, ſe nuntium mittere erroribus Eccleſiae Romanenſis: peracta res eſt: nemo dubitat quin euangelicorum digni ſint nomine: de vita moribusque nemo eſt ſollicitus. Quo ipſo quantum noſtrae Eccleſiae inuratur dedecus, dici non poteſt: imo clades maxima rebus Chriſtianis infertur, & ad ruinam ſummamque perniciem praecipitantur. Sed deplorent alii haec mala noſtra, imo videant, quo pacto tandem afferri iis medela queat.

Redeo ad ORIGENEM, qui egregie etiam deſcribit, quo pacto ergavitiis contaminatos ſe ſe geſſerint veteres Chriſtiani. Praeceptorum namque Chriſti & diſciplinae apoſtolicae memores, ſeiungebant illos a ſe, nec volebant ſibi quicquam cum illis commune eſſe, donec certisſima & indubitata mutatae in melius mentis documenta praebuiſſent. Idem vero etiam TERTVLLIANVS confirmat. Cum enim conuentuum a Chriſtianis celebrari ſolitorum rationem ita deſcripſiſſet: *Coimus ad litterarum diuinarum commemorationem, ſi quid praeſentium temporum qualitas, aut praemonere cogit, aut recognoſcere, certe fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus*, addit: *diſciplinam praeceptorum nihilominus inculcationibus denſamus; ibidem etiam exhortationes, caſtigationes & cenſura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conſpectu, ſummumque*

Digitized by Google

que futuri iudicii praeiudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, vt a communicatione orationis, & conuentus, & omnis ſancti commercii relegetur. Apologet: cap. XXXIX. Seuerior quidem adhuc fuiſſe videtur diſciplina apoſtolica, per quam eiusmodi peccatores non modo a communicatione orationis & conuentus, & omnis ſancti commercii, vt TERTVLLIANVS loquitur, arcebantur, ſed indigni etiam omni ciuili conſortio atque commercio iudicabantur, vt ne cibum quidem cum illis caperent: ſatis tamen eluceſcit, a moribus apoſtolicis nondum prorſus tum diſceſſiſſe Eccleſiam, tanta diligentia ſanctitati morum conſeruandae inuigilantem. Abiit equidem & haecce diſciplinae eccleſiaſticae pars deinceps in inſtrumentum ambitionis; quo ad auctoritatem ſuam ſtabiliendam epiſcopi iſti vſi ſunt, qui imperium in fratres exercere ſeque principum inſtar ſuper alios extollere, pulchrum ducebant. Conſtatque, quae vis & ratio fuerit excommunicationis in Romana Eccleſia, cuius fulmen eos experiri oportebat, qui non ad genua Romani Praeſulis prouoluti; obſequium pollicebantur impiis eius decretis. Cuius grauiſſimi abuſus, vtinam in Eccleſiis proteſtantium non etiam reliquiae quaedam atque veſtigia conſpicerentur! Sed vt omnium innocentiſſimorum, & ſaluberrimorum veteris Eccleſiae inſtitutorum, eadem fuere fata, ita proſcribenda non ſtatim ideo ſunt, aut prorſus intermittenda. Repurgare potius ea oportet ab omnibus naeuis & ad verum rectumque vſum reducere, cum imprudens ſit, quod in ſe noxium eſt & ſalutare, ideo reiicere, quod improbi aliquando homines ad ſuas cupiditates eo abuſi ſint. Hoc autem facillime fieri poſſet, ſi omnes ac ſinguli fugere improborum commercia condocerentur, ſique totius Eccleſiae, non vnius aut quorundam hominum iudicio res iſta permitteretur, ſique cuncta amore rite temperarentur, vt, quemadmodum elegantiſſime ORIGENES loquitur, eos, qui vitio quodam victi ſunt, *ceu perditos Deoque mortuos lugeremus, ac reſipiſcentes ceu rediuiuos reciperemus.*

Conſtat autem ex dictis, multa pro vitiis, quibus Chriſtianum pollui nefas eſſet, reputata fuiſſe a veteribus, quae noſtra aetate ſi non

non pro virtutibus, ſaltem licitis habentur actionibus, quas ſi Chriſtianus perpetret, nihil omnino, quod ſe dedeceat, agat. Atque iſtis quidem ſi diutius inſiſtere vellem, multa mihi veteris, atq; modernae diſciplinae eccleſiaſticae diſcrimen comprobandi ſuppeditarentur argumenta, ſed quin vnicum ſaltem adhuc addam, intermittere non poſſum. Ecquis eſt hodie, qui hominem otio torpeſcentem Chriſtiani nomine indignum iudicet? audias equidem interdum otium inter vitia, aut vitiorum occaſiones connumerari: aſt vnum vel vnico exemplo comprobari poteſt, deteriori loco apud Chriſtianos eſſe, qui in otio vitam degit, quam qui laboribus corpus animumq; exercet? quis ſerio hocce deteſtatur vitium, aut eos aggreditur, qui iſto laborant, vt ad meliorem vitam traducat? neque nunc craſſius illud modo otium deſigno, quo homines nihil prorſus agendo tempus conſumunt, ſed etiam ſubtilius iſtud, quo praecipua vitae pars ludicris, vanis, inanibusque rebus impenditur. Qui quidem homines videntur ſibi laboribus & occupationibus obruti, re vera tamen ſunt longe otioſiſſimi. Neque ad otii vitium euitandum perinde eſt quid agas, modo aliquid agas; ſed ea agere decet, ex quibus aut ad teipſum aut ad alios commodum aliquod, tuam aliorumque veram ſalutem promouere aptum, proficiſcatur. Vnde non minus reprehendendi ſunt, qui corporis exercitationibus, ad voluptatem aut oſtentationem comparatis, commeſſationibus, ludorumque variis generibus, confabulationibus & reliquo infernalis genii ad decipiendos homines callide excogitato apparatu, tempus fallunt, cum ſeipſos reuera fallant, quam qui nihil prorſus efficiendo inter ſomni & cibi viciſſitudines vitam tranſigunt. Alii autem erant veterum mores, quos ſaluberrimis ſuis praeceptis formauerant apoſtoli. Paulus namque Theſſalonicenſibus iniungit, *vt manibus ſuis operari aliquid contendant* 1. *Theſſ. IV. 11.* In poſteriori ad eosdem epiſtola *c. III. 6. 7. 8.* idem repetit. *Denunciamus autem vobis fratres, per domini noſtri Ieſu Chriſti nomen, vt vitetis omnem fratrem intemperanter ſe* (ἀτάκτως περιπατοῦντα) *non ex inſtitutione quam a nobis accepit gerentem.* Quaenam autem iſta ἀταξία ſit, ex ſequentibus eluceſcit,

Digitized by Google

elucefcit, dum pergit: *Nam vos ipſi ſcitote, qui modo ſimus imitandi: quippe qui nos adeo non intemperanter geſſerimus apud vos* (ἠτακτήσαμεν ἐν ὑμῖν) *ſed operoſo labore noctes & dies functi fuerimus, ne cui veſtrum granes eſſemus.* Et certe otium atque ignauia nihil aliud, quam ἀταξίαν parit, eamque ſecum vehit. Cum primis autem hic obſeruandum, quod non modo fugiendum hocce vitium, dicat apoſtolus, id quod & hodie multi dicunt, ſed quod Theſſalonicenſes hortetur, vt *vitent omnem fratrem* ἀτάκτως *ambulantem & in otio vitam transigentem.* Hoc caput cauſae eſt, & praecipuum momentum. Quis enim vero eſt apud noſtros, qui vitandum eiusmodi hominem credat? qui non pro vero & genuino Eccleſiae Chriſti membro reputet? Qua in re quantopere apoſtoli iudicium diſcrepet a noſtris moribus, quilibet facile intelligit. Neque eſt, quod ad illos hoc non pertinere credamus, qui opibus diuitiisque affluunt, vt labore victum quaerere non neceſſe habeant. Errant namque magnopere, qui ideo ſaltem laborandum eſſe arbitrantur, vt habeamus quo toleremus vitam. Aliter rurſus apoſtolus pronunciat *Eph. IV. 28. Qui furabatur, non furetur amplius, ſed potius manuum labore bona comparet, vt habeat quod egentibus impertiat.* Laborandum ergo dicit non modo vt habeamus, quod noſtris ſufficiat neceſſitatibus, *ſed cumprimis vt quis habeat quod egentibus impertiat.* Aliorum magis quam noſtrum habenda eſt ratio: & in vtrisque ad animae potius, quam corporis, neceſſitates reſpiciendum eſt. Error grauiſſimus eſt, qui multos occupat, laborandũ ſaltem eſſe ad bona corporis comparanda, ſiue ipſi, ſiue alii, iisdem indigeant. Laborandum ſane & hunc in finem eſt, ſed ſi is ceſſet, a laborandi lege nondum ſumus liberati. Nunquam, nunquam deeſt occaſio laborandi, ſi quis aeternae aut ſuae aut aliorum felicitati conſultum cupit: quem laborem ſi ſuſcipere parati ſumus, omnis deerit otium excuſandi ratio. Sunt rurſus alii, qui in alterum extremum currentes, laboribus ita vacant, vt meditationibus & orationibus nullum tempus relinquant, ſuo documento comprobantes, quam inepta ſit hominis ratio veritatisque impatiens, dum modo huc, modo illuc, excurrit. Prudentia vbique opus eſt, ſed vera & Chriſtiana, quae limites terminosque omnibus officiis praeſcribit:

ad alios autem quod attinet, cohibenda iudicia ſunt, ne temere ſententiam pronunciando graui nos obſtringamus crimine. Locum hic ſemper habet illud MACARII: *Quemadmodum membra corporis multa cum ſint, vnum corpus ſunt, & ſe mutuo adiuuant, & vnumquodque ſuo fungitur officio, velut oculus pro toto corpore videt, & manus pro omnibus membris laborat, & pes ambulat omnia membra ſuſtinens, & aliud membrum compatitur: ſic & fratres inter ſe ſint. Itaque qui preces facit, non iudicet laborantem, quod non precetur, neque qui laborat condemnet precantem, quod iſte quieſcat, ipſe vero laboret: neque qui miniſtrat alterum damnet. Hom. III. p. m. 31.*

Haec ideo commemorare placuit, vt vel vno alteroue exemplo conſtaret, in multis noſtrarum Eccleſiarum ſtatum, etiam qua diſciplinam eccleſiaſticam & externa inſtituta, pietatem morumque ſanctitatem promouere apta, corrigi & emendari poſſe: ſimul vt intelligeretur, qui aliarum Eccleſiarum, ſaluberrimis eius inſtitutis abundantium, exemplum ad imitandum proponunt, facere quod operae pretium, imo magnopere commendandum ſit. Inter omnes autem Eccleſias, quae vltimis ſeculis effloruerunt, niſi me omnia fallunt, caeteris dubiam hoc in capite palmam reddit Eccleſia fratrum Bohemorum, vera & genuina magni iſtius & ſanctiſſimi viri Ioannis Huſſi propago. Haec enim morum ſanctitate, docentium concordia, vitae innocentis ſtudio, diſciplinae ſeueritate, caritatis exemplis ita enituit, vt praeſtantiſſimi inter Lutheranos aeque ac Reformatos Theologos confiteri neceſſe habuerint, ſe equidem doctrinae puritate fratribus Bohemis nihil concedere, aſt morum vitaeque ſanctitatem ſi ſpectes, diſciplinaeque caſtitatem, multis paraſangis ſuperari ab iis eas omnes Eccleſias, quae aut Lutheri, aut aliorum ductu auſpiciisue Romani Pontificis excuſſerunt iugum. Ipſa non affero teſtimonia, quae in hoc ipſo, in cuius gratiam hoc ſcribimus, libello, diligenter collecta legi poſſunt. Et ſane memoratu lectuq; digniſſima ſunt, quae in eodem de Luthero noſtro referuntur, quod in prima fratrum ad ſe legatione, palam profeſſus ſit, ſe nondum poſſe aſſequi, *vt eiuſmodi inſtitueretur doctrinae & vitae probae exercitium, quale de illis audiuerit.* Bohemi autem fratres haud difficul-

Digitized by Google

ficulter animaduerterunt, diſciplinae morumque ſanctitatis non eam quam oportebat, in reformatione haberi rationem, ipſum Lutherum noua ad eum miſſa legatione hac de re commonefacere ſuarũ duxerunt eſſe partium: Luthero quoq; quo erat candore & pietate, adeo hoc non aegre ferente, vt lubens defectus iſtos agnoſceret, ſuumque teſtaretur dolorem, quod non ſtatim in ipſis naſcentibus nouae Eccleſiae primordiis cuncta ad exemplum fratrum Bohemorum eſſent conſtituta. Recte equidem LASITIVS, ex quo haec & alia auctor retulit, addit, *dandam veniam eſſe tanto viro, in pontificio dominatu infringendo, caeteroque multiplici antichriſtiano luto abſtergendo, eoque bellis extraneis occupato, aliquid domi oblitum.* Sed ego tamen ex toto hocce negotio duo concludo. Primum illud eſt: ſi Lutherus qui tamen haec noſtrarum Eccleſiarum incommoda probe intellexit, veniam promeruit, vti omnino promeruit, quod bellis extraneis occupatus, eorum quae ad vitae ſanctitatem Eccleſiaeque diſciplinam pertinent, non ita, vt decebat, habuit rationem, ſucceſſores tamen Lutheri non eandem, quam ipſe, veniam promerentur, quod non maiori ſtudio atque induſtria in morum vitaeque & diſciplinae eccleſiaſticae emendationem incubuerint. Namque quae ad doctrinae putitatem ſpectant, ea vel ipſis confitentibus a Luthero iam confecta erant, vt ipſi nihil aliud, quam vt veſtigiis Lutheri inſiſterent, ſibi relictum eſſe iudicarent. Et ex infinito, quae tum cum pontificiis, tum cum aliis agitatae fuerunt, controuerſiarum numero, pauciſſimas admodum fuiſſe neceſſarias, manifeſtum eſt, cum plerique nihil aliud dixerint, quam quod iam pridem ab aliis dictum erat. Multi etiam in certamina & controuerſias ſe ingerebant, ſaltem ne deeſſet quod agerent, neque tempus quod internis Eccleſiae rebus componendis aut corrigendis impenderent, ſupereſſe videretur. His an aeque facile concedenda ſit venia, aut annon potius Deo ſupremo omnium iudici, neglecti officii, inſuperque habitae occaſionis, temporisque in non neceſſariis collocati, rationem redditurі ſint, alii videant. Damna autem, quae hinc in Eccleſiam noſtram redundarunt, nimis manifeſta ſunt, tantumque morum prauitas & corruptio indies creuit, quanto certaminum & controuerſiarum

Digitized by Google

librorumque huc ſpectan m , numerus auctus eſt. Euentus omnino comprobauit illud fratrum Bohemorum vel potius legatorum, quos vltima vice, anno ſcilicet 1542. ad Lutherum miſerunt, cognituros, quid tandem de diſciplina in Eccleſias euangelicas recipienda ſperandum eſſet? vaticinium: *ſe non poſſe rebus illorum* (Lutheranorum) *bene ominari, quamdiu per illorum ſcholas & academias, tantum ſcientiae tantillumque conſcientiae videant ſuſcipi curam,*

Alterum vero quod hinc colligo hoc eſt, non poſſe nobis vitio verti, quod Bohemicae huius Eccleſiae conſtitutionem, ceu pulcherrimum exemplum, ad quod noſtrae emendandae & componendae ſint, proponamus. Habemus namque hic praeeuntem Lutherum, habemus multos alios clariſſimos doctiſſimosque Theologos, quorum in hoc libro referuntur teſtimonia, quibus profeſſi ſunt, ſe hoc vnice in votis habere, vt Eccleſiae euangelicae, qua mores & diſciplinam, eum in modum conſtitutae eſſent. Imo producit LASITIVS teſtes, vt auctor *p. 26.* refert, qui ex ore Lutheri iſta exceperunt verba: *non ſurrexerunt a temporibus apoſtolorum homines, quorum eccleſia propius acceſſiſſet ad doctrinam & ritus apoſtolicos, atque fratres Bohemi.* Item: *Etſi fratres hi nos puritate doctrinae non ſuperant, ordinaria tamen diſciplina Eccleſiae qua vtuntur, ſuasque feliciter gubernant Eccleſias, longe nos ſuperant, & in hac parte maiorem laudem habent, quam illis concedere nos propter gloriam Dei & veritatem oportet. Quia plebs noſtra Germanica, diſciplinae iugum nondum ſubire vult.* Quid amplius dici poterat? Diligenter ergo conſideremus hanc pulcherrimae Eccleſiae imaginem, noſtramque cum ea conferamus, & in vſum quoque transferre ea laboremus, quae transferri poſſunt, vt tandem ad eandem puritatis, innocentiae, ſanctitatisque, quam cordati omnes in fratribus Bohemis admirantur, laudem proficiamus. Atque hoc vt tantum apud quosdam obtineretur, dignus fuit iſte libellus, qui lucem iterum adſpiceret, diſciplinae ſcilicet iſtius ſanctiſſimae fratrum Bohemorum imaginem luculentiſſimam exhibens. Imo hocce tempore neceſſarium fere exiſtimauimus, eum ex tenebris, quibus velut conſepultus iacuit, protrahere. Extiterunt enim noſtra aetate hinc inde per Dei gratiam, & adhuc exiſtunt pii quidam & docti viri

Digitized by Google

viri, qui ſerio omnes ingenii vires omniaque conſilia eo contulerunt, vt collapſas & proſtratas infernalis ingenii aſtutia, hominumque ignauia & improbitate, Eccleſiarum euangelicarum res, erigerent quodam modo, & maius vitae ſanctioris ſtudium hominum animis implantarent. Hi vt ſedulo omnia colligunt, quae ad reſtaurandam Eccleſiae diſciplinam pertinent, ita illis non poterit non eſſe gratiſſimum, ſaluberrima optimae Eccleſiae Bohemicae inſtituta, vnico velut faſce exhiberi, vt ex illis ea ſeligant, quae maxime ad finem, quem ſibi propoſuerunt, accommodata intellexerint. Vnde & annuente Deo, fructum haud exiguum ex diligenti libelli huius conſideratione, nobis pollicemur.

Sed vt eo magis, quae diximus, comprobemus, vnum alterumue ſpeciminis loco afferemus ex iis, quae in diſciplina iſta fratrum Bohemorum nobis prae caeteris placuerunt. Populum omnem in tres claſſes ſeu ordines fratres Bohemi diſtribuerunt, *incipientium, proficientium, & perfectorum* ſeu *ad perfectionem tendentium*, ad exemplum Eccleſiae apoſtolicae. Vſus huius diſtributionis eximius plane eſt & ſingularis, praeſertim cum in ea profectuum non modo in doctrinae ſalutaris cognitione, ſed ſanctitate quoque morum virtutibusque Chriſtianis, habita fuerit ratio. Ex *perfectis* enim hoc eſt illis, *qui rerum diuinarum cognitione notabiliter vncti, inque fide, caritate, & ſpe adeo roborati erant, vt alios iam quoque illuminare poſſent*, ſeligebant quos Eccleſiae praeficerent. In populo etiam erudiendo ad tres hoſce ordines ſeu claſſes reſpiciebant, aliasque vt auctor teſtatur, habebant conciones pro incipientibus, alias pro proficientibus, alias pro perfectis. Quae res quantum contulerit omnibus commodum, quilibet facile intelligit. Praeter paſtores autem, aliosque Eccleſiae miniſtros habebant presbyteros ſeu morum cenſores, eleemoſynarum curatores, & aediles, eaque in re rurſus propius ad apoſtolicae Eccleſiae formam accedebant, quam noſtrae Eccleſiae, vt ſupra demonſtrauimus. In paſtoribus conſtituendis ad vitae magis conditionem, moresque integros & incorruptos reſpiciebant quam ad eruditionem, quod tantum abeſt vt Luthero diſplicuerit, vt laudauerit hunc morem fratrum Bohemorum, ſuaſeritque

ſaltem, vt quantum poſſent, linguarum adiungerent ſtudium. Illud quoque valde mihi placet, quod adoleſcentulos, Eccleſiae miniſterio aliquando conſecrandos, in domeſticam paſtorum diſciplinam tradiderint, vt litteris non minus quam moribus Eccleſiae doctore aut praefecto dignis, ab iis imbuerentnr. Iſtos Acoluthos vocabant, quorum vt certa iam erant in Eccleſia officia, ita grauioribus paſtorum functionibus ſemper intererant, & ſenſim quoque ad eas prudenter & pie peragendas, manuducebantur. Nimirum apud nos ad eruditionem quidem vtcunque Theologiae cultores formantur, ſed de praeparatione ad functiones eccleſiaſticas altum plerumque eſt ſilentium: aut ſi tandem praecepta in ſcholis theologicis traduntur, in meras ſpeculationes haec fere abeunt, & ad rem ipſam accedentibus tandem parum proſunt. Quid mirum? qui enim theologiam docent, maximam partem nulli vnquam praefuerunt Eccleſiae, nullius animae curam vnquam ſerio geſſerunt, & quicquid ex libris aut aliornm ſermonibus hauſerunt, hoc diſcipulis ſuis magna confidentia iterum inculcant. Mihi vero is demum vir politicus & ciuilis videtur, non qui multos libros politicos legit, ſed qui ab ineunte aetate ciuilia negotia tractauit: is fortis militis laudem refert, non qui multos ſcriptores de re militari legit, ſed qui bellicis expeditionibus ipſe interfuit: mercatorem autem hunc voco, non qui de commerciis multa verba facit, ſed qui prudenter & feliciter mercaturam fecit: ita & Theologi nomine, paſtoriſque munere hunc demum dignum pronuncio, non qui multos libros de officio paſtorum, aut theologiae moralis plurima compendia perluſtrauit, ſed qui primo in ſe ipſo quis verus Chriſtianus ſit expertus eſt, deinde qui, ſi fieri poteſt, piorum cordatorumque theologorum fideliumque paſtorum functionibus, ſiue commonefaciendi ſint ferociores, ſiue tentati erigendi, ſiue afflicti conſolandi, ſiue errantes in viam reducendi, interfuit, & haſce res prudenter & recte adminiſtrare ipſa praxi didicit. Huc ſpectat maxime laudabile hocce fratrum Bohemorum inſtitutum. A quo non alienum illud quoque eſt, quod nouis Eccleſiae miniſtris non ſtatim ſolis Eccleſiae regimen commiſerint, ſed expertae probataeque prudentiae paſtorem illis adiunxerint

per

per aliquot annos, qui ad omnes eorum actus attenderet, donec, vt loquitur auctor, *ad conſcientiarum regimen confirmatiores euadant.* In ſacris coetibus concionibusque celebrandis, hactenus quidem nobiscum conueniunt, quod vnus ex ſuggeſtu verba ad populun faciat, partem ſcripturae ſacrae praelegendo & rite explicando. Sed rurſus peculiare habent, quod omnia Chriſtianae religionis captia, ad explicandum per dies Dominicas ita diſpoſita fuerint, vt annuatim abſoluerentur. Id quod maximopere videtur e re Eccleſiae eſſe. Nec tamen huic diſpoſitioni ita adſtricti fuerunt, vt non alium textum aliudque ſermonis argumentum tempori forte & Eccleſiae ſtatui magis accommodatum, eligere potuerint. Sed nolo plura addere: nec enim dubito, quin vnusquisque nonnulla deprehenſurus ſit, quae digna iudicauerit, vt in vſum transferantur. Prudentia tamen opus eſt, fateor: cum non omnia omnibus expediant, nec omnia promiſcue ſint imitanda. Sed prudentiam intelligo hominis Chriſtiani, quae nihil aliud vtile iudicat, quam quod hominum ſalutem, pietatisque, & ſanctimoniae ſtudium, promouere poteſt.

De Auctore Io: Amoſo Comenio non eſt, vt multa dicamus. Notus is ſatis eſt omnibus & ob pietatem & ob eruditionem excellentem: offeretque ſe nobis alibi occaſio, de eo ex inſtituto commentandi, & abſtergendi maculas, quae vulgo illi adſperguntur. Sufficit quod is nihil de Eccleſiis fratrum Bohemorum ſcripſerit, quod non veritati conſentaneum ſit, & alii quoque luculenti ſcriptores ſuo calculo comprobent. Inter hos nunc ſaltem IOACHIMVM CAMERARIVM laudare placet, cuius extat *hiſtorica narratio de fratrum orthodoxorum eccleſiis in Bohemia, Morauia & Polonia*, cui & alia eiusdem argumenti opuſcula adiuncta ſunt, ſcilicet *ESROMI RVDIGERI de fratrum eccleſiis in Bohemia & Morauia narratiuncula: vita & mors Ioannis Huſſi Bohemi, ex actionibus & monumentis martyrum: de vltimo ſupplicio Hieronymi Pragenſis ex iisdem actionibus martyrum: de eiusdem Hieronymi obitu & ſupplicio POGGII Florentini ad LEONHARDVM ARETINVM epiſtola, huiusque ad illum reſponſio: oratio de Huſſiticis motibus recitata publice Wittenbergae a Michaele Slauata Barone*

rone Bohemo : de origine eccleſiarum Bohemicarum, & de confeſſionibus ab iis editis narratio : cui ſubiuncta ſunt de his magnorum quorumdam virorum indicia & teſtimonia : Methodus quam obſeruant fratres in eligendis, ordinandis & confirmandis ſuis miniſtris : Epiſtola fratrum ad ill. principem Fridericum III. Electorem Palatinum, de cantionibus in ipſorum Eccleſiis vſitatis : ESROMI RVDIGERI de cantionibus ſacris inter fratres conſuetis, deque tota Chriſtianorum muſica, diſſertatiuncula : de excidio reliquiarum e Waldenſibus & Albigenſibus Merindolii & aliis in locis prouinciae facto ſub Franciſco I. rege Galliae, ex monumentis martyrum : PETRI WESENBECII ICti otatio de Waldenſibus & Albingenſibus Chriſtianis Ienæ habita A. C. 1585. Inſignis locus ex CAROLO MOLINAEO ICto de iisdem: Conſenſus in fide & religione inter eccleſias euangelicas regni Poloniae, ac illarum Eccleſiarum acta ſynodica. Iſte IOACHIMVS CAMERARIVS itaque vt hiſtoriam fratrum Bohemorum elegantisſime ſcripſit, ita pasſim lectu dignisſima de illis tradit, & ea quae IO. AMOS COMENIVS de iis retulit, confirmat. Inter alia auctor eſt, quendam Iacobum Liedenſtenium ex ordine Dominicanorum librum contra fratres Bohemos compoſuiſſe, ſed eundem tamen vi veritatis adactum, tale iis perhibuiſſe teſtimonium : *dico, quod in moribus & vita boni ſunt, veraces in ſermone, in caritate fraterna vnanimes : Sed fides eorum eſt incorrigibilis & peſſima.* Quod teſtimonium tanto pluris aeſtimandum, quod ab hoſte illorum eſt profectum. *p. 98.* Quae de Luthero ſupra attulimus, idem etiam refert *p. 99.* dicitque eiusmodi eſſe prooemium, quod Lutherus confeſſioni fratrum praemiſerit, vt qui poſt illud teſtimonium accurate & firmis rationibus explicatum, *de religionis fratrum ſincera integritate*, & *purae diſciplinae honeſtate*, dubitare & quaerere amplius velit, *nimis curioſus*, qui vero accuſare eos adhuc audeat, *improbus ac malus ſit. p. 99. vid. & p. 126. 127.* Cumprimis autem obſeruatu dignum, quod circa finem libelli huius CAMERARIVS commemorat, quosdam ex Lutheranis infenſo erga fratres Bohemos fuiſſe animo ob diſciplinae ſeueritatem ſanctitatemque, quibus tamen vir ille doctus recte reſpondet : *diſciplinae autem ſeueritas, vnde ſuperſtitio penitus omnis abeſt fortaſſe diſplicet aliquibus ideo, quod ſimilem*

neq;

Digitized by Google

neque eis inſtituere in procliui ſit, & aliqui etiam tam arctis vinculis adſtringi nolint. Ad ipſum deinceps Lutherum prouocat, quem iſtam rem mirifice comprobaſſe dicit, notamque eſſe vnius ex proxime ſuperiorum temporum inprimis doctrina & pietate celebris viri de ea ſententiam: *ſolos prope in orbe terrarum fratres, cum puritate doctrinae, vigorem etiam diſciplinae Chriſti apud ſe reſtituiſſe: quae laus vt eis detur, & hoc in illis opus Domini praedicetur, rem ipſam cogere.* Addit tandem ipſe CAMERARIVS, ipſam ſimul diſciplinam fratrum in compendio ſiſtens: *ſane qui attendere animum voluerint, faterique verum, ii negare non poterunt, quin apud eos Chriſti Eccleſia non ſolum in veritate & re ipſa, ſed manifeſta etiam ſpecie retenta, adminiſtrataque & geſta ſit: vt eos reprehendentes vix effugere inuidiae & obtrectationum ſuſpicionem poſſe videantur: Cum ipſi quidem fratres in nullorum ex ipſis res rationesque curioſe inquirant, nullorum inſtituta obſeruationesque damnent, aut vituperent, ac potius omnes, quos norunt veritatem doctrinae coeleſtis profiteri, & ſacrarum litterarum ſtudia colere, & propagare religionis pietatisque ſanctitatem, & errores impietatis ac ſuperſtitionum odiſſe & repudiare, non diligant ſolum, ſed etiam in honore habeant. Nulla enim reperietur apud ipſos ambitio, neque principatus appetentia: Nulla inter eos rixa, altercatio, contentio, ad alios maleuolentia, inſectatio, iurgium. In illis nullus eſt animorum exultantium inſcitus ardor, ad ceteros nihil acerbitatis aſperitatisque. Non apparent ne veſtigia quidem auaritiae, cupiditatis, libidinis. Non quaeſtus fiunt aut lucra foenerando, aut vllo cum emolumento alterius incommodum complectendo. Summa & eximia eſt ſincerae caritatis affectio omnium erga omnes, deſidiae & otio inerti atque ignauo locus prorſus non eſt: officia praeſtant quaecunque & quibuscunque poſſunt. Nullam in ſuo coetu diſcordiam ſerpere patiuntur, & efferentem ſe ſtatim reprimunt & opprimunt. Aliorum iniurias & vim fortiſſimis animis tolerant: neque reſiſtendo, nedum vindicando, irae, indignationisue ſignificationes nullae ab eis dantur.* Quam procul ab iſta verae Chriſti Eccleſiae imagine noſtri diſtant mores! Similia & in RVDINGERI deſcriptione, caeterisque monumentis in hoc faſciculo comprehenſis occurrunt, quae ne prolixi nimis ſimus, praetermittimus. Digna autem prorſus cenſemus

haec

Digitized by Google

haec opuſcula, quae rariſſima ſunt, & in bibliothecis ſelectioribus latitant, quae iterum in lucem proferantur: & proferentur etiam Deo volente, ſi modo intellexerimus, quem nunc damus, COMENII libellum piis & eruditis viris non diſplicuiſſe. Faxit Deus, vt cuncta in Eccleſiae commodum cedant, vtque plurimi haec legentes, praeclariſſimo fratrum Bohemorum exemplo excitati, ſerio de vita moribusque emendandis cogitent, vtque qui eo peruenerunt, deque aliorum ſalute ſolliciti ſunt hic inueniant, quae cum fructu ad diſciplinam eccleſiae poſtliminio reuocandam vſurpent.

RATIO

Digitized by Google

RATIO DISCIPLINAE ORDINISQVE ECCLESIASTICI, IN VNITATE FRATRVM BOHEMORVM.

AD ANTIQVVM EXEMPLAR RECVSA,

NOTISQVE ILLVSTRATA,

CVM PRAEMISSA

DE

ECCLESIAE BOHEMICAE ORTV, PRO-
GRESSV, MVTATIONIBVSQVE
HISTORIOLÁ.

ETSVBIVNVTA AD ECCLESIAM PARAENESI.

Digitized by Google

ORDO RERUM
A N I M A.

Digitized by Google

ECCLLESIAE ANGLICANAE
VARIIS HACTENVS PROCELLIS IACTATAE, IAM AVTEM TRANQVILLITATIS SVAE PORTVM PROSPECTANTI, SALVTEM IN DOMINO.

TVrbulentus rerum ſtatus, qualem nunc vbique gentium videre eſt, triſte quid eſt in ſe ipſo, pulcherrimæ tamen alicuius conuerſionis ſpem nuntiare videtur iis,qui attente operum Dei a ſeculis praxin intueri non dedignantur.

2.Nempe quemadmodum a rerum initio Deus e tenebris lucem,eque confuſo chao ordinatisſimam rerum faciem, eduxit: ita in gubernandi curſu, quicquid vnquam perturbationem humano generi euenire ſiuit, id illi ſemper in bonum conuertit: ſiue ſaltem pios exercitatiores reddendo, ſiue impios etiam ſubinde ab ignorantiæ tenebris ad lucis participationem traducendo. *Vt ſemper Eccleſia per ipſas ruinas ſuas incrementa ſumeret, aut in maius aut in melius.*

3.Vel vnius *Iſraelitici populi* variæ ſi attendantur vices,omnes illorum caſtigationes, captiuitates, hinc inde migrationes, nihil niſi manifeſtandis Dei operibus nouas ſemper occaſiones fuiſſe, apparebit.

4.Ipſum credentium Patrem *Abrahamum*, tantis peregrinationibus, periculis, pollicitationibuſque in ſpeciem diu vanis, quis non videt ideo fuiſſe fatigatum, vt exercitata ſic Fides eius in ſpem contra ſpem niti diſceret? Eccleſiaque Fidei heroicæ, omnia mundana peruincentis, exemplar haberet illuſtriſſimum.

5.Semen eius *Ægyptiaca* ſeruitute horrendum in modum ideo fuiſſe preſſum, *ut in Pharaone virtutem Dei oſtendendi, perque id nomen Dei in univerſa terra annuntiandi, occaſio eſſet*, teſtatur ipſe Deus, Exod.X.v.16.

6. Quid poterat miſerabilius videri, quam quod populus Dei ab hoſtibus ſuis *Philiſtais* victus, ipſum diuinæ præſentiæ ſymbolum, cæleſtiſque auxilii ſpem, *ſanctiſſimam fœderis arcam* amiſerat? & quod hæc ab hoſtibus capta, in triumphum ducta, *Dagonis* delubro illata & ſic Diabolico iſti Idolo, & Idololatris, ludibrio facta fuit? Et tamen ipſe hic terribiliſſimus caſus illuſtrandæ veri Dei gloriæ, detegendæque idolorum vanitati, quam pulchre inſeruiit?

7. Triſte fuit populum Iudæ & in his Dauidis (cui tanta erant in ſempiternum facta promiſſa) ſtirpem, multoſque ſanctos viros *Babylonicam* in *captiuitatem* abduci: & tamen ibi *Ezechiel* in Prophetam excitatus, quantis reuelationibus Eccleſiam colluſtrauit? *Daniel* vero miraculoſis ibidem actionibus, & paſſionibus, quantos Reges & populos ad veri Dei cognitionem perduxit? Patet ex libri ejus Cap. I v. 4. 6. 7 & IV. v. 1. 2. 3. & Cap. VI. v. 26. &c.

8. *Amanica in populum Dei diſperſum, Iudaos, machinamenta*, quo non vſque progreſſa fuere? Vno die deleri debebant omnes. Et tamen hoc ipſum truculentum facinus, quantam non populo illi ſalutem, gaudia, honorem, ad omnemque poſteritatem diuinæ (ſuis ſemper excubantis) prouidentiæ exemplum, attulit? Liber Eſtheræ oſtendit.

9. Quid *Antiochaa in eundem populum ſæuitia*? Annon tot glorioſos Martyres, annon viros virtutum Maccabæos, cum tot Eccleſiæ admodum ſolabilibus omnipotentis divinæ (ſuo arbitratu res dirigentis) Providentiæ exemplis, produxit?

10. *Apoſtolica Eccleſia Hieroſolymis diſperſio* triſte quid fuit, & tamen nihil niſi Euangelii ad alias gentes diſſeminatio fuit, Actor. IIX. v. 4. &c. Ioannis vero *Pathmicum exilium*, quam ingenti prophetico theſauro Eccleſiam ditauit!

11. Quotquot item poſtea vnquam in Eccleſia, aut hoſtilitates & perſecutiones foris, aut contradictiones & iurgia, hæreſeſque vel ſchiſmata domi, emerſerunt; tot ſemper aut glorioſiſſimis martyrum agminibus edendis, aut nobiliſſimis ſcriptis concinnandis (eoque ipſa ſanctorum conſtantia impiis confundendis, ipſa fulgidioris veritatis luce piis magis perfundendis) occaſiones prodierunt.

12. De poſtremis demum mundi temporibus (quæ nunc ſunt) tametſi terribilia prænuntiauit iqſe ſummus Propheta, Dominus noſter,

ſter, *futurum eſſe ut audiamus bella & bellorum rumores*, Matth. XXIV. v. 6. *In ſurrecturam enim gentem in gentem, & regnum in regnum, foreque fames & terrae motus*; addidit tamen, *videte ne turbemini! oportet enim hac omnia fieri: ſed nondum erit finis, v. 8. quia prædicabitur prius euangelium regni in toto terrarum orbe, vt ſit teſtimonio omnibus gentibus: & tunc veniet finis, v. 14*

13. Collidantur ergo nunc etiam noſtro in conſpectu (fatorum vi, tametſi ſummo piorum dolore) populi populis, ruant in inuicem regna & imperia, contremiſcat horrore terra ipſa, impleanturque ruinis vrbes, templa, ſcholæ, omnia denique priuata & publica: idem tamen ille Deus (qui primitus ex teterrimo chao formoſiſſimum produxit mundum, quem & eccleſiæ ſuæ cauſa conſeruat hucvſque potenter, regitque ſapienter) ſciuerit ex his etiam concuſſionibus melius quid elicere, quam omnes nos poſſemus cogitare. Nempe vt (quemadmodum promiſit) euangelium a concaſtigatis acriter Chriſtianis tandem etiam tranſeat ad reliquas orbis gentes. Vt (ſicut olim) *offenſa noſtra fiat opulentia mundi, & diminutio noſtra divitiæ gentium*, Rom. XI. v. 12.

14. Hæc talis admirandi conſilii æternæ prouidentiæ conſideratio, lenit dolores meos *de ruina eccleſiæ gentis meæ, cuius gubernandæ, dum in ſtatu ſuo erat, leges deſcriptæ hic exhibentur: ego vero inter vltimos vltimus, eheu! antiſtes, oſtium poſt me* (in conſpectu veſtro o Eccleſiæ!) *claudo.* Atque vt honeſte claudam, conſtitui tantilla hac meditatiuncula diuina in nos iudicia iuſtificare, meque cum reliquiis adhuc meorum, & quicunque noſtro ab exemplo damna cauere velint, ſolatio aliquo, monitisque aliquibus, inſtruere.

15. Atrociſſimæ namque annorum quadraginta perſecutionis diluuium ita nos deleuit, vt in tota Bohemia & Morauia ne vnam quidem reliquam habeamus Eccleſiam, præter paucas diſperſi per vicina regna gregis reliquias. Præterea, exilii diuturnitate factum eſt, vt *omnes fere eccleſiarum Paſtores, omnes certe ſine exceptione Antiſtites, Epiſcopi, Superattendentes, Diaconi & Archidiaconi, in viuis eſſe deſierunt, ad me vſque vnum:* qui propter reſtitutionis ſpem Anno 1632. (Eccleſiæ ſynodice congregatæ voluntate, ac ſuffragiis) antiſtitibus adhuc tum viuis allectus, nunc iam ſolus vnus cum paucis reſiduis confratribus miniſtris (& vnico e Polonica gente collega) ſuperuiuo, quamdiu vitæ auctori placet. Nam tametſi poſt ultimam e Polonia diſperſionem, ante quadrienni-

driennium, ne ſolus & vltimus eſſem enixe laboraui, ſucceſſum tamen dare conſiliis non placuit Deo: interea vero e primariis, qui ſuccedere potuerant, rebus humanis etiam exempti ſunt.

16. Nolim autem hæc ſic accipi, ac ſi ego a ſolitudine mea, meoque hinc exitu, Eccleſiæ mea in gente finem metuam, aut prænuntiem. *Scio Eccleſiam ſuper æternitatis rupe fundatam non interire, nempe Catholicam: particulares tamen Eccleſias irati Dei manu interdum euerti* (vt ad beneplacitum eius plantentur aliæ, aut eædem aliter) *exempla teſtantur.* Imo Deus ipſe: *Venit finis populo meo Iſrael, non adiiciam amplius parcere illi*, inquit. (Am. IIX. v. 2.) Et peracta iam deſtructione ad Baruchum: *Dixiſti va miſero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori, meo! Sic ait Dominus: ego quod ædificaueram, deſtruo, quod plantaueram, euello*, &c. Jerem. XLV, verſ. 3. 4. Ipſa denique euerſa iam Eccleſia ita de ſe; *Appropinquauit finis noſter completi ſunt dies noſtri, venit finis noſter*, Tren. IV. 18.

17. Nec Eliam peccaſſe autumandum eſt, quod ſe ſolum ſupereſſe queſtus, Eccleſiæ metueret: in hac ipſa ſolitudine & ſolicitudine ſua & ſolatio erectus diuino, & de ſucceſſore ſibi ſubſtituendo inſtructus conſilio. I. Reg. XIX. v. 14. &c. Quod ego ab eadem æterna bonitate plena quoque fiducia expectans, ſi nihilominus me ſine præſenti ſolatio exire hinc iubeat Deus, cum illo ſeptem fratrum Maccabæorum, martyrum vltimo, dicam: *In me & fratribus meis ſiſtatur Omnipotentis ira, quæ ob peccata noſtra in genus noſtrum adducta eſt* (II. Macc. VII. 38.) Si neque hoc voto, vt in me ira Dei deſinat, obtineo, & *Matri noſtræ tandem etiam moriendum eſt* (vt ibi v. 41.) *quid faciam?*

18. *Conſuetudine gentium receptum eſt, vt qui ſine hærede decedunt, bona ſua aliis, quibuscunque, tranſcribant*: vſque adeo vt regnum aliqui, ſtirpis ſuæ vltimi, regnorum ſuorum hæredem *populum Romanum* ſcripſerint (quomodo *Attalus* pergamorum; *Ptolomæusque* Cyrenarum, Rex fecerunt, & alii.) Quidni ergo mihi quoque (ſi omnino ſecundum Dei voluntatem ſine ſucceſſore decedendum eſt) rebus concreditis ſic aliquomodo proſpicere liceat?

19. *Cui autem bona noſtra tranſcribam? aut quæ bona omnibus iam amiſſis?* Non de eſt adhuc, Dei dono, quod teſtamento legetur: nec deſunt, quibus legetur, amici & hoſtes! *Et hoſtibus quidem legamus ea, quæ eripi potuerunt, vel porro etiam poterunt, externa bona*, templa, agros, Scholas

Digitized by Google

las &c. *Vitam denique noſtram adbuc reſiduorum*, ſi ſic arbitro rerum placeat Deo : ſicuti cruce ſuspenſo Chriſto veſtes ſuas inter milites diripi, vitamque ipſam externam eripi, placuit.

20. *Vobis autem amicis* (eiusdem æterni Magiſtri exemplo) *meliliores commendamus theſauros, ipſam dilectam Matrem noſtram, Eccleſiam.* Huius vos iam noſtri loco ſuſcipite curam: ſiue eam reſuſcitare apud nos dignabitur Deus, ſiue domi mortuam alibi ſisſtere rediuiuam. Amare profecto illam mortuam quoque debetis, qua viua Fidei & Patientiæ exemplis vobis, in tertium vsque ſæculum, præiuit.

21. At quomodo eam iam diſparentem commendo? *rei, quæ non amplius extat, quæ cura eſſe poteſt?* Reſp. Demortuis amicis vel *ſepulcralia erigi ſolent monumenta*, ne illorum facile exoleſcat memoria. Qui autem virtutibus reſplendebant, illarum ipſarum *virtutum effigiantur repræſentationes, poſteris in ſpeculum.* Deus denique ipſe, cum ingrato beneficiorum ſuorum populo terram, vrbem, templum adimeret ſubuerteretque, *Altaris* tamen *fundamenta ſuo loco relicta voluit, ſuper quæ poſteri (ad ſe & ad Deum reuerſi) reædificare poſſent* (Eſdr. III. v. 3.) Ergo *ſi nobis quoque dono Dei quicquam verum, quicquam veneraudum, quicquam iuſtum, quitquam purum, quicquam amabile & boni nominis, & ſi qua virtus, & ſi qua laus, adfuit* (exiſtimarunt autem viri ſapientes & pii, vt ſuo loco patebit) *illud nobiscum vt ne pereat, ruinarumque præſentium ruderibus fundamenta etiam ipſa vt ne ſic obruantur, quomodo a poſteris ne reperiri quidem posſint, prouidendum eſt; depoſitoque apud vos hoc depoſitio noſtro, proviſum itur.*

22. Equidem id iam factum putabam, cum nuper *ioannis Laſitij Nobilis Poloni, de Eccleſiaſtica Diſciplina, Moribusque ac Inſtitutis Fratrum Bohemorum memorabilia continentem* (ut eius verba ſunt) *hiſtoriam*, recens Amſterodami recuſam, offerrem. Quod munus licet non displicuiſſe, benigno vultu, amicisque verbis, conteſtati fuerint, quibus offerebatnr: monebant tamen, aliud iisdem de rebus ſcriptum ſimpliciore titulo (*Ratio Diſciplinæ Ordinisque Eccleſiaſtici in vnitate Fratrum Bohemorum*) viſum eſſe in Anglia. Reſpondi: Iſtud a Patribus noſtris, magnifice de rebus ſuis loqui non ſolitis, fuiſſe editum; hoc plenius & exquiſitius ab homine extraneo, Ordinis admiratore, adornatum, vberiorem his de rebus dare informationem. Amici tamen inſta-

re,

re, editionemque prioris opellæ vnanimiter vrgere: vt me huic etiam poſtulato ſatis facturum promitterem.

23. Fidem igitur libero, & quod rogatus ſum, ecce multiplicatis exemplaribus mitto! In ſubſtantia rei nihil mutaui, vtque ſcripto non meo, ſed Eccleſiæ publico: tantummodo vbi quædam ſpecialius exprimi e re viſum fuit, ad melius Ordinis illius noſtri vincula intima peruidendum, praxinque facilius obſeruandam, notas certas (conciſius dicta vberius explanantes) adieci.

24. Et quia præfatio aridior viſa eſt, & pro extraneorum informatione inſufficiens, præmiſi hiſtoricam brevem narrationem, *quommodo Eccleſia Slavonica ab ipſis Apoſtolis fundata, ab Hieronymo, Cyrillo, Methodio, propagata, Bohemica in gente potiſſimum radicata, & in vnitate Fratrum Bohemorum faſtigiata fuerint*: vt id meliori ſequentium intellectioni ſeruiat.

25. Valete, ſancti fratres, mihiqne luctas & luctus Eccleſiæ meæ, eccleſiaſticæque inprimis vnitatis, rationes explicanti, vel bihorii unius uſuram date. Ego Vos Spiritui gratiæ commendo: qui apoſtolico illo, *omnia decenter & ORDINE fiant*, cordi Veſtro inſcripto, Omnes Vos (*corpus totum cum glorioso capite ſuo, membraque politici & myſtici corporis inter ſe omnia*) indiſſolubili iam fidei, amoris, æternæque concordiæ nexu coadunet, concorporet, conſolidet! vt ſicut Britannia nuper triſte diſſidiorum theatrum Orbi viſa fuit, ita iam concordiæ viuum fiat exemplar. Ad faciendum in Deo virtutem, conculcandumque feliciter hoſtes, ſub *Magno Veſtro*, adverſus Maxentios & Licinios non e Britannia euocato, ſed in Britanniam reuocato, Conſtantino. Ad reddendum denique ope Dei Eccleſiam Veſtram, poſt tot iactationes, *pulchram ut LVNAM, puram ut SOLEM, terribilemque ut Caſtrorum aciem ordinatam*, aliis orbis Eccleſiis in ſpeculum. Amen JESU CHRISTE, Amen:

Sic ex animo vouet

Pacis Ordinis

Salutisq; Eccleſia ſcientiſſimus

J. A. COMENIUS,
Morauus.

ECCLE-

ECCLLESIAE SLAVONICAE
AB IPSIS APOSTOLIS FVNDATAE,
AB HIERONYMO, CYRILLO, METHODIO, PROPAGATAE, BOHEMA IN GENTE POTISSIMVM RADICATAE, ET IN VNITATE FRATRVM BOHEMORVM FASTIGIATAE, BREVIS HISTORIOLA.

COnſideratione digna ſunt, pie lector, illa aeterni ſponſi Chriſti, de ſponſa ſua Eccleſia, ceu cum admiratione prolata; *quae eſt illa exſurgens vt* AVRORA? *pulchra vt* LVNA? *pura vt* SOL? *terribilis vt* ACIES CASTRORVM ORDINATA? Cant. VI. v. 9. Quae verba ſiue ſenſu diuiſo accipiantur, ſiue coniuncto, pulcherima ferunt documenta.

2. Si diuiſo ſenſu accipimus, de Eccleſia catholica in particulares diuiſa, palam eſt ita Eccleſias a nobis diſtingui ac ſpectari poſſe, ac debere, quomodo in oculis Dei, reique veritate, extant. Nempe vt aliae ſint nouellae, exſurgentes demum, quarum lux AVRORAE ſit ſimilis: aliae iam prouectiores, ſplendoris ſui incrementa capientes, vt *Luna*: aliae in plena fidei, dilectionis, ſpeique aeternae miſericordiae luce exultantes, vt *Sol*: aliae denique præter internum domi fulgorem, foras a ſe terrorem ſpargentes, vt *exercitus bene ordinatus, ipſa inſtructa acie ac vexillis hoſtibus horrorem incutiens.*

3. Si coniuncto ſenſu verba ſumimus, de tota vna catholica Eccleſia ſicuti verſu praecedente Chriſtus loquitur, *vnica eſt columba mea, perfecta* mea, diuerſas eius aetates atque gradus innui extra dubium erit. Exſurgentis nimirum Eccleſiae nouae ſub Apoſtolis lux vere fuit *Aurora*, exultantibus in ea maxime fidelibus, *quod nox proceſſiſſet, dies appropinquaſſet, tempusque eſſet a ſomno expergeſiendi*, Rom. XIII. v. 11. 12. 2. Petr. I. verſ. 19. Vbi nempe Theologia non ſicuti poſtea fuit exculta: neque myſteriorum fidei tam clara & diſtincta extabat cognitio, vt poſtquam haereticorum deliria eccleſiae exercuerunt ſapientiam, factum. Sufficiebat illis *abiicere opera tenebrarum, & induere arma lucis, ambulareque vt in die iam honeſte*, Rom. XIII. verſ. 13.

Digitized by Google

vt feruentisſima tunc illorum pietas, martyriis demonſtrata, oſtendit.

4. Secuta fuit aetas *Lunae*, creſcentis & decreſcentis luminis, tempore haereticorum: cum quibus conflictatio Eccleſiae fuit vario ſucceſſu, iam veritate erroribus, iam erroribus veritati, praeualentibus, donec & eclipſi n ſub antichriſto paſſa fuit.

5. Sed rediit illi, Dei dono, reformationisque beneficio, amiſſa lux noua cum acceſsione: vt ſecundum promisſionem factam, Ieſ. XXX. verſ. 26. *ux Lunae fieret ſicuti Lux Solis*, meliore veritatis e fundamentis imis, atque vnquam anterioribus ſaeculis factum, eueſtigatione.

6 Quia tamen *Sol etiam coeli huius noſtri* (tametſi nihil eo lucidius) *deficere poteſt ac ſolet*, Eccleſ. XVII. verſ. 30. permiſſuque Dei reformata etiam Eccleſia tenebras denuo patitur, ſpem ecce facit bonitas & ſapientia aeterni ſponſi, fore vt *Eccleſia tandem hoſtibus ſuis terribilis euadat.* Innuitque, *qua id ratione futurum*: nempe ſi (N. B.) *miſſis diſtractionibus, tandem aliquando Eccleſia ſe intra ſe ita vndique vniat, ordinisque vinculis connectat, vt inſtar bene inſtructae caſtrorum aciei impenetrabilis ſit hoſtibus, illa vero quascunque ſibi oppoſitas phalanges penetret, diſſipet, peſſundet*,

7. Atque hoc prorſus eſt illud, quod Apoſtolus ad Epheſios vrget, & ab adulta Eccleſia requirit, dicens *ſtudentes conſeruare* VNITATEM *Spiritus in vinculo* PACIS *&c. & mox*: *Aſcendens in ſublime dona dedit hominibus, alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Paſtores & Doctores, ad compactionem ſanctorum ad opus miniſterii, ad aedificationem corporis Chriſti*, DONEC PERVENIAMVS OMNES IN VNITATEM FIDEI, *& agnitionem Filii Dei*, IN VIRVM ADVLTVM, AD MENSVRAM PLENAE STATVRAE CHRISTI. *Vt ne ſimus amplius* PVERI, *qui fluctumus & circumferamur quouis vento doctrinae, in hominum verſutiis, &c. ſed ſincere nos gerentes in caritate*, PRORSVS ADOLESCAMVS *in eum, qui eſt caput, Chriſtum. Ex quo* TOTVM CORPVS, CONGRVENTER COAGMENTATVM *& compactum, per omnes ſuppeditatas commiſſuras, ex vi intus agente pro menſura vniuscuiusque membri incrementum capit Corpori conveniens, ad ſui ipſius exſtructionem, per caritatem*, Epheſ. IV. vrſ. 3. &c.

8. Quod dum a diuina bonitate expectamus, quid nirationem *vnionis* illius *& ordinis*, in quibus tanta ad eccleſiæ ſalutem repoſita vis eſt, rationabiliter disſquiremus? aliique ab aliis, vt lucis ita ordinis, participationem & augmenta mutuemur? pium laudabileque hic etiam ſegnes non reperiri.

9. Mihi, cui eccleſiæ FRATRVM BOHEMORVM ORDINEM noua editione in lucem promouendi occaſiones venerunt, e re videtur, per *quos gradus ſuos deducere, ſeu quibus gradibus ſuos perficere ſoleat Deus, huius ipſius eccleſiæ*

Digitized by Google

eccleſiæ exemplo ob oculos ponere. Quæ quiſquis piorum leget, circa ſe quoque, ac eccleſiam ſuam, admirabilem diuinæ prouidentiæ curſum conſiderandi occaſiones facile inueniet.

10. *Omnia pulcre facit Deus, vnumquodque tempore ſuo*, inquit Salomon, Eccl..III.v.11.innuens, *opera Dei ſemper ordine quodam & gradatim procedere*, a *minori ad maius.* Opus certe creationis, opus redemtionis, opus ſanctificationis, totuſque circa vniuerſa diuinæ prouidentiæ curſus, id oſtendunt: maxime etiam, quod nunc in ſpecie conſiderandum ſumimus, eccleſiæ tentoria in maiorem ſemper amplitudinem, aut decus, extendendi admirabilis eius ſapientia.

11. *Poterat ſane filius Dei ſub carne humána mundum ingreſſus, completo redemtionis myſterio euangelium ſuum per ſe ipſum toti mundo reddere notum. At non ita placuit*: ſed ordinare certos quoſdam viros, Apoſtolos, qui in mundum euntes hos gratiæ diuinæ theſauros gentibus annuntiarent: hi autem idem offiicum demandarent aliis, ſibi ſucceſſuris; atque hi rurſum aliis, vſque ad conſummationem ſaeculi, Matth.XXIIX.v.20.2.Timoth.II.v.7.Tit.I.5.

12. *Tametſi enim euangelii lux iam ab ipſis Apoſtolis per orbem ſparſa fuit, ad fines vſque terræ* (vt ſcripturæ loquuntur, & atteſtantur hiſtoriæ) *illa tamen lux primis aliquod ſaeculis ſcintillæ potius hinc inde quoſdam corripientes* (perſonas & familias) *videri potuit, quam plena gentium lux.* Quarto demum ſaeculo, Conſtantini M.temporibus, gentes integræ conuerti, deſertoque paganiſmo chriſtianiſmum aperte profiteri, cæperunt. Id vero iterum in Romano tantum imperio primum, deinde alibi etiam gradatione iam perpetua per iſta duodecim ſecula, gente alia poſt aliam in Chriſtianum nomen veniente, per Europam, Aſiam, Africam, Americam.

13. Succeſſiuum hoc diuinae prouidentiæ opus etiam in fundandis Eccleſiis *Slauonicarum Gentium*, quae orientale Europae latus ampliſsime occupant, euidentiſsime ſe exeruit, & ſpectari poteſt: *quibus Euangelii ſementis iam Apoſtolorum tempore facta, octauo demum poſt ſaeculo plenam in meſſem venit, gradatimque ſe per illas exporrexit, iam in maius, iam in melius*; interuenientibus ſubinde etiam (vt in luna fieri aſſolet) decrementis, maculis, obſcurationibuſque ac obtenebrationibus. Fidem omnium faciam breuiter: vt id proficiendi etiamnum in melius, deſinendique tandem in aliquid optimum, occaſioni ſeruiat.

14. *Sementem ab ipſis Apoſtolis fuiſſe his gentibus factam*, teſtem habemus gentium Apoſtolum: qui *ab Hieruſalem per circuitum omnia ſe repleuiſſe euangelio Chriſti ad Illyricum vſque*, ſcribit ad Roman.XV.19. Timotheo vero narrat, *Creſcentem in Galatiam abiiſſe, Titum in Dalmatiam*, 2.Timoth.IV. 10. Sunt autem æque Illyrii atque Dalmatæ Slauonicarum gentium pars, hunc vſque in

 diem.

Digitized by Google

diem. Neque fructu caſſam fuiſſe primam illam ſementem, hoc oſtendit: quod *Hieronymus, Sridone Illyrii ciuitate oriundus, incrementa fidei ſuae ingente promoturus, libros diuinarum ſcripturarum vernaculum in idioma tranſtulit.* Eoque inter Europaeas gentes primi fuerunt Slaui, quibus natiua lingua credita fuerunt eloquia Dei. *Hac enim verſione gentes illae hucusque gloriantur, nec alia vtuntur; tametſi populorum labia iam ſint mutata, vt vetuſtiorem illum ſermonem non per omnia plebs intelligat.* Ideo ſacerdotes illorum (Rutteni & Moſci) veterem illam linguam ſic ſtudiis, quomodo nos latinam, excolunt.

15. Auctas vero per gentes illas valide fuiſſe eccleſias, colligi poteſt e Synodo Conſtantinopolitana ſexta, anno Chriſti 680. celebrata: vbi Slauorum celebris extat mentio, his verbis; *expectauit totius Concilii ſeruilis noſtra ſuggreſſio omnes adiuuare; ne ſi tantum pars, quod ageretur, agnoſceret, partem lateret. Maxime quia in medio gentium, tam* LONGOBARDORUM, *quam* SLAVORUM, *plurimi conſeruorum noſtrorum eſſe noſcuntur, qui de hoc curioſe ſatagere non deſinunt, &c. vnde ſimul patet, Slauos, tum temporis Chriſtianos, ab imaginum cultu abhorruiſſe*: ſi quidam ad illam Synodum, quæ pro imaginibus laborabat, accedere veriti erant.

16. Altero demum inde ſaeculo Deus integris Slauonicis gentium euangelii oſtium aperuit, occaſione tali. BVLGARI, gens Slauica, vicinum ſibi Conſtantinopolitanum imperium diuturnis bellis fatigabant: donec Michael III. Imperator pacem cum eis, anno 845. iniit, reddita Bulgarorum regis ſorore, quam Græci bello ceperant. Hæc ergo quia in captiuitate religionem Chriſtianam didicerat, perſuaſit fratri, vt gentiliſmo relicto Chriſtianus fieret: cuius exemplum ſecuti ſubditi eandem fidem amplexi ſunt. *Quo pacto Bulgari Slauonicarum gentium Chriſto primitiæ facti fuerunt*: ſecutis mox aliis eiuſdem linguæ per eoſdem tractus, inter Danubium, Græciam, & Italiem, populis, Meſſis, Raſciis, Seruiis, Boſſinis, Croatis, &c. præclaram illis operam *Cyrillo & Methodio, Epiſcopis Græcis, ſed Slauonica etiam lingua promtis*, conferentibus. Qui cum in *Morauiam* vſque (a Germanis tunc *Marcomanniam* dictam) anno circiter 861. penetraſſent, ibi quoque regem illorum *Suatoplucum*, & breui poſt Bohemorum ducem *Boriuoium*, Chriſto lucrati ſunt. Vnde poſtmodum fulgor euangelii in Poloniam quoque penetrauit, anno Chriſti 965. poſt Bohemorum conuerſionem ſeptuageſimo primo; Morauorum, centeſimo quarto; Bulgarorum, centeſimo viceſimo. Ruſſi vero & Moſci, & ipſæ Slauicæ gentes, quindecim annis poſt anno 980. totaliter etiam in chriſtianum nomen tranſiuerunt, Imperatoris Baſilii ſorore, Anna, Wlodimiro Kyouienſium duci in uxorem data.

17. Vnde patet, *omnes has gentes Orientalis eccleſiæ ope conuerſas, chriſtianiſmoque ritu Græco initiatas fuiſſe, Bohemicam quoque.* Sed Papa Romanus,

ecclc-

Digitized by Google

eccleſiarum orbis iam tum inſidiator, ſub iuriſdictionem ſuam eas deducendi occaſiones obſeruare non intermiſit: quæ quales fuerint, paucis memorandum eſt, vel ſaltem Bohemorum reſpectu interim.

18. Initia ſalutis Bohemiae indigne ferens ſalutis hoſtis Satan, ſubornauit flabella ſua: per quos gentiliſmo pertinaciter adhaerens procerum & plebis pars in rabiem acta, primum quidem ipſum *Boriuogium* in exilium pepulit. Deinde vero, nepote eius *VVenceslao* cum auia *Ludomilla* martyrio ſublatis, *Bolesla um* ethnicis ſuperſtitionibus adhuc captum, ſubſtituit. A quo multi procerum, ſacerdotes vero omnes aut trucidati, aut captiuitati, aut in exilium acti, perque vicinas Germaniæ prouincias dilapſi fuerant: donec *Otto Imperator* cum exercitu ſuperueniens, furorem compeſcuit, Boleslaumque templa reſtituere, exules reuocare, filios autem Chriſtianis ſacris imbuendos tradere, coegit, anno 940. Ita ſub imperatoris primum Romani poteſtatem redacti Bohemi, mox etiam in Epiſcopi Romani caſſes inciderunt occaſione noua, quæ talis fuit.

19. *Boleslaus pius*, ſaeui illius filius, religionem chriſtianam valde propagare auidus, Epiſcopatum fundabat Pragæ, paſtorem nouo imbelli gregi quærens, virum aliqnem experientiæ magnæ. Commendatus ergo fuit, & electus, *Ditmaro Saxo*, relens fundati Archiepiſcopatus Magdeburgenſis Canonicus. Quem cum inaugurari eſſet neceſſe, adhibitus fuit Moguntinus Archiepiſcopus: qui nouo Epiſcopo noui populi leges præſcribens, etiam Papæ iuſſu, *Romanas Liturgias ſermone latino* tradebat. *Quo offenſi Bohemi, cultumque diuinum ignota lingua* peragi non ferentes, conſuetum circa ſacra vernaculæ uſum Romæ per legatos (*Bolchoſt*, *Myslibor*, &c.) quærere coacti ſunt, anno 977. impetraruntque. Sed quem illis, vno reuoluto ſaeculo, ereptum ibat Gregorius VII, Hildebrandus dictus, inhibitorio edicto ad Wratislaum Boh: ducem miſſo, anno 1097. Quod edictum verbotenus in hiſtoria perſecutionum eccleſiae Bohemicae extat capite V. A quo tempore eccleſiae Bohemicae cum Romana perpetua fuit lucta: hac ſuperſtitionum ſuarum iugum ſemper illi intentante, illa ſemper id excutiente, vſque ad infelix hoc aeuum noſtrum, quo ſuccubuit. Quod memorari breuiter, per maiora ſaltem, non abs re fuerit.

20. Integro poſt ſaeculo, cum imperatum iam alibi *Clericorum caelibatum* Bohemis quoque obtruſum mitteret *Coeleſtinus Papa*, legatus eius (*Petrus Cardinalis a Latauia*) tantum non lapidibus obrutus a Sacerdotibus & Praelatis Pragae fuit, teſtante id pontificio ſcriptore Hagecio, ad an. 1197.

21. Saeculo iterum elapſo, coepit opinio de Tranſſubſtantiatione, cum ſacrilega Euchariſtiæ ſub una ſpecie communione, Eccleſiis obtrudi. In Bohemia tamen non ante annum 1361. quum Carolus IV. Bohemorum, Rex ii

demque Romanorum Imperator) Epiſcopatu in Archiepiſcopatum mutato, academiaque Pragae fundata, Magiſtros & Doctores ex Germania, Gallia, Italiaque euocaſſet. Hi enim receptam alibi ſub vna communicandi conſuetudinem valide vrgere coeperunt: *nouationem illam Bohemis iterum aegre ferentibus, ſeſe ſtrenue opponentibus.*

22. Feruidior ceteris hic fuit vir nobili proſapia oriundus, Ioannes *Milicius*, Canonicus Pragenſis, in Cathedralis arcis templo conionator: *in tot contra apertum Dei verbum irrepentes abuſus vehementer*, cum collega *Conradi Stiekua detonans.* Quo cognito Papa, Gregorius XI, Bullam miſit, qua Milicius cum auditoribus anathemate percuſſus, Archiepiſcopo nouo Ernesto de Pardubiz, caſtigandus tradebatur. Hic ergo Milicium carceri impegit; ſed populi metu dimiſſum in exilium ire iuſſit, anno 1366.

23. Succeſſor illi datus *Matthias Ianouius* Pragenſis, Caroli IV. Confeſſarius: ſed qui deceſſoris fato nihil territus, communionem ſub vtraque animoſisſime propugnare perrexit, Caeſarique conuocandi concilii, ad tollendos tot irrepentes abuſus, auctor ſuaſorque fuit. At vero cum ea de re cum Papa agere coepiſſet Cæſar, irritatus Papa de coërcendis temerariis hæreticisque hominibus adeo inſtitit, vt Carolus auctoritate Pontificis dementatus, quamuis confeſſarium ſuum amaret, regno tamen excedere iuberet. Qui poſtea reuerſus quidem, ſed vitae reliquum priuatus exegit ad annum vsque 1394. quo fatis ceſſit. Reperitur, morti iam vicinum ſolatii loco amicis dixiſſe: *Praeualuit nunc adeurſus nos veritatis hoſtium furor, ſed non perpetuum id erit. Exſurget enim populus ignobilis ſine gladio & potentia, cui praeualere non poterunt.*

24. Non indignum erit memoratu, Bohemos non tantum ab intus agente Spiritu actos, ſed & ab aliis aliunde piis, Deſolationis abominationem notantibus, ſtimulatos fuiſſe. Nempe ex Pariſienſi atque Oxonienſi Academiis, quo ſtudiorum cauſa commeabant, ſcintillasque purioris Veritatis afferebant, in primis a *Johanne Wiklefo*: cujus epiſtolam (vltimo vitæ illius anno, 1387. ad Johannem Huſſum, tum adhuc juuenem, ſcriptam) quia in noſtris quibusdam adhuc conſeruatis antiquitatibus reperi, huc appono.

Salu-

Digitized by Google

Salutem, & ſi quid dulcius cogitari poteſt, in viſceribus IESV CHRISTI.

CAriſſimi in Domino Fratres, quos ego diligo in veritate, & non ego ſolus, ſed & omnes qui cognoverant veritatem. Illam dico veritatem, quae permanet in nobis, & nobiſcum erit in aeternum, per gratiam Dei. Gauiſus ſum valde, venientibus a vobis fratribus, & teſtimonium perhibentibus veritati veſtrae, quod & vos in Veritate ambulatis. Audiui frater, quomodo vos contriſtet Antichriſtus, multas & varias tribulationes fidelibus Chriſti inducens. Nec mirum, talia fieri apud vos, cum per totum iam fere orbem Lex Chriſti ab aduerſariis oppreſſionem patiatur, & draco ille magnus, rufus, multiceps, de quo Ioannes in Apocalypſi, emiſit ex ore ſuo poſt mulierem flumen magnum, ad abſorbendum eam. Sed fideliſſimus Dominus vnicam ſibi fidelem ſponſam ſuam certo eripiet. Corroboremur ergo in Domino Deo noſtro, & immenſa illius bonitate, firmiter credentes, quod non permittet ſuos dilectos in propoſito bono deficere, ſi modo illum toto corde, ſicuti debemus, dilexerimus. Non enim praeualerent aduerſitates, ſi non praeualeret iniquitas, nulla igitur afflictio aut preſſura pro Chriſto deiiciat nos: cum ſciamus, quod, quoſcunque in filios ſuſcipit Dominus, eos caſtigat. Vult enim Pater miſericordiae nos in praeſenti vita exerceri aduerſitatibus, vt nobis parcat poſtea: quia aurum, quod ſupremus artifex eligit, igne perpurgari vult hic, vt id poſtea in puriſsimo ſuo aeterno theſauro reponat. Videmus tempus, quod habemus hic, eſſe breve & tranſitorium: ſed vita quam in futurum exſpectamus, beata eſt & perennis. Laboremus igitur, quamdiu tempus habemus, vt in requiem illam introire inueniamur digni. Quid quaeſo aliud videmus in hac vita, niſi dolores & angores, & taedia, & quod fideles maxime afficere debet, legis diuinae contemtum & proculcationem. Enitamur ergo, quam maxime poſſumus, apprehendere permanſura illa bona, & aeterna, abnegatis ſenſibus noſtris tranſitoriis & caducis. Reſpiciamus conuerſationem patrum prioris aeui, videamus Sanctos vtriusque Teſtamenti, quomodo illi in hoc mari iactationes & aduerſitates pertulerint, carceres & vincula, lapidati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt. Circumiuerunt in melotis & pellibus caprinis, & alia, quae Epiſtola ad Hebraeos recenſet prolixe. Omnes viam anguſtam per veſtigia Chriſti euntes, qui dixit, *Vbi ego ſum, etiam ſeruus meus erit.* Nos ergo circumpoſitam habentes

Google

tantam nubem teſtium priſcorum ſanctorum,deponamus, quantum in nobis eſt, omne pondus, & circumſtans nos peccatum, & curramus per patientiam ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem & conſummatorem fidei noſtrae Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. Recogitemus illum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem,vt non fatigemur animis deficientes. Sed corde petamus auxilium a Domino, & contra illius aduerſarium viriliter pugnemus, Antichriſtum. Diliganus legem eius ex animo, & ne ſimus operarii fraudulenti, ſed in omnibus rebus,quantum dat Dominus, confidenter agamus, & in cauſa Dei ſimus ſtrenui, in ſpe praemii aeterni.

Tu igitur *Hus*, Frater in Chriſto valde dilecte, ignote quidem mihi de facie, non tamen in fide atque charitate (nam fines orbis terrarum non poſſunt diuellere eos, quos amor Chriſti copulat) confortare in gratia, quae data eſt tibi. Milita vt bonus miles Ieſu Chriſti, verbo & opere: & quos potes, reuoca in veritatis viam, quia nec propter erronea mendaciaque decreta, nec propter Antichriſti errores, detinenda eſt in ſilentio euangelii veritas. Potius debilitato Satanæ aſtu Chriſti membra conforta & ſtabili. Quia breui Antichriſtus, volente Domino, finem accipiet. Mihi hoc magno gaudio eſt, quod in regno veſtro, & alibi, Deus quorundam corda ita roborauit, quod & carceres, & exilia, & mortes, propter verbum Dei ſuſtineant cum gaudio. Quid præterea ſcribam, dilectisſime, non habeo: confiteor autem, vt libentisſime te, & vos omnes legis Chriſti amatores, in amore illo legis Dei corroborarem. Ideo eos ex intimis viſceribus cordis ſaluto; præſertim tuum in euangelio Chriſti comparem, rogans ut pro me & tota eccleſia Chriſti oretis. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium in ſanguine Teſtamenti aeterni,Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, aptet vos in omno bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram ſe, per Chriſtum, cui gloria in ſecula ſeculorum, Am.

25. Huſſus ergo Academiae Profeſſor,& poſtea, anno 1400. Academici templi *Betlehem* Praedicator factus, in illas impotenter iam irrumpentes abominationes inuehi, diuinique verbi gladium aperte ſtringere ſumſiit, magno populi applauſu, non Pragæ tantum, ſed & per totum regnum; praeſertim cum eodem anno M. *Hieronymus Pragenſis* ex Anglia redux Wiclefi libros ſecum attuliſſet, eademque parrheſia in ſchola, qua Huſſus in eccleſia errores conuelleret. Quibus piis conatibus, eccleſiam a ſuperſtitionum illuuie repurgandi, cum ſe Academici extranei, numero & ſuffragiis praeualentes, omni vi opponerent, Articuloſque Wiclefi condemnarent, Bohemi iſtis Papæ propugnatoribus de ſuffragiorum praerogatiua litem mouerunt, eam ſibi vt indigenis, non vero aliis vt extraneis, deberi, contendentes

dentes. Qua diſceptatione ad regem Wenceslaum, Caroli filium, delata, illo autem pro Bohemis pronuntiante, irati Germani agminatim Praga exceſſerunt, qua occaſione Lipſienſis & Erfurdenſis Academiae M. Huſſum crearunt, anno 1409.

26. Monachi a rege & academia deſerti, Archiepiſcopum inſtigant, obtinentque, vt ann. 1410. Iulii 16. Wiclefi dogmata iterum condemnata, librique ignibus addicti fuerint. Quam ignominiam academici alia ignominia vlti ſunt. Cum enim anno ſequente 1411. Papa Ioannes contra Neapolitanum Regem, claſſicum canens, *indulgentias* illis, qui pro eccleſia arma induerent, diſtribueret, quidamque ex his nugiuendis Pragam appuliſſet, & Cruciata illa per Monachos e Cathedris pronuntiaretur, non ſolum aliquot pii e plebe publice iis reclamarunt, ſed & poſtridie *M. Hus aduerſus ſuperſtitioſas indulgentias theſes propoſuit, illorumque vanitatem publice oſtendit.* Sed cum ille nihilominus pergeret, ſtudioſorum cohors, impetu facto Bullas ei eripiunt, quendamque e medio ſui meretricio habitu indutum carro imponunt, bullis pectora exornant, circumuehunt, acclamant: Meretrice interim blandiſſimis verbis & geſtibus circumfuſam turbam ſibi alliciente, benedictionesque diſtribuente. Tandem in medio foro bullas omnes, cum multis papalibus & Praelatorum literis, comburunt.

27. His omnibus irritatus Papa Huſſum Romam citat: qui cum, diſſuadente academia proceribusque, non compareret, Papa (Ioannes XXIII.) de non celebranda Pragae Miſſa, ob praeſentiam contumacis praeuaricatoris Huſſi, interdictum mittit. Ibi Magiſtratus furere, vulgus in contraria ſtudia ſcindi, omniaque aeſtuare ac turbari, Huſſus videns, Praga vltro excedit, oppidatimque verbum Dei docet, vsque ad tempus, quo Conſtantiam, de doctrina ſua rationis reddendae cauſa, euocatur, Caeſareis de ſaluo conductu litteris munitus. Vbi qualiter a Romanae Synagogae conciliabulo exceptus fuerit, norunt hiſtoriae: nempe quod anno 1415. Iulii 6. *Huſſus*, *Hieronymus* vero 1416. Maii 30. combuſti ſint, &c. Videantur Martyrologia.

28. *Opera Huſſi* edita poſt fuerunt Noribergae in fol. latine. Sed Otho Brunsfelſius edidit praeterea in quarto, dedicatione ad D. Lutherum directa, alia quaedam manuſcripta nactus. Nempe,

1. *De Anatomia Antichriſti*, liber vnus.
2. *De Myſteriis iniquitatis Antichriſti.*
3. *De Reuelationibus Chriſti & Antichriſti.*
4. *De Abolendis Sectis & Traditionibus hominum.*
5. *De Vnitate Eccleſiae, & Schismate vitando.*
6. *De Euangelica perfectione.*

7. *De pernicie Traditionum humanarum.*
8. *De Regno, Populo, Vita & Moribus Antichriſti.*
9. *Cum aliis nonnullis fragmentis.* Vt,
 (1) De contentione in diſputatione vitanda.
 (2) Quod Apoſtoli manibus laborauerunt, pauciſſimis contenti.
 (3) Quid ſit, diſcedere a Fide.
 (4) Explanatio illius Gen. XLIX. *Fiet Dan coluber*, &c.
 (5) De abominatione deſolationis.
 (6) De myſterio Ioſeph & Pharaonis.
 (7) De comparatione malarum mulierum cum Antichriſto.

Extant quoque idiomate Bohemico, quae latine non extant. Vt *Poſtilla ſuper Euangelia Dominicalia*, plena Spiritus & Zeli aduerſus omnimodas in Chriſtiano populo corruptelas, &c.

29. Truculentiam Papæ in tractandis (contra datam fidem) Doctoribus ſuis indigne ferentes *Bohemiæ ac Morauiæ proceres*, totius communitatis nomine litteras dant ad concilium (appenſis ſigillis circumcirca, & ſubſcriptas manibus) *expoſtulantes paſtorem ſuum, virum innocentem, pium, ſanctum, fidelemque veritatis Doctorem, iniuſte condemnatum eſſe.* Dabantur 1416. 21. Septemb. Pragæ, (quas litteras ipſo authentico exemplari in Aberdonenſis Academiæ Bibliotheca hucuſque aſſeruari, fide dignos habeo teſtes) Synodus illis non reſpondit: ſed ad alios, quos Romanis ſuperſtitionibus adhuc dementatos, inque præminentia conſtitutos ſciebant (nominatim *Ioannem de Michelsberga, Alſcum Scopek de Dubba, Albertum de Koldiz, &c.*) ſcripſerunt: orantes et obteſtantes, haberent ſibi Romano catholicam eccleſiam commendatam, conciliique legato, Ioanni Litomyſſeno Epiſcopo, in opprimenda hæreſi adiutores eſſent. Datæ erant Conſtantiæ Anno 1417. 22. Martii.

30. Ita Bohemis a concilio in diffidia mutua armatis, contentiones, rixæ, odiaque exacuebantur in dies magis magiſque. Promulgabant ſacrificuli e cathedris in Huſſitas excommunicationem, eoſdemque diris deuouebant: perſequebantur etiam, per vim templa eripientes, vbicunque poterant. Quæ res anno 1419. 30. Iulii, Pragæ tantum dedit tumultum, vt concitata plebe XII. antiquæ Pragæ Senatores, cum Prætore ciuico, per feneſtras prætoriæ domus præcipitati, haſtarumque cuſpitibus excepti fuerint.

31. Mox autem Wenceslao Rege ſine hærede mortuo, Sigiſmundus frater, Hungarorum & Romanorum Rex, regnum accipit, perque delegatos (ipſe non ingreſſus niſi poſt cum exercitu) varia ordinabat, quæ ad minuendam conſcientiarum libertatem facerent. Vnde factum, vt *Huſſitæ* (ita iam dicti) Ioannem a Trutnovv (nobili genere ortum, in Regia educatum, belloque exercitatum, & quia oculum amiſerat *Ziſca*, id eſt monoculus, dictum)

ducem

ducem ſibi eligerent, qui formidabilia geſſit, vt ex hiſtoriis notum. Hic vero cum ſuo exercitu in ſaxoſo quodam monte, decem a Praga milliaribus, caſtra ponens, muro eum cingi, ciuitatemque fundari fecit, armis etiam ſi opus foret (fuit autem) defendendam: quam Tabor (id eſt caſtra) appellarunt.

32. Tametſi enim electus a Conſtantienſi concilio Pontifex nouus (*Martinus V.*) *blandis ad Bohemos datis* 1418. litteris, *ad renuntiandum VVicleficis Husſiticisque erroribus inuitabat*: poſt tamen 1420. excommunicatione aduerſus eoſdem Florentiæ publicata, Cæſarem, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Præfectos, Ciuitates & Reſpublicas, ad arma contra eoſdem inuitans & incitans, per vulnera Chriſti, perque ſalutem cuiuſque orabat, vellent viribus *coniunctis eos aggredi, ſacrilegamque & maledictam gentem exterminare penitus.*

33. Quo incentiuo Sigiſmundus Cæſar inflammatus, tota cum Germania viciniſque Regnis, miniſtrum ſe Antichriſtianæ tyrannidi præbuit, moxque eodem anno valido cum exercitu Bohemiam ingreſſus, eam, bellis in decimum tertium annum continuatis, fatigauit. Atque hæc *bella Husſitica* dicta ſunt: de quibus AEneas Syluius (poſtea Papa Pius II. dictus) ſcripſit, *plus admirationis quam fidei habitura apud poſteros*: quia nullo prorſus ſucceſſu ab illorum parte geſta ſunt, Ziſca Bohemorum duce, & ſucceſſoribus eius, ſemper ſuperantibus.

34. Sed & domi res Bohemorum confuſiſſimæ erant: cum quidam a Cæſare & Papa ſtarent, alii calicem defenderent, in mutuas cædes valide inflammati, cum horribili immanitate. Maxime ſæuitum fuit a Papiſtis in viros aduerſus ſuperſtitiones ceteris Zeloſiores: vt in hiſtoria perſecutionum eccleſiarum Bohem. cap. X. & ſequentibus narratur, variaque martyriorum exempla recitantur.

35. *Paſſi itaque fuerunt inter ſeipſos ſchiſma Bohemi*: *potiore illorum parte degenerante, veroſque fideles perſequi iuuante.* Inerat quidem omnibus Antichriſti oppugnandi, Magiſtri Huſſi exemplo, ardor: ſed cum ab eius morte inſigni aliquo, prudenti & animoſo duce, qui concitatam plebem ordine aliquo certo contineret, deſtituerentur, factum eſt, vt in contraria abierint ſtudia, atroceſque inter ſeipſos concitarent diſſenſiones. Vulgus enim, plebis & Cleri, in ſolum calicem intenti (inde Calixtini dicti) reliqua M. Huſſi dogmata ſecure negligere; Taboritæ vero, inter quos eminebat *VVenceslaus Coranda, & Nicolaus Epiſcopius*, viri excellentes, cum aliis paucis, ſimplicitatem ac puritatem in omnibus articulis & ceremoniis vrgere, coeperunt. *Clamabant illi, ab eccleſiæ ritibus in omnibus ſecedendum non eſſe: clamabant hi, nullas ſuperſtitiones tolerandas eſſe.*

36. Admiſcebant vero ſe perſonati quidem, qui Papæ & Cæſaris cauſam promoturi, diſſenſiones mutuas promouebant, & in puriorum dogmatum ſectatores odia plebis concitabant, exoſo *Piccardorum* nomine traducentes. Piccardos autem nominabant Valdenſes: qui ante illa tempora e Gallia pulſi in Auſtria conſederant, & fædiſſimorum hæreticorum nomine iam innotuerant. Reperti quoque ſunt, qui *Ziſcam*, Taboritarum ducem dementarunt, ut Calixtinis accederet, Piccardosque dictos ferro & flamma, aeque vt Pontificios ipſos perſequeretur. Ita tumultarie omnia vbique acta.

37. Non mirum profecto fuiſſet, ſi eos tunc diſcordes Pontificia factio exterminaſſet penitus. *Sed mira Dei bonitas, quae humanam ſtoliditatem, tam ſapienter temperare nouit, vt nec hoſtes, nec amici de ſe ipſis quicquam gloriari habeant.* Quoties enim domi diſſidentibus Bohemis Caeſar cum exercitibus imminebat, toties illi pace inter ſe inita communem cauſam communibus armis tutati ſunt, Ziſca & Procopio Taboritarum duce potiſſimum res gerentibus: Deo autem miraculoſos ſucceſſus & victorias concedente.

38. Caeſar igitur cum Pontifice vt armis nihil profici animaduerterunt, ad dolos conuerſi Baſileam conuocato iterum, anno 1432. Concilio, Bohemos ad amicam diſſenſionum transactionem placidiſſime inuitant, de ſecuritate publica quoquomodo vellent, ſatisfacturi. Miſſi itaque ad Concilium ſunt Legati: inter quos praecipuus fuit *Ioannes Rokyzanus* Pragenſium, & *Nicolaus Epiſcopius* Taborenſium, Theologi: e proceribus vero *Procopius Holy, Taboritarum dux, Wilhelmus Koſtka Baro de Puſtupiez*, &c. Vbi humaniter excepti, & de poſtulatis interrogati, obtulerunt quatuor articulos, eos ſibi permitti rogantes, aut defenſuros eſſe. Erant autem articuli ita concepti,

I. *Vt calicis vſus plebi reſtituatur & ſacra omnia lingua vernacula peragantur.*

II. *Clerici ne ſeculariter regnent.*

III. *Verbum Dei libere doceatur.*

IV. *In peccata publica publice animaduertatur.*

Interroganti Papae legato, *annon plura haberent? narrari enim, eos credere, Ordines Monachorum a Diabolo eſſe?* Reſpondit Procopius: *vnde igitur eſſe poteſt, quod neque a Patriarchis aut Prophetis, neque a Chriſto & Apoſtolis, inſtitutum eſt?* &c.

39. Deputati poſtea ſunt ab vtraque parte, qui de propoſitis articulis diſputarent: diſputatumque eſt totos quinquaginta dies. *Vbi cum confutari non poſſent Bohemi, ad amicam compoſitionem ventum eſt*, omniaque, Rokyzano Archiepiſcopalis dignitatis ſpe dementato, reliquosque legatos dementante, ita transacta, *vt Bohemis articuli concederentur, illi autem ad obedien-*

tiam

tiam ſedis Romanae redire, eiusdemque ritus obſeruare, polliciti ſint. Transactionem hanc appellarunt COMPACTATA: *miſiique ſunt in Bohemiam a Concilio & Caeſare legati, qui, Bohemos in Eccleſiae gremium eſſe receptos, charosque haberi filios, declararent.* Ibi conuocatis comitiis, Rokyzanus, quam ex voto obtinuiſſent ea, pro quibus dimicando tantum ſanguinis effuſum eſſet, in tantamque vaſtitatem regnum deueniſſet, magnifice exponit: longe aliter nunc de Pontifice & Caeſare, quam olim, cum eos meretricem beſtiamque apocalypticam appellarent, verba faciens.

40. *Doluit permultis, maxime vero Zelotis Taboritis, iſto modo ab Huſſi veſtigiis recedi, & in Antichriſti caſtra rediri: reclamabant quantum poterant, ventumque eſt ad arma iterum.* Vbi Taborenſes ſuccubuerunt, totaque eorum bellica vis concidit penitus: vt poſtea non niſi verbi gladio & patientia ſeſe defenderent. Factum anno 1434.

41. Anno 1435. publicis Comitiis ſollenniter in *Archiepiſcopum electus fuit Rokyzanus:* ſed qui conſecrationem ſui ſollenni ritu a Caeſare impediri, ſeque deludi aegre ferens, rurſum cum factione ſua & imperatoriam iniquitatem, & Papalem dominationem, inſectari coepit: metuque Caeſaris tandem Praga ſe ſubduxit, annis fere tribus. Sigismundus enim Paulo poſt obiit, & Albertus ſucceſſor, intra biennium: relicto Ladislao, filio poſthumo, qui apud Fridericum Imperatorem educabatur.

42. Hic interregni tempore, & multo magis, cum *Ladislao extincto Georgius Podebradius*, quem Rokyzanus plane in manu hahebat, *ſuccederet*, coeptum eſt maxime impleri illud Prophetae; *Manaſſes Ephraimum vorabit, & Ephraim Manaſſem, ambo autem contra Iudam erunt.* Papa enim in Georgium & Calixtinos interdictis, cenſuris, exſecrationibus, deſaeuiebat, non ſegnius illis in Papam & Monachos debachantibus: ſed veri fideles premebantur vtrinque, donec Taboritarum reliquiae dolo & vi oppreſſae fuerunt.

43. Rokyzanus enim blandiſſime eos (per ſe & alios) alliciens, *adhuc ſe cedere paratum ſimulabat, ſi penes ſe puriorem eſſe veritatem demonſtrauerint. Nec ſe cupere eius cauſae ſe ipſum, aut ſuorum quenquam conſtituere iudicem*: ſed permittere, ordines in publicis Comitiis de ea cognoſcant & pronuncient. Annuerunt Taboritae, cauſae bonitati freti, ad comitiaque comparuerunt. Vbi poſt multas diſceptationes *Arbitri delecti*, qui definitiuam ferrent ſententiam, Comitiorum auctoritate ita confirmandam, vt neutri parti amplius prouocare liceret, ſed illico ſe alteri parti adiungere teneretur. Qui cum pro Rokyzano (res enim compoſitae erant) pronunciaſſent, *boni & ſimplices Taboritae dolo ſe circumuentos tandem agnouerunt: pactis tamen contraria non audentes*, conſenſum in ritibus polliciti ſunt. Cum autem domum reuerſi Eccleſiam reformare, hoc eſt eam ſuperſtitionibus denuo mergere, differ-

ferrent, Prorex Georgius cum exercitu interueniens, vrbem obſidione cinxit, ciuesque deditionem facere, & ſacerdotes ſuos eius poteſtati tradere, coegit. Quos ille in arce Podebrad & Lititz carceribus aeternis mancipauit, Martino Lupacio cum aliis quibusdam ad Rokyzanum tranſeunte.

44. Cum autem per aliquot annos Bohemi Archiepiſcopi inueſtituram fruſtra ſollicitaſſent, Papa vero *id niſi calici renunciaret Rokyzanus*, abnueret (quinimo Cardinale de S. Angelo Pragam, Anno 1448. miſſo, ſub tractationis ſpecie *Compactata* ſubduci iis, eripique, iuberet: cum quibus ille clam profugerat quidem, ſed e fuga retractus ea reſtituere coactus eſt.) *Rokyzanus reſumpto in Papam odio, cum ex Apocalypſi & Daniele magnum illum Antichriſtum nosque* (inquit) *niſi ab obſequio eius ſeceſſerimus, miſeram & damnatam eſſe turbam, demonſtrabat: pro religionis forma non compactata, ſed legem Chriſti, habendam: omnia Papae tanquam contaminata deſerenda, omnia e fundamentis Apoſtolicis ab integro excitanda eſſe dictitans. Verbo, ita detonabat in Antichriſtum, vt plerique alterum Huſſum crederent, plenaeque reformationis ſpes affulgere viſa.*

45. Sed cum admoueret operi manum, cordatiores ex auditoribus, inter quos vel primarius fuit *Gregorius, Rokyzani ex ſorore nepos, vir nobilis, collatis conſiliis Rokyzanum adeunt, angores conſcientiae detegunt, conſilium petunt.* Ille amice excepit, Zelum collaudauit, tractatus quosdam, contra irreptitias in Eccleſiam abominationes, legendos obtulit eoque modo magis inflammauit: ſilentium tamen ſuadens, & patientiam. Cum iterum & tertio auctiores iam numero inſtarent, vt quot verbis doceret, reipſa exhibere ne differret, reſpondit: *magnae molis eſſe negotium, pracipitanter hic nihil agi poſſe, &c.*

46. *Moliebatur interim Rokyzanus in Papam quicquid poterat, etiam cum Eccleſia graeca conſenſum.* Cum enim Florentinae ſynodi decretum, quo Bohemi denuo ceu haeretici, ab Eccleſia abalienabantur, promulgatum eſſet, acta ſunt Pragae Anno 1450. Ordinum comitia, ſacerdotumque ſynodus: atque hic *Rokyzani conſilio, communi autem Ordinum & cleri conſenſu, prouocatio facta eſt ad Eccleſiam Graecam, & legati cum litteris Conſtantinopolim miſſi.* Graeci capita doctrinae a legatis audiuerunt, & de conſenſu mutuo laetati ſunt, datisque ad Bohemos literis eos in fide confirmarunt, addita *promiſſione de ordinandis eis eccleſiae miniſtris.* Sed haec cum lentam praeberent ſpem, *Rokyzanus iterum ſuos animare, publiceque ſpem iamiam appariturae Reformationis facere.* Dicebat enim, abuſus varios taxans; *nos ſuperficiem premimus, ſed prodibunt breui, qui fundamenta veritatis e profundo eruent.*

47. Cum ita pias animas ſeptimum in annum produceret, rogatus iterum conſilium, dixit: *luſtraſſe iam animo omnia, nec quid ſtatuat reperire, niſi*

Digitized by Google

vt ſeceſſio fiat, tam a Calixtinis quam a Papiſtis, in vniuerſum. Omnia enim ſcatere abominationibus, & immedicabile eſſe hoc malum: cui ſimile conſilium Lupacii quoque fuit. Cum dicerent: *ſecedamus igitur, te ducem, te doctorem, te patrem agnoſcemus, venerabimur, ſequemur. Duram offertis prouinciam*, reſpondit: *audaces nimium eſtis: res plena periculi eſt*; & ſimilia.

48. *Expugnata interim a Turcis Conſtantinopolis fuit*, anno 1453. diſperſorumque Græcorum duo Pragam ingreſſi, humaniter a Rokyzano excepti, Miſſamque, poſt multa de religione colloquia, celebrare permiſſi ſunt. Vbi *cum appareret, æque apud illos ſuperſtitionibus obrutam eſſe fidei ſinceritatem*: boni illi Zelotæ magis accendebantur ſpiritu, quem fugerent videntes, quem ſequerentur non habentes.

49. Denuo igitur Rokyzanum adeunt, perque gloriam Dei obteſtantur, *vt animarum ſuarum, ſeductæque plebis miſertus, ſe in tanto ſalutis diſcrimine ne defereret*. Ille autem bonus vir cum non tantum haberet virium, vt poſthabita Archiepiſcopalis gloriæ, licet vana, ſpe, cum populo Dei ignominiam & crucem eligeret, indignabundus iam importunitatem exprobrare, rogareque, vt a ſe miſſo facto ipſimet ſecederent: ſe illis a rege *Georgio Podebradio*, qui vt corona potiretur, Papae obedientiam iurarat, locum aliquem vbi ſecure degere, & pura conſcientia Deo ſeruire poſſent, impetraturum.

50. Impetrauit igitur *Ditionem Liticenſem*, in montanis Sileſiae vicinis quo mox Pragenſes illi ciues, Baccalaurei, Magiſtri, ſeſe contulerunt, alii vero aliunde, plebeii & nobiles, docti & indocti, non exiguo numero confluxerunt, ſcripturarum lectioni, precibus, & operibus pietatis intenti. Paſtores habebant e Calixtinis, qui ſuperſtitionibus relictis ad Apoſtolicae ſimplicitatis formam ſeſe componebant: quorum praecipuus fuit *Michael Bradacius*, Paſtor Zambergenſis, pius ac deuotus ſenex. Illi omnes in vniuerſum ſeſe mutuo, Chriſtianis communi, piis amabili, nomine FRATRES & SORORES compellare coeperunt: quod & obtinuit, vt illis fratrum Bohemicorum, κατ' ἐξοχὴν, titulus eſſet attributus, & hucusque.

51. Coeperant quidem ſe *fratres legis Chriſti appellare*: tum ad diſtinguendum ſe ab ordinibus Papalibus (*ordinis Benedictini, ordinis Franciſcani. &c.*) tum ad inſiſtendum fundamento magiſtri Huſſi, *legem Chriſti ad regimem eccleſiæ militantis ſufficere, &c.* Verum poſtquam id in calumniam trahi (*nouum fundari Monachatum* clamantibus aduerſariis) viderunt, deſeruerunt; *vnitas fraternæ eccleſias, ſiue* VNITATEM FRATRVM, ſeſe cognominando, haud male. Sicut enim ECCLESIA *cætus eſt euocatorum e mundo, ad ſalutem in Chriſto fide participandam, mutuæ charitatis legibus colligatus: ita* VNITAS *eccleſiaſtica nobis eſt cætus eccleſiarum, propter mutuam in communi ſalute ædificationem mutuæ dilectionis*

dilectionis legibus colligatus. Ad mentem omnino ſpiritus ſancti, Pſ. CXXXIII. Epheſ. IV. & vbiuis per ſcripturam expreſſam.

52. *Diſplicuere Satanae, haec ad Euangelii leges reformari coeptae Eccleſiae primordia: nouam igitur & atrocem excitauit, quae eam obrueret, tempeſtatem.* Penetrante enim paſſim huius rei fama, Sacerdotes vbique in iſtorum odia plebem ſtimulabant: *ſuffocate*, clamitantes, *ſuffocate ſcintillam, ne in flammam abeat.* Ipſe Rokyzanus (quod mireris) hoſtilem induit animum, impiæ temeritatis eosdem accuſans. Non enim deerant, qui ad regem & conſiſtorium variis nominibus deferrent.

53. Factum ergo fuit, anno 1461. cum frater Gregorius cum aliis quibuſdam ſuos Pragæ viſitaret, & in domo quadam cœtum haberent, vt proditi & capti fuerint: vbi hoc notabile accidit. Ingreſſus prætor in limine hypocauſti conſtitit, & ſcripturæ verbis eos alloquens: *Omnes, qui pie viuere volunt in Chriſto Ieſu* (dixit) *perſecutionem patientur. Vos proinde qui hic eſtis, ſequimini me ad carcerem.* Erat enim vir probus, de fratrum propoſito non male ſentiens: ſed ob ſuperiorum iuſſum aliter non potuit.

54. Rex malorum obtrectationibus, ſeditionem fratres aliquam Taborenſium, vt aiebant, exemplo moliri credens, *iuſſit virum ſanctum Gregorium* torturæ ſubiici. Ille vero in profundum, ſiue lipothymiam, ſiue ecſtaſin, prolapſus, nullos ſenſit dolores; & a tortoribus pro mortuo habitus de fidicula depoſitus fuit. Ad quem auunculus Rokyzanus ingreſſus, poſtquam in tortura extinctum accepiſſet, multis lacrymis deflebat: *vtinam tuo loco ſim, o mi Gregori*, ingeminans. Ille autem ad ſe poſtea reuerſus viſionem, quam interea viderat, recenſuit. *Introductum ſe fuiſſe in pratum amæniſſimum, in cuius medio ſtabat arbor fructibus onuſta: quibus varii generis aues, frondibus inſidentes, paſcebantur. In medio vero earum adoleſcens calamo ita eas regens, vt nulla extra ordinem ſe proripere auderet, ſtabat.* Quo oſtento proculdubio Deus iſtius eccleſiolae, cuius ille velut Patriarcha fuit, imaginem illi exhibere voluit. Vidit vero & alios tres viros, eiuſdem arboris veluti cuſtodes; quos ſexennio poſt iiſdem vultuum lineamentis reipſa cum per ſuffragia primi Antiſtites eligerentur, conſpexiſſe, & agnouiſſe, teſtatus eſt.

55. Enimvero dimiſſo, Rokyzani interceſſione, Gregorio, *diplomata regis iuſſu dimiſſa ſunt, omnibus paſtoribus ſacrorum ſine ceremoniis celebrationem inhibentia: & quicunque ſine ceremoniis fratribus, iam odioſo Piccardorum nomine inſignitis, adminiſtrare auderet, capitis pœnam denuntiantia.* Fratres itaque in anguſtiis conſtituti, ac velut oues paſtoribus deſtituti, iterum atque iterum *ad Rokyzanum confugiunt, per gloriam Dei, perque ſalutem ſuam obſecrantes, ne cauſam, quam Dei eſſe ſciret, deſereret: neque multorum ab erroribus conuerſionem, ad quam eſſent paratiſſimi, exemplo ſuo impediret; nec agnitam veritatem, quamcun-*

que

Digitized by Google

que ob cauſam, in iniuſtitia detineret. Caput eſſe totius in regno cleri, redditurum pro omnibus Deo rationem: & ſimilia. Vt autem induratum viderunt, valedixerunt tandem,poſtremae epiſtolæ his inſertis verbis: *Rokyzane, mundus es, & cum mundo peribis, &c.*

56. Quibus ille irritatus regem aduerſus eoſdem denuo exaſperauit: prodieruntque noua regis & conſiſtorii nomine diplomata; *Ne vſquam in Bohemia & Morauia exitioſi illi homines tolerarentur.* Quamuis enim non deerant, qui capiendos & morte afficiendos vellent, *Iodocus* tamen *Roſenbergius, VVratislauienſis Epiſcopus*, diſſuadebat; ratione addita, *martyrium eſſe ſemicrudam aſſaturam, ex qua facile vermes naſcantur*; (martyriis fideles multiplicari innuens:)commodius reuocari poſſe, ſi proſcribantur vndique. Vbi enim neſcierint quo ſe vertant, inquiebat, redibunt ad mentem ſanam.

57. Hac in fratres acri vbique inſtituta inquiſitione, factum eſt, vt plerique illorum, præſertim *primores, per montes & ſyluas diſperſi ſpeluncas inhabitarent: ne ibi quidem ſatis tuti. Ideo focos, in culinæ vſum, non niſi noctu* (ne aſcendens fumus proderet)*excitari auſi: & circa ignem in frigore acri aſſidentes ſcripturarum lectioni, & colloquiis piis, vacabant. Quotiesque niue alta ad neceſſaria comparandum prodibant, ne agnoſcerentur per veſtigia, eadem premebant omnes, vltimus vero fronde abiegna poſt ſe tracta opplebat niue; vt non niſi veſtigium ruſticelli arbuſtum trahentis videri poſſet.* A qua latebrarum inhabitatione poſtea per ludibrium ab hoſtibus *Iamnici*(id eſt, ſpeluncales)dicti fuerunt.

58. *Conſtituerunt vero inter ſe ordinem quendam fratres illi, electis per ſuffragia ſenioribus: quibus rerum directione permiſſa, obſequium promiſerunt.* Atque horum conſilio euocatis(e diſperſione per Bohemiam & Morauiam)præcipuis, *Synodos* etiam in montibus illis celebrarunt, certaque condiderunt ſtatuta. *Quomodo nimirum inter ſe, & erga alios, amicos & inimicos, regem etiam & omnes magiſtratus, gerere ſe deberent, & ſimilia*: ſæpius preces & ieiunia ſibimet & diſperſis indicentes, & de iis quæ ad pleniorem vitæ & doctrinæ reformationem requirebantur, ex verbo Dei conſultantes.

59. Maxima illis anxietudo fuit de *animarum paſtoribus*, vnde hos eſſent habituri, poſtquam, quos in præſens habebant, deceſſiſſent. *Expectare, dum Romanæ ordinationis aliqui veritatis amore ad ſe tranſirent, res erat incertæ ſpei. Et meminerant, Rokyzanum toties proteſtatum, a fundamentis reintegranda eſſe omnia. Domi ergo erigendam eſſe ordinationem, poteſtate ea quam Chriſtus eccleſiæ dediſſet: vt quamdiu ordinatos adhuc inter ſe haberent, illi ipſi ordinent alios, & hi rurſum alios, ſibi ſucceſſuros.* Inclinabant ſane iſtuc vt deſideria, ſic & ſententiæ: ſed quaſſabat animos metus, *an ſatis legitima foret ordinatio, ſi presbyter presbyterum crearet, non vero epiſcopus? Et quomodo talem ordinationem, ſi lis moueatur, defenſuri eſſent, ſiue apud alios, ſiue apud ſuos?*

60. Tandem poſt anxias annorum aliquot deliberationes, *conueniunt*, 1467. *e tota Bohemia & Morauia primarii quique viri, circiter ſeptuaginta, multiſque ad Deum fuſis & lacrymis & precibus (vt, num propoſitum placeret, & num iam tempus eſſet, oſtendere dignaretur) voluntatem Dei ſorte experiri conſtituunt.* Eligunt itaque e medio ſui, per ſuffragia, viros nouem, quos Miniſterio ſuſcipiendo prae caeteris iudicabant idoneos: datiſque in manum pueri (in cœtum accerſiti, & quid fiat ignorantis) ſchedulis occluſis duodecim, diſtribui inter nouem iſtos iuſſerunt. Erant autem illorum nouem vacuae: tribus duntaxat inſcriptum fuit, EST: ſcilicet *voluntas Dei*, quam ſibi revelari petebant. Fieri ergo potuit, vt omnes nacti fuiſſent ſchedulas vacuas: quod indicium negatiuae Dei voluntatis futurum erat. Sed factum eſt, vt ſcriptae illae tres venerint in manus trium inter eos, *Matthiae Kunwaldi, viri piiſſimi, Thomae Prelaucii, viri docti, & Eliae Krenouii, ſingulari quadam ſolertia conſpicui.*

61. Hos illi cum gaudio tanquam diuinitus ſibi datos amplexati, de *confirmatione* illorum, ſeu *ordinatione noua conſilia ceperunt.* Cumque in confiniis Morauiae & Auſtriae Waldenſium quoſdam eſſe ſcirent, vt omnino ſcrupulis conſcientiae, ſuae & alienae (in praeſens & in futurum) conſulerent, ad illos *Michaelem Zambergium* cum aliis duobus miſerunt: qui quid actum eſſet explicarent, iudiciumque de eo peterent. Inueniunt illi Epiſcopum eorum *Stephanum*: qui accito Epiſcopo altero & aliquot e Miniſtris, originem ſuam, Doctrinaeque ſuae articulos, & quid hactenus " horrendi per Italiam & Galliam paſſi eſſent, explicant: rurſumque no-" ſtrorum de ſeceſſione a Papa & Calixtinis relationem audiunt, approbant," congratulantur; quinimo tribus illis Miniſtros creandi poteſtate collata," manuum impoſitione Epiſcopos creant, & ad ſuos remittunt."

62. Noſtri cum gaudio iſta percipiunt, & *Vnitatis Chriſtianae auidi; num in vnum populum, vnamque Eccleſiam, cum Waldenſibus coaleſcere poſſent, deliberant.* Placuit doctrinae puritas, vitaeque Chriſtianae ſtudium, ſumme. Diſplicuit autem quod veritatem occultarent, nec profiterentur libere: quin euitandi perſecutiones ſtudio, Papiſtica templa frequentarent, ſacriſque idololatricis communicarent. Concluſum, *monendos eſſe de hoc, vt & aliis quibusdam.* Miſſis itaque denuo viris idoneis, Waldenſibus illa exponunt: qui placere ſibi propoſitam de vnitate ineunda teſtantur, vitia expoſita ſe nec ignorare nec defendere dicunt, *fateri potius a priſtina Patrum ſuorum puritate ſeceſſum eſſe, de emendatione itaque cogitaturos.* Conuenit vtrinque, vt certo tempore conuenirent, & de negotio hoc plenius conſtituerent. Sed antequam tempus illud adeſſet, Papiſtae re prodita in bonos Waldenſes ſaeuire incipiunt. *Stephanus Antiſtes Viennae igni perimitur*, reliqui huic in-

de

de (plerique in Marchiam, indeque poſtea in Morauiam, præſertim Fulnecam, delati) diffugiunt.

63. Atque ab hac fratrum Bohemorum cum Waldenſibus actione ortum eſt, quod poſtea Waldenſium quoque titulo inſigniti fuerint: ſed" quem illi nunquam admittere voluerunt, per errorem ſibi tribui ſaepius pu-" blicis ſcriptis conqueſti. Id autem tum veritatis, tum neceſſitatis cauſa. *Veritatis*, quia non ab ipſis doctrinam mutuarant: nec ipſis auctoribus vnitatem fundarant, nec ab ipſis reformati erant, reformari potius a ſe illos, in illis quibusdam noxiis defectibus, cupiebant. *Neceſſitatis* vero: quia lata & publica in Waldenſes a magiſtratibus decreta in ſe non deriuanda, vitanda potius, prudenter exiſtimabant. Ordinandi tamen poteſtatem, eoque externam ſucceſſionem, a Waldenſibus ſe accepiſſe, nunquam negabant: licet & hanc aliquando prudenter, pro temporis ratione, ſilentio præteribant.

64. Waldenſium vero illius Auſtria perſecutionis conſortes voluit eſſe Deus fratres in Bohemia: contra quos anno ſequente 1468. Georgius rex (ſolenniter ad comitia conuocatis ordinibus) ſanguinolentum tulit decretum: vnumquemque procerum in territorio ſuæ ditionis debere dare ope-" ram, vt quoscunque poſſet a Piccardis comprehenderet, & in captos pro" re nata & arbitrio animaduerteret, ad ſeceſſionem hac ſeueritate coercen-" dam. Fuerunt igitur perſecutiones acres ad mortem vſque Georgii, anno" 1471. Martii 22. quam Rokyzani mors diebus 15. præceſſerat, halcyoniaque" redire viſa, Deo mirabiliter puſillum hunc gregem protegente. Qua ratio-" ne Matthiæ Ianouii, integro ante ſeculo fatis functi, de ſurrecturo populo" ignobili, ſine gladio & potentia externa, cui veritatis hoſtes præualere non" poſſent, vaticinium fuit impletum."

65. Succeſſit enim Georgio Wladislaus Polonus, princeps mitiſſimus: ſub quo res futuræ erant quietiores, niſi aduerſarii ſtimulaſſent, diu tamen fruſtra. Nam tametſi ſecundo mox regni anno 1472. ad exterminandum eos" edicta parari permitteret, accepta tamen fratrum Apologia, & ſupplicatio-" ne, vt fideles & quietos ſubditos, nihil niſi Deo & regi ſuo, omnibusque" hominibus in bonum placere quaerentes, in natali eorum loco ferret, mox" inhibuit, ſicut & poſt aliquoties: ad annum vſque 1508. vbi ſanguinolentum id genus inſtrumentum admodum reluctanti extorſerunt: ſine effectu tamen qualem intendebant. (Inter alia flabella fuit *Bohuslaus a Lobkovvitz, Baro Haſſenſteinius*, orator & poeta ſui ſeculi clariſſimus, regi a conſiliis ſecretis. In cuius epiſtolarum libro IV. ad regem 1497. ſcripta hæc leguntur:" maxime illud me angit, quod perfidia hæc, quæ ſub rege Georgio & Rokit-" ſano, tametſi hæreſeos accuſatis, ne hiſcere quidem audebat, nunc ſub re-"

 ge"

„ge Catholico & radices agit, & ramos ſuos adeo late protendit, vt vix hu-
„manis viribus exſtirpari atque euelli poſſit.)

66. Fratres ergo ſchiſma ſibi obiici videntes, patriaque aliquando eiici metuentes, *inito cum patronis ſuis* (quos iam e proceribus habebant) conſilio, miſerunt viros quatuor, (*Lucam Pragenum*, *Mareſum Kokovvetz*, *Martinum Kabatnik*, & *Caſparum Marchicum*) quæſitum aliquem vbi Chriſto pure ſeruientem populum, cui ſeſe tanquam verae Chriſti eccleſiae plenius iungere poſſent. Iuerunt ergo (a Baronibus liberaliſſimo inſtructi viatico) primus *Graeciam*, alter *Moſcouiam & Rusſiam*, tertius *Traciam & Bulgariam*, quartus *Aſiam*, *Palaeſtinam*, *AEgyptum*, luſtraturi. Qui omnes domum reuerſi, nihil praeter corruptiſſima omnia, Chriſtianoſque ceu ex compoſito in vitia & ſuperſtitiones effuſos, nuntiarunt.

67. Ergo fratres Synodice collecti, quid iam facto opus eſſet denuo deliberabant. Vsque a ſchiſmatis reatu vel ſaltem coram Deo interim conſcientiam purgarent, poſteriſque certae aliquid viae monſtrarent, canonem
„condiderunt: ſi Deus vbicunque adhuc pios doctores, eccleſiaeque refor-
„matores, excitabit, illis vt ſeſe iungerent, &c. factum 1486.

68. Vnde tamen hos expectarent, incerti, miſerunt denuo (Lucam Pragenum, & Thomam Germanum) in Italiam & Galliam, ad fratrum Waldenſium coetus luſtrandum, illorumque omnia plenius cognoſcendum. Sed hi cum nihil praeter latitantes in occulto piorum reliquias ſe reperiſſe, vſtulationemque quorundam qui proditi erant (intet quos *Hieronymus Sauonarola*) ſpectaſſe, renuntiarent; viderunt boni fratres Bohemi nihilupereſſe, niſi ad Deum pro chriſtiano populo ſuſpiria, inque perferendis domi diuinis probationibus conſtantiam & patientiam. Quantas vero perpeſſi ſint (ad excitatum vſque in Germania Lutherum) aduerſitates, hiſtoria perſecut. eccl. Boh. (a cap. XXI. ad XXVIII.) memorat.

69. Crebeſcere interim coepit inuenta nuper in Germania Typographiae ars, prodeuntibus variis (in Italia potiſſimum, Romae & Venetiis) libellis & libris, ſacris & profanis. Bohemi ergo tanto hoc Dei dono ad animarum potisſimum ſalutem vtendum rati, bibliorum vernaculo idiomate circa hoc tempus editionem (primi Europaeorum iterum) procurarunt, *Venetiis*: breuique poſt, diſtractis exemplaribus, *Noribergae*, ſemel & iterum: demum domi erectis officinis (Pragae, Boleslauiae, Kralicii in Morauia) ſaepius.

70. Circa annum 1511. celebrari hominum ſermone coepit *Eraſmus Rotderodamus*, non ſolum linguarum ſed & purioris Theologiae reſtaurator. Ad quem fratres Apologiam ſuam (ad regem Wladislaum anno 1408. ſcriptam, & Noribergae excuſam) per duos e medio ſui (*Nicolaum Claudium &*

Laurentium

Google

Laurentium Wotik) miſere; orantes vt librum perlegere, ſi quid errorum notaret (emendare paratis) candide indicare; ſin, teſtimonio ſuo ornare, dignaretur: innocentes ſic ab iniuriis, quantum in ſe eſſet, defenſurus. Reſpondit (poſt aliquot dies) *Errores nullos animaduertiſſe: teſtimonium tamen de his rebus dare neque ſibi tutum videri, neque fratribus neceſſarium.* Cum ideo, quod in illo nequaquam ii acquieturi eſſent, ad quos fama de Piccardis perueniſſet; tum quod tali omnibus inuiſorum commendatione id tantum effecturus eſſet; vt pontificiā auctoritate ſua ſcripta ex manibus hominum excuterentur, ex quibus verae pietatis ſemina hauriri vulgo dicerentur, & paulatim repullulans religio multum iuuaretur, quaeque libere ab omnibus legerentur. Cum igitur ſuae cenſurae acceſſione neque nobiliores illi, neque meliores reddi poſſent, praeſtare (vt ſe ipſe ad meliora ſeruaret) eccleſiae. Fratres vero ſicut inſtituiſſent, purius Chriſti regnum more ſuo propagarent.

71 Dedit nihilominus Eraſmus teſtimonium fratribus dupliciter. Primum aliud agendo, praefatione in N. Teſtamentum: deinde aperte, calumniatori fratrum Ioanni Schlechtae reſpondendo. Nam in praefatione ſuper Nouum Teſtamentum ita diſſeruit.

Is mihi vere Theologus eſt, qui non ſyllogiſmis arte contortis, ſed ad-" fectu, ſed ipſo vultu atque oculis, ſed ipſa vita, doceat, aſpernandas eſſe" opes chriſtiano; non eſſe fidendum huius mundi praeſidiis, ſed totum" oportere pendere de cœlo; non eſſe retaliandam iniuriam, bene precan-" dum male precantibus; bene merendum de male merentibus; bonos o-" mnes velut eiusdem corporis membra diligendos ac fouendos ex aequo;" malos tolerandos, ſi corrigi nequeant; qui ſuis exuuntur bonis, qui de-" pelluntur poſſeſſionibus, qui lugent, hos eſſe beatos, non deplorandos;" mortem etiam optandam piis, vt quae nihil ſit aliud quam traiectus ad im-" mortalitatem. *Haec inquam, & huiusmodi ſi quis adflatus ſpiritu Chriſti praedicet,*" *inculcet, ad haec hortetur, inuitet, animet, is demum vere Theologus eſt, etiamſi foſſor fuerit aut textor. Haec ſi quis & ipſis praeſtet moribus, is denique magnus eſt doctor.* Qua ratione intelligant angeli, fortaſſe ſubtilius diſſerat alius, vel" non chriſtianus: at illud perſuadere, vt hic puri ab omnibus inquinamen-" tis vitam exigamus angelicam, id demum Chriſtiani Theologi munus eſt." Quod ſi quis obſtrepat, haec eſſe craſſula, & idiotica, nihil aliud huic re-" ſponderim, niſi quod haec craſſa Chriſtus praecipue docuit, haec inculcant" Apoſtoli, haec quantumuis idiotica tot germane Chriſtianos, tot inſignium" Martyrum examina, nobis prodiderunt. Haec inquam illiterata, vt ipſis" videtur, Philoſophia, ſummos orbis principes, tot regna, tot gentes, in" ſuas pertraxit leges: id quod nulla Tyrannorum vis, nulla Philoſophorum" poterat eruditio. Neque repugno, quo minus ſapientiam iſtam, ſi videtur,"

„loquatur inter perfectos. At hoc certe nomine conſoletur ſeſe humile „Chriſtianorum vulgus, iſtas ſubtilitates, an ſciuerint Apoſtoli, viderint alii, „ certe non docuerunt.

72. Schlechtae autem fratres male depingenti Eraſmus (ceu eorum aduocatum agens) ita reſcribit.

„Quod ſibi Fratres illi Sacerdotes ipſi eligunt, non abhorret a conſue- „tudine veterum. Sic electus eſt S. Nicolaus, ſic Ambroſius. Quod indo- „ctos, tolerabilius eſſet ſi vitae pietas penſet eruditionis inopiam. Quod „ ſe inuicem Fratres ac Sorores appellant, non video cur debeat reprehendi: „ atque vtinam eadem appellatio mutuae charitatis perſeueret apud Chriſti- „anos! Quod minus tribuant doctoribus quam diuinis voluminibus, hoc eſt „plus deferant Deo quam hominibus, recte ſentiunt, &c. De feſtis diebus, non „ multum abeſt iſtorum opinio a ſaeculo Hieronymi. Nunc in immenſum „creuit feſtorum turba, &c.

73. Decurrente ab Huſſi morte ſeculo, vt ſanctiſſimi martyris vaticinium impleretur (*poſt centum annos Deo reſpondebitis & mihi*) excitauit Deus Germaniae reformatorem, *magnanimum Lutherum*: qui valde impudenti Papalium indulgentiarum venundatione, (ſicut & *Huſſius* olim) offenſus, aperte ac zelo magno errores oppugnare agreſſus eſt anno 1517. Et quidem maiori ſucceſſu quam ante illum quiſquam, ad implendum iterum Martyris noſtri vaticinium: *Hodie aſſatis anſerem*, (Hus Bohemis anſerem ſignificat) *ſed veniet olor, quam aſſare non poteritis.*

74. Laetari maiorem in modum Fratres, (audito Lutheri ortu, & in eccleſia repurganda progreſſu) miſerunt ad eum anno 1522. *Ioannem Cornu & Michaelem Album*, gratulatum illi agnitae veritatis lumen; & apprecatum, vt eius opera idem lumen feliciſſime ſe per ecclaſiae orbem diffunderet. Qua ratione illi, licet ſatis animoſo, animum fuiſſe additum ipſe ſuis ſcriptis, ad Spalatinum & alios, teſtatus eſt. Iterumque ab illis an. 1523. „ ſcripto ſalutatus reſcripſit: nondum poſſumus aſſequi, vt eiusmodi inſti- „tuatur doctrinae vitaeque probae exercitium, quale de vobis audimus. „ Res adhuc apud nos crudae ſunt, lenteque procedunt: ſed orate pro nobis.

75. Secunda legatio, per eosdem duos, fuit anno 1524. diſciplinae in renaſcente eccleſia plenius cognoſcendae cauſa. Verum *diſciplinae nullam adeo rationem haberi cognito, commercium cum Luthero intermiſſerunt, toto octennio*: ille etiam ſiniſtra de iis ſuſpicatus, liberius quaedam illorum inſtituta carpere coepit, libellis quibusdam tunc ſcriptis, ſermonibusque conuiualibus, vt appellantur.

76. Sed cum Ludovici Boh. regis educator, *Georgius Marchio Brandenburgicus*, a Barone de Kraick pleniorem peteret de iuſtitutis fratrum informatio-

matio-

Digitized by Google

mationem, ſcripta fuit ab illis, anno 1532. *Apologia doctrinae & rituum*, &c. quam D. Lutherus eleganti ornatam praefatione excudi curauit Wittebergae 1533. denuoque 1538. Ex quo tempore amicitia inter illum & fratres integra perſtitit in finem vsque, ringentibus etiam communibus aduerſariis; vt ex libris Io. Fabri Viennenſis Epiſcopi, anno 1537. publicatis, patet; vbi ita ſcribit. *Piccardi, qui & Valdenſes, a Catholicis in multis diſſentiunt: erga quos admodum varie habuit ſe Lutherus in ſcriptis ſuis.* In quibusdam enim eos damnat, vt pesſimos haereticos: poſtea vero, *in reprobum ſenſum datus*, blandisſime ad eos ſcripſit, plenis eos ſuper omnes alios Chriſtianos, laudibus extollens, & quae prius in eis improbauerat collaudans, & quae ipſe approbauerat reprobans.

77. Anno 1536. iterum fratres Lutherum viſitarunt, *de Diſciplina & Regimine Eccleſiae cum illo acturi. Confitebatur Lutherus* (inquit hiſtoricus Laſitius) *dolorem ſuum, quod ab ipſis refloreſcentis Euangelii primordiis quosuis absque diſcrimine, ad Coenam Dominicam admiſiſſet, quodque diſciplinam fratrum diſciplinae ſimilem apud ſuos non conſtituiſſet.* Teſtes horum quae bona fide refero, " (pergit hiſtoricus) fuerunt fratrum tunc legati, haud pridem terris erepti; " Ioannes Auguſta fratrum Antiſtes; Eraſmus Sommerfeld a Tumice, vir " nobilis, & qui mihi haec narravit Georgius Iſrael, tunc iuuenis nunc E- " piſcopus octogenarius. (Addit de ſuo Laſitius:) Sed danda venia eſt " tanto viro, in Pontificio dominatu infringendo, ceteroque multiplici An- " tichriſtiano luto abſtergendo, eoque bellis extraneis occupato, aliquid " domi oblitum. Quis enim ſolus vno & eodem tempore cuncta animad- " uertat, abſoluat? Nec omnia poſſumus omnes, nec vni dat cuncta Deus vt " ipſe Lutherus in libro de ſeruo arbitrio ſcribit. Creuit creſcitque ſemper pro- " greſſu temporis hominum ſapientia: adde, quaedam deeſſe vni, vt ea " ſuppleat alter." Haec Laſitius.

78. Hisce vero cum Luthero peractis (ſcribit idem) venerunt *ex Gallia in Boh. viri duo docti, ſalutem a fratribus Waldenſibus ferentes*, a quibus miſſi eſſent queſtum calamitates ſuas, tum a continuata hoſtili perſecutione, tum a diſſenſionibus quibusdam domi ortis: vtque cognita fratrum in Bohemia molliore ſorte, ſolatii aliquid haurirent, & ſuis afferrent. Commorabantur ergo cum noſtris menſes integros ſex, ſpectantes ordinem & in omnibus vnanimitatem, Paſtorumque ſollicitam pro grege curam, & iuniorum erga ſeniores, obſeruantiam, laborumque quotidiana omnium exercitia, &c. Sicut & noſtri viciſſim illorum ſpectata pia conuerſatione ac zelo, ab illis duobus iudicium faciebant de reliquis. Et qua doctrina & fide ſanos repererant, admittebant ſecum ad communionem. Diſceſſerant tandem dilecti hoſpites, mutuis vtrinque ſolatiis &c.

Digitized by Google

79. *Argentinenſes in Alſatia Theologi reparandi eccleſiaſticam apud ſe diſciplinam conſilia agitantes*; ſcripſerunt ad fratres in Bohemiam, anno 1533. manu *Fabricii Capitonis*, ad quam epiſtolam ſcripto reſponſum fuit. Iterumque anno 1540. manu *Martini Buceri.* Ad quos fratres vnum de medio ſui, *Matthiam Erythreum*, miſerunt, quae acta Laſitius deſcripſit, hic autem floſculos aliquot e ſermonibus pientiſſimi Theologi Buceri delibaſſe, ſat erit. *Diſciplina eccleſiaſtica* (inquiebat) *thronus eſt regnantis in eccleſia Chriſti.* Cumque Matthias ne parum polita oratione offenderetur rogaret, reſpondit Bucerus: *pietas in chriſtiano ſpectanda eſt, non ſermonis elegantia. Diuinum plane opus eſt, quod vos non admodum eruditi eccleſiam tam bene moratam habeatis. Nos autem, etſi eruditiores videamur, tamen quia diſciplinam negligimus parum proficimus. Quare de conſtituenda omni modo cogitamus.* Enarrante vero Matthia (quum ad audiendum illum Theologi conueniſſent) ordinis in eccleſia fratrum vſitati rationem, Bucerus lacrymas non tenens, & ad aſſidentes Theologos conuerſus, dixit: *Haec vero eſt cæleſtis potius, quam eccleſiaſtica in terris, hierarchia.* Epiſtolaeque ſuae ad fratres haec etiam inſeruit: *Apud nos permulti iugum Antichriſti excuſſerunt, qui tamen iugum Chriſti ſubire recuſant, &c. Vos tantum hoc tempore in mundo eſſe mihi perſuadeo, apud quos ſolos cum ſincera doctrina, pura, vtilis, ſalutariſque deſciplina viget. Perlegi confeſſionem mihi miſſam, haud paruo perfuſus gaudio, viſa apud vos tanta luce veri, taliſque rerum ordine ac puritate. Certe magna extitit Dei erga vos liberalitas, quod adeo puram doctrinam, & eiuſmodi ſectatores eius habeatis, qui id diligenter curant, vt diſciplina quaſi poſt liminio in eccleſiam reducatur. Nos certe haud mediocriter noſtri pudet, quoties noſtram eccleſiam cum hac tali veſtra comparamus, &c. Publico vero libro, aduerſus Latomum edito, haec: illa certe ratio optima eſt, quam obſeruant fratres, Picardi dicti, qui ſoli prope in orbe cum puritate doctrinae, vigorem etiam diſciplinae Chriſti, apud ſe retinuerunt. Quam laudem vt illis tribuamus, & Dominum, qui ſic in illis operatur, celebremus, res ipſa nos cogit: etiamſi fratres illi a praepoſtere doctis quibuſdam contemnuntur.*

80. Scripſerunt eodem tempore alii duo Theologi, *Fabricius Capito*, & *Ioannes Caluinus*, Galliae tunc Argentorati exulantis eccleſiae paſtor. Illius Epiſtolae pars eſt: *Gratus nobis fuit liber fidei veſtrae, qui ordinem eccleſiae continet, quo ego nihil vidi noſtro ſeculo abſolutius: nimirum quia cum ſolida fidei confeſſione, veroque Sacramentorum vſu ſanctam diſciplinam, & vigilantem paſtorum curam, ſpirat.* Caluini vero epiſtola extat in Epiſtolarum eius volumine (ſub titulo, *ad paſtorem Bohemum*) cuius hoc eſt fragmentum. *Eccleſiis veſtris ex animo gratulor, quibus praeter ſinceritatem doctrinae, tot egregia bona contulit dominus. Neque enim parue aeſtimandum eſt, quod tales habent paſtores, a quibus regantur & ordinentur; quod adeo bene moratae ſunt; quod adeo praecla-*

ra forma

Digitized by Google

forma conſtituta; quòd optima Diſciplina pradita, quam iure vocare poſſumus optimum atque adeo vnicum retinendae obedientia vinculum. Nos enim magna noſtra moleſtia experimur, quid valeat, dum eam deſideramus, nec ulla ratione poſſumus ad eam peruenire. (N. B.) Hæc res facit, vt ſaepe animo vacillem, ac minus ſtrenue functionem meam exſequar. *Quin etiam deſperarem prorſus, niſi ſuccurreret, Eccleſiae aedificationem ſemper eſſe opus Domini, quod ipſe virtute ſua proſperabit, etiam ſi nos adminicula omnia deficiant. Eſt tamen hoc magnum rarumque bonum, adiuuari tam neceſſario praeſidio. Itaque Eccleſias noſtras tam demum rite ſuffultas arbitrabor, vbi iſto neruo colligatae fuerint*, &c. Factum ergo fuit diuina diſpoſitione, vt breui poſt eximius hic vir ad Geneuenſis Eccleſiae miniſteria vocatus, ibi talem illam (orbi iam notam) erigeret diſciplinam.

81. Anno 1542. noua fuit, eaque vltima Fratrum e Bohemia ad Lutherum non tam legatio, quam amica viſitatio. Ipſe enim ſupremus tunc vnitatis Antiſtes *Ioannes Auguſta*, aſſumpto e Miniſtris *Georgio Iſraële*, & ex nobilitate *Ioachimo Proſtiborio*, Wittebergam profectus fuit, *quid tandem de Diſciplina in Eccleſias Euangelicas recipienda* (cuius tantum deſiderium prodiderant Argentineſens) *ſperandum eſſet, cognituri.* Excepti amice, retulerunt, quomodo Huſſiticae per Bohemiam & Morauiam Eccleſiae, paulatim in Lutheraniſmum (vt loquuntur) tranſeundo, doctrinam quidem Euangelii recipiant, in vitae tamen Chriſtianae ſtudio nihil emendent. Remque illam detrimento cedere Eccleſiis noſtris, ab ipſomet Luthero & Collegis, ob Diſciplinae ſtudium, commendatis: dum licentioſi alibi quoque purum Euangelium ſine Diſciplinae iugo haberi poſſe iactantes, vt ſe nobis nemo amplius adiungat, nonnulli etiam recedant, efficiant. *An ergo tantum Euangelii abuſum tolerandum putent?* Reſpondit Lutherus, praeſente toto Theologorum Collegio, *Papatum aliter diſturbari non potuiſſe, niſi ſubuulſis omnibus, quae humanae ſuperſtitionis iugum, conſcientiarumque vim, redolerent: nunc autem dum in contraria videant ruere mundum, agnoſcere neceſſario eſſe obſiſtendum, reparandamque diſciplinam. Qua de re ſerias fore cogitationes, ſimul atque reſpirare dabitur: Papam enim noui Concilii nunc oſtentata ſpe turbare denuo omnia, & quae* id genus plura. Addebant Fratres: *ſe non poſſe rebus illorum bene ominari* (quod idem iam anno 1523. ſcripſerant quoque ad Lutherum) *quam diu per illorum Scholas & Academias tantam ſcientiae, tantillamque conſcientiae, videant ſuſcipi curam: rogantes ut de obuiam eundo periculis, quae ea parte irruere, & Eccleſiam obruere, poſſint, ſerio cogitare libeat*, &c. Cum vero poſt familiariſſimam cum Luthero, ceteriſque Theologis, per duas circiter ſeptimanas conuerſationem, deque omnibus mutuam collationem, Witteberga diſceſſuri erant, excepit eos Lu-

Digitized by Google

therus conuiuio, atque in praeſentia multorum illius Academiae Profeſſorum, abeuntibus vltimum dicens vale, dexteram ſanctae ſocietatis dedit toti Fratrum Vnitati, haec verba proferens: *eſtote vos Apoſtoli Bohemorum, ego cum meis erimus Apoſtoli Germanorum. Agite vos ibi opus Chriſti, prout ſe occaſionſes dabunt vobis, nos itidem agemus quomodo ſe hic dabunt nobis.*

82. Poſt aliquot menſes, eodem anno, datis ad eundem Auguſtam litteris Lutherus, ſequentia inſeruit verba: *Porro moneo Vos in Domino, vt nobiſcum ad extremum vſque perduretis in communione ſpiritus & doctrinae, prout coepiſtis, ac pugnate nobiſcum verbo & precibus contra portas inferorum*, &c. *Saluta reuerenter omnes Fratres in Domino. Poſtridie Franciſci anno 1542.* Ita magnanimus Lutherus ob tot Fratrum, de reducenda Diſciplina & vita Chriſtiana, inſtantias nihil eis offenſus: in amicitia eorundem ad extremum vſque perſeuerauit: non ad illos ſolos, ſed & alibi, gratioſum erga illos, & rem hanc, animum teſtatus. Producit illuſtres Laſitius teſtes, qui ex ore Lutheri iſta exceperunt verba: *Non ſurrexerunt a temporibus Apoſtolorum homines, quorum Eccleſia propius acceſſiſſet ad Doctrinam & ritus Apoſtolicos, atque Fratres Bohemi.* Item: *Et ſi Fratres hi nos puritate doctrinae non ſuperant* (quia Fidei Articuli omnes a nobis ſincere ac pure e Verbo Dei proponuntur) *ordinaria tamen Diſciplina Eccleſiae, qua vtuntur, ſuasque feliciter gubernant Eccleſias, longe nos ſuperant, & in hac parte maiorem laudem habent: quam illis concedere nos propter gloriam Dei, & veritatem, oporteat. Quia plebs noſtra Germanica Diſciplinae iugum nondum ſubire vult*, &c.

83. Prorſus indubitatum eſt, maximum hunc virum aberrationis primae noxam vidiſſe, emendationemque optaſſe, praeliis tamen aliis (cum tot abominationum monſtris) diſtractum, omnibus ſufficere non potuiſſe: vt eum paſſim Viri cordati excuſant, Laſitius etiam noſter (hic ſupra §. 77.) certum etiam, illum maioris perfectionis vota & ſpem Deo & ſucceſſoribus commendaſſe, ſed ſpe hactenus infra vota ſubſiſtente. Cum enim ille poſt vltimas iſtas cum Fratribus actiones, triennio, & menſibus quatuor, vita exceſſiſſet, *ſecuta ſunt mortem eius duo* (inquit Bucholcerus Chronologus) *bella Theologorum, & bella Ciuilia Euangelicorum, inter ſe.* Eheu, in quid reparatae Euangelii doctrinae theoria, ſine diſciplinae praxi, deſiit! (N.B.) Vtinam vani vates fuiſſent Fratres Bohemici, mox ab initio Germanicae huius Reformationis, tales aliquos euentus praedicentes, ipſa etiam prima ſua ad Lutherum (anno 1523. data) epiſtola, & poſtea ſaepius. *Inualuit enim per Scholas & Eccleſias illud ſcientiae potius, quam charitatis, & aedificationis ſtudium* (contra Apoſtolicam proteſtationem, 1. Corinth. XIII. verſ. 1. 2.) *adeo, vt remedio non eſſet locus, quicquid Bucerus, Melanchton, Hemmingius, Saubertus, Arndt I. Valent. Andreae & alii aliquot cordatiſſimi Viri, diuinitus*

Digitized by Google

acti

acti, contra ſategerunt. Non quod nihil ſanctis moliminibus actum ſit, ſed quod nihil ad exſtinguendum vniuerſale odiorum, & profanitatis, incendium ſufficiens. *Deus emendet, vel hac ſaltem acri omnibus communiter immiſſa caſtigationum ſuarum Diſciplina!*

84. Ad Fratres redeundo, attingenda eſt perſecutio, qua bello Schmalcaldico in Germania finito, ipſi quoque in Bohemia obruti fuerunt. Cum enim anno 1544. Papa, Regem Galliae, Regi Hiſpaniae (qui tunc Imperator fuit quoque, Carolus V.) ea intra alias lege reconciliaſſet, vt contra Lutheranos vtrinque arma verterentur: factum eſt, vt in Gallia non multo poſt, Waldenſes in prouincia Narbonenſi exciſi eſſent: Caeſar vero aduerſus Germanos bellum pararet, quod mox a Lutheri morte inchoatum anno ſequente Proteſtantium clade finitum fuit. Vbi Ferdinandus Bohemos quoque ſuos (quod auxilia Caeſari contra Saxonem negaſſent, ad poenas trahens, praecipuis aliquot Procerum ad carceres raptis, aut proſcriptione, vel bonorum confiſcatione, multatis, in primis tamen in Fratres ſaeuiens, eorum Templa claudi, Paſtoreſque captiuari, iuſſit. Primus inter captos fuit primarius Antiſtes, *Ioannes Augusta*, cum coadiutore ſuo *Iacobo Bilek*, ob ſuſpicionem habitae cum Luthero colluſionis, imo conſpirationis: quaſi ſua Wittebergam profectione id egiſſet, vt eiecto ex Germania Carolo, & e Bohemia Ferdinando, Elector Saxoniae Bohemorum Rex fieret. * Fuerunt itaque atrociſſimae torturae ſubiecti terna vice: cum autem neque veſtigium criminis vllum appareret (erat enim pura puta calumnia) neque ſupplicii ſumendi color vllus haberi poſſet, relicti ſunt in carcere totos 16. annos, ad mortem vsque Ferdinandi, 156[illegible] Iulii 25. demumque dimiſſi.

85. Diſperſorum pars, Paſtores cum plebe, peruenerant in Boruſſiam, ibique ab Alberto Duce clementer excepti, oppidis *Guzina*, *Dubrauuno*, *Soldauia*, *Gardia*, ad figendum ibi lares aſſignatis. De quibus *Antonii Bodenſteinii*, Paſtoris Guizinenſis Lutherani (vbi potior Exulum pars conſederat) memorabilis extat ad D. Brentium, tum Baſileae quoque exulantem, epiſtola, quam Laſitius libro V. integre poſuit. Vbi inter alia haec: *Iuuenes iſti ſunt e numero Fratrum illorum, quos ante annum expulit patria Bohemia, & exules recepit noſtra Pruſſia. Quorum Confeſſio edita eſt Wittebergae, & commendata iudicio ac teſtimonino D. Lutheri p. m. patris ac praeceptoris noſtri reuerendi. Praeterquam quod habent doctrinam conſentientem cum noſtra, habent & peculiaria quaedam, quae apud nos haud cum exiguo conſcientiae diſcrimine deſiderantur: adeo vigilantem curam animarum, vt nihil abſolutius vnquam viderim: pulcerrima exercitia pietatis & poenitentiae, tam domeſtica quam eccleſiaſtica: honeſtatem morum externam, iuſtitiam, verum vſum ieiuniorum, vigiliarum, laboris,*

 pre-

precum: fraternas admonitiones, propria iudicia, cenſuram Eccleſiaſticam, &c. *vt merito ſint omnibus (nobis) admirationi: nec ſcio an meliores homines Pruſſiae recipere vnquam poſſit. M. Bucerus, vir magni iudicii, non veretur eos in ſuis opuſculis omnibus Eccleſiis, in toto orbe Chriſtianorum, praeferre, & hoc eis tribuere, quod nullis aliis, & omnibus piis commendare, ac in exemplum, quod imitentur, proponere. Idem fecerunt alii ſummi viri, Lutherus, Capito, Caluinus. Et certe ſi quae extant Eccleſiae, in quibus reperire liceat cenſuram & grauitatem Apoſtolicorum virorum, & omnia compoſita ad exemplum ſanctiſſimorum Martyrum, certe hae erunt Fratrum Eccleſiolae. Ac iudico populum tam ſanctum in haec loca diuinitus eſſe miſſum, cuius exemplis excitarentur alii, vt cogitarent rectius de multorum naeuorum, qui haerent in Eccleſiis noſtris, correctione. Res eſt triſtiſſima, Euangelium Dei tantum annuntiare in teſtimonium mundo,* &c. Dabantur 15. Septemb. 1542.

86. Ita ſibi Boruſſia de iſtis tunc hoſpitibus gratulata fuit. Sed & aliud eodem tempore, diuinæ circa Eccleſiam prouidentiæ, argumentum apparuit: quod iidem exules ſuo per Poloniam maiorem tranſitu Euangelii ſemina ibidem, ceu aliud agendo, ſparſerint. Cum enim patria exituri quo ſe potius, quam ad linguae conſortes Polonos, verterent ignari, certo in Sileſiae confiniis congreſſi loco, vno inde agmine (animae circiter nongentae, curribus plus centum viginti) progrediebantur: factum eſt vt non in Sileſia tantum, ſed & in ipſa Polonia (licet adhuc Papatui adhaerente tota) plus fauoris quam hoſtilitatis fuerint experti; D. Andrea Comite a Gorka, Poloniae maioris Capitaneo generali, eos non tantum per Poſnanienſium ſuburbia hoſpitiis excipi permittente, ſed & in haereditaria ſua oppida (*Samotuli, Kurnik,* &c.) inuitante. Dediſſentque ſe illi ſubditos, niſi mox regio allato edicto (quod ſollicitatione ſua Clerus Pontificius impetrauerat) e Polonia pelli fuiſſent iuſſi. Perrexerunt igitur in Pruſſiam: non tamen ſine relicto ſui Polonorum in animis deſiderio.

87. Nam quia Paſtores ſecum habebant aliquot, vacabant exercitiis ſacris (nemine impediente) libere, *cantando, orando, Scripturas legendo, conciones habendo*: ad quae cum varii (vt mens humana nouitatis auida eſt) confluerent, fieri non potuit, quin Deus non vnius Lydiae cor aperiret. Et quia ſequenti anno *Matthias Sionius*, Antiſtes, ſuos in Pruſſiam fuit ſequutus, valetudiniſque cauſa Poſnaniae morari coactus, factum eſt, vt data multorum cum variis colloquiorum occaſione, non pauci (e ciuibus & nobilitate) Fratrum diſciplinae ſe traderent, Paſtoremque ſibi dari peterent.

88. Datus ergo fuit e carcere Pragenſi mirabiliter liberatus, & a ſuis in Poloniam ire iuſſus, *Georgius Iſrael*, vir vere Apoſtolico ſpiritu: adeo felici ſucceſſu Euangelium Chriſti propagans, vt intra ſexennium vnum plu-

Digitized by Google

plurimos e nobilitate (atque inter hos illuſtres Comites *a Gorka, & ab Oſtrorog, & a Leſzno*) in veritatis cognitionem deduceret, Eccleſiasque prope 40. (vt eas Vergerius Papae exlegatus, de quo poſtea, luſtrans, numerabat) plantatas, ea dexteritate regeret, vt Proceres ac Miniſtri Poloniae minoris , Reformatores ſuos per idem tempus Heluetia nacti (eoque nouellas Eccleſias ſuas *Helueticae Confeſſionis* appellantes) horum vti conſiliis. ambireque coniunctionem, inciperent.

89. Sed quae res cum non placeret *D. Liſmanino* (iam tum Arianizanti) etiam hoc nomine *prouocatio facta eſt ad Theologos Tigurinos & Geneuenſes anno 1556.* Qua ratione res Fratrum nouae fuit ventilationi expoſita; non in Heluetia ſolum, ſed & (Vergerii quodam Zelo) per Germaniam & Italiam. Et Heluetii quidem coniunctionis propoſitum collaudarunt, diſciplinae potiſſimum cauſa. Sunt ad manum aliquam multae ad Polonos tum ſcriptae epiſtolae ; e quibus aliquid ſaltem huc ſpectans allegari, e re erit. Io. Caluinus ita ſcripſit : *de veſtro cum VValdenſibus conſenſu optima quaeque ſpero. Non modo quia ſanctam Vnitatem, in quam coaleſcunt Chriſti membra, Deus ſemper benedicere ſolitus eſt: ſed quod inter haec rudimenta veſtra Fratrum Valdenſium peritiam, quam longo vſu Dominus exercuit, non vulgari adiumento vobis fore ſpero. Quare ſedulo a vobis omnibus danda opera eſt, vt haec pia conſpiratio magis ac magis ſanciatur.* Sic ille.

90. Wolfgangus autem Muſculus, Bernenſium Theologus, ita : *Exoſculamur cumprimis admirabile illud conſilium Dei, quod ante annos aliquot Fratres, quos VValdenſes vocant, Bœmia eiectos, ad vos transferre voluit: quo veſtris Eccleſiis, in cognitione ac propagatione veritatis, adiumento eſſent.* Non erat hoc in animis eorum, quorum ſtudio ſedibus ſuis ſunt expulſi; imo " nec ipſi puto, quid diuinitus ageretur, intellexerunt. Verum qui pru- " dentes huius mundi, in ſuis ipſorum conſiliis, miris modis infatuat, & " excaecat, hoc pacto voluit primordiis renaſcentis apud vos Eccleſiae " haud parum adferre adiumenti. *Et paulo poſt*; gratulor hoc Eccleſiis " veſtris conſilium, quod cum Waldenſibus coniungi voluiſtis. Spero " enim fore, vt minus inter vos diſſenſionum naſcatur, atque ſi quid naſ- " catur, citius componi poſſit, &c. quando quidem ad certam poſthac " doctrinae formam docendo collimare poteſtis. *Rurſus idem ita*; exiſtimo, " prudenter a vobis eſſe factum, quod eam doctrinae formam amplexi " eſtis, quae ſic eſt ſimplex, & ſacris literis attemperata, vt (quemad- " modum memini) etiam diſſidentibus inter ſe Eccleſiis digna viſa ſit, " quam typis excudendam traderent, inque Germania noſtra ſpargerent. "

91. *Pulchrum etiam fuit Petri Martyris, Argentinenſis tum Theologi, iudicium; vbi ſic ſcripſit.* Conſulo praeterea, vt diſciplina, quatenus fieri poterit,

„ferit, in veſtris Eccleſiis omnino inuehatur. Nam ſi initio non recipietur, „cum homines Euangelii cupiditate feruent, non facile poſtea, cum vt fit, „aliquod frigus obrepſerit, admittetur. Vt vero fruſtra abſque illa labore-„tur, Eccleſiae quamplurimae vobis poſſunt eſſe exemplo; quae a ſuae „inſtaurationis fundamentis, cum hoc tam ſalutare iugum ſubire noluе-„runt, nunquam deinde, quo ad Mores & Vitam, iuſta vlla regula potue-„runt in ordinem redigi; quo fit (quod magno cum dolore dico) vt om-„nia propemodum parum firma ſint, & vndique ruinam minentur. N. B. „Eſt igitur graue damnum, & certa Eccleſiarum pernicies, ſi neruus diſci-„plinae illis defuerit; neque vere, ſolideque, habere ac profiteri Euan-„gelium illae dicendae ſunt, quae Diſciplina vel carent, vel illam con-„temnunt, nulloque ſtudio eius tenentur. Certe in Euangeliis, & Apo-„ſtolicis Epiſtolis, cum tanta diligentia tradatur, illam oportet fateri non „minimam Chriſtianae Religionis eſſe partem. Ex quo fit, vt Euangelium „ab iis videatur negligi, qui tam praeclaram eius portionem a ſe ipſis able-„garunt.

92. *Zanchius* (Matyriis tunc Argentorati collega) *ſuis hoc inſeruit*: „curate quam ſtudioſiſſime, vt vna cum verbi praedicatione, Eccleſiaſti-„ca quoque diſciplina veſtris in Eccleſiis reſtituatur. Nam quantum mali „in Eccleſiis noſtris, totiusque Germaniæ (propterea quod ab illis Eccleſi-„aſtica Diſciplina exulat) iam dudum ortum ſit, & in dies oriatur, experi-„mur quotidie noſtro malo. Certe qui in cauſa ſunt ne haec Eccleſiis re-„ſtituatur, iuſtas dabunt poenas.

93. Poſt haec data & accepta conſilia, cum nonnulli adhuc res tur-barent, factum eſt, vt aliquot Poloniae maioris Proceres (inter quos Palati-nus vnus, & Comites duo, *Iacobus de Oſtrorog, & Raphael de Leszno*) omnia Fratrum plenius cognoſcendi deſiderio, iter ad illos in meditullio Mora-uiae Synodum celebraturos, ſuſceperint. Ad quos cum (24. Auguſti) læ-ti veniſſent, maiora omnia iis quæ de ipſis ferebantur, de vera hoſpitalitate, ſingularique pietate, multa palam referentes. Erat Cleri numerus maior ducentis capitibus, magnaque Patronorum, Baronum & Nobilium, fre-quentia. Creabantur ibi tunc V. D. Miniſtri, XV. Conſeniores, VI. Epiſcopi II. *Georgius Iſrael, & Ioannes Blahoſlaus*; ille pro Polonicarum, hic pro Morauicarum Eccleſiarum Superattendentia. Vbi noſtrates felicitati illorum congratulati (*inquit Laſitius*) arctiorem Religionis ſocietatem ini-uerunt.

94. Eodemque anno curauit recudi (Tubingae, in Sueuia) Fratrum Con-feſſionem *Paulus Vergerius Italus, quondam Epiſcopus Iuſtinopolitanus, & Ponti-ficis Romani, in Germania Legatus*: qui agnita Euangelii veritate, exilium pro ea paſ-

paſſus, & apud Wirtenbergenſem Ducem hoſpitium nactus fuit. Ita vero Vergerius de Fratribus, in Praefatione Confeſſionis; *Qua ratione, quoque conſilio ductus, hanc ego Waldenſium, aut Piccardorum (quos vocant) Chriſtianae Religionis Confeſſionem, non ita multis hactenus cognitam ediderim, in primis dicendum mihi eſſe puto.* Cum Deus me nuper ex Germania in Pruſſiam, in Lithuaniam, atque Poloniam, euocaſſet, multas ac varias variarum gentium Eccleſias viſendi diſcendique ſtudio incenſum: tandem diu in Polonia obequitando, *in Eccleſias incidi circiter quadraginta, ad Waldenſium morem praeſcriptaque inſtitutas.* Quae ipſae me ſane ſingulari quadam voluptate laetitiaque affecerunt. Etenim pura in illis ac cōcors ſonat Euangelii vox: adeo id quidem, vt neque in doctrina, neque inter docentes, erroris aut controuerſiae quicquam, non dico animaduertere, ſed ne ſuſpicari quidem, potuerim. Ceremoniae caſtiſſimae atque puriſſimae, a Papiſticis ſuperſtitionibus geſticulationibusque ſic prorſus remotae, vt ne odor quidē illarum, aut veſtigium vllum, reliquum ſit. Diſciplina grauis atque ſeuera, ex qua vitae renouatio atque redintegratio tales fructus fert vt radicem horum minime fucatam, ſed veriſſimām, ac Chriſtiano homine digniſſimā, facile agnoſcas, poenitentiam. Haec cum partim ad Fratres in Italiam, aliarumque nationum ſcripſiſſem, partim nonnulla Illuſtriſſimis Principibus Germaniae, aliiſque ſummis in ea Viris, ingenti exultatione coram nunciaſſem, alii in vniuerſum ignorare Waldenſes, alii vehementer mihi mirari viſi ſunt, *quid tandem in mentem venerit Sarmatis, vt Waldenſium praecipue Confeſſionem admiſerint*; veriti nimirum, ne puram ac ſacram Chriſti doctrinam, quam nuper adeo recepiſſent, illorum placitis inficerent, atque commacularent. Hanc igitur ob cauſam, grauiſſimam quidem illam, omni ſtudio mihi faciendum putaui, vt Waldenſium confeſſio, quae iam erat difficilis inuentu, recuderetur, atque inuulgaretur: quod minime dubitarem, quin omnes quibuſcunque purior doctrina cordi foret, vel ex primo (quod dicitur) guſtu, non confeſſionem modo, ſed Polonos etiam ipſos, aliosque quicunque eam in ſuam Eccleſiam recepiſſent, magnis celebraturi laudibus eſſent: ac denique patrem coeleſtem rogaturi, vt tam bene coeptas apud illos Eccleſiarum inſtaurationes ſeruare, ac ſua immenſa bonitate augere, in diesque magis fortunare, dignetur. Praeter vero *Martini Lutheri*, Reuerendiſſimi atque ſanctiſſimi viri teſtimonium, qui hanc Waldenſium rationem Eccleſiaſticam approbauit atque commendauit, ſubiicienda non immeritó putaui aliorum quoque maxima eruditione, maxima pietate, atque auctoritate, virorum teſtimonia: inprimis *Philippi Melanchtonis, Martini Buceri & Wolfgangi Muſculi*, qui mihi videntur eandem Confeſſionem adhuc magis quam Lutherus, laudare, cum tamen is grauiſ-

,, ſimis verbis laudarit. *Ceterum quanquam qui ſim non ignoro, moneo tamen Eccleſias hiſce XL. annis in Chriſto renatas, ne ſatis eſſe putent, quod ſuperſtitiones Papiſticas abominationeſque ceteras, ab Eccleſiis ſuis exturbare potuerint, ſed vt de concordi, de pura, de genuina Filii Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti, doctrina retinenda, tum de diſciplina vitaeque mortificatione tali doctrina digna, aliquando tandem viciſſim inuehenda, diligenter & anxie curent.*

95. Confeſſionem hanc ad Fratres in Pruſſiam mittens ſcripſit, inter alia: *Principes in Germania mirantur, quid mihi in mentem venerit, adiungere me Piccardis: ſed cum me audiunt, mirari deſinunt.* Et mox: *Spero me perfeciſſe, vt multi in magna Europae parte intelligant, quid ſit Valdenſium Confeſſio, atque eam etiam ament: id quod Deo tribuendum.*

96. Quadriennio poſt iterum ad Fratres ſcripſit, 1561. 19. Martii, his verbis. *Quemadmodum Spiritus Domini me impulit, vt ab adulterata Antichriſti Eccleſia diſcederem* (& diſceſſi ante annos decem, per gratiam Dei) *ita me nunc exſtimulat ad quaerendam eam Eccleſiam, quae omnium mihi optima videtur, in qua ſcilicet moriar, & Patri caeleſti animam reddam*: Id quod efficere debeo (ſi fue-,, rit eius voluntas) non mea tantum cauſa, ſed aliis in exemplum, qualiſ-,, cunque ſum. Dedi exemplum profugiens e Papatu, quod abhorream to-,, to pectore eius doctrinam: nunc teſtimonium dare cupio, quod non im-,, probetur mihi doctrina Eccleſiarum in quibus ſum, amem tamen illas Ec-,, cleſias, in quibus ſeuerior diſciplina exiſtit. Laudo inquam has Eccleſi-,, as: ſed alteram Euangelii partem deſidero, nempe diſciplinam. *Pro-,, fiteor igitur me Eccleſias veſtras omnibus anteferre.* Atque ne quis exiſtimare ,,poſſit, mihi derepente natum hoc iudicium, Deum teſtor eas mihi, poſt-,,quam Euangelium guſtaui, ſemper placuiſſe: quin eas defendiſſe pro vi-,,rili, vt multi mihi eſſe poſſunt teſtes. Praecipue id teſtantur duae meae ,, actiones: altera, quod Sereniſſimum Bohemorum Regem (Maximilianum) ,, ſatis male de illis ſentientem, mitigauerim. In ſumma, ſi me veſtrae reci-,, pere volunt Eccleſiae, illis me inſerere volo, & in illis mori; &c. Et quia ,, ſponte a deliciis diſcedo, non illas apud vos quaeram. Tetigit me manus ,,Domini, alia mihi ſtudia, aliae cogitationes ſunt, &c.

97. Seorſim quoque ad *Ioannem Rokitam* ſcribens, addidit. Nihil ,, vehementius peto a patre coeleſti, quam vt me in ſinum veſtrarum Eccle-ſiarum transferat. Nam in ſumma *illas omnibus antefero*, libenterque darem hoc teſtimonium palam reliquis Eccleſiis, quod ita ſentio. Non dubito, quin Magnificus Dominus Iacobus (Comes de Oſtrorog) ſit tibi quae-,, dam de Concilio Tridentino ſcripta communicaturus. Sentio me a Spiritu ,, Dei commoueri, vt ad Concilium accedam: & profecto (ſi mihi dederint ,, qualem iam petiui ſaluum conductum) non potero me continere, quin

eam.

eam. Eſt quidem periculum, ne me faciant quod Ioanni Huſſio et Hie-“
ronymo de Praga fecerunt: ſed non poſſum hanc vitam melius collocare, “
quam ſi martyrio eam exponam. Cupio diſſolui et eſſe cum Chriſto. Sal-“
uere iubeo fratrem Georgium et Petrum, omneſque reliquos diuini verbi “
miniſtros. Orate pro me: quod ex animo rogo. Coeleſtis pater augeat “
omnibus ſuos coeleſtes theſauros, ſpiritum et fidem, per Chriſtum Domi-“
num noſtrum. Hactenus Vergerius. Sed optimo viro neutrius voti “
compotem fieri contigit (neque ſcilicet in Poloniam transferri, neque mar-“
tyrio coronari) breui poſt perfida morte ad coeleſtia translato.

98. Eccleſiae interim minoris Poloniae, adhuc fluctuantes, ad nullam ordinis ſtabilitionem venire poterant: tum nobilitatis bona parte, tum qui a proſelytis Italis clam in effecti, Arianiſmum in ſinu fouebant, diſciplinae iugum declinantibus. De quo *Ioannes a Laſco*, (Baro Polonus, qui ante annos viginti ſpreta Epiſcopali in patria dignitate, veritatis amore ad exteros abierat, paſtoremque Eccleſiae peregrinantem *Londini*, *Emdae*, *Francoforti ad Moenum*, egerat; et anno 1566. in patriam reuocatus redierat) ſic ad Ioannem Nigranum, fratrum in Boh. Antiſtitem, et collegas eius (anno 1558.) ſcripſit. *Nihil adhuc inter nos certi conſtitutum habemus* &c. *Sed eſt plane neceſſarius noſter vobiscum congreſſus. Occurrendum enim omnino eſt variis Satanae conatibus, quos ille ſuis artibus apud nos moliri videtur ad perturbandas Eccleſias, et impediendum Euangelii progreſſum. Neque doctrinam noſtram communem per omnia probant et diſciplinae Eccleſiaſticae ſubſcribere aegre volunt. Cum iſtis igitur communi nobis conſilio agendum erit. Et Dominus addet gratiam, ne fruſtra conueniamus*, &c. Haec optimus ille a Laſco ſpe optima, ſed caſſa: fruſtra enim conueniebatur, et hoc et ſequentibus abhuc aliquot annis: verſipellibus Antitrinitariis (virus adhuc occultantibus) ſemper aduerſum tendentibus, iuxta illud Saluatoris, *quisquis operatur mala, odit lucem* Ioh. III. v. 20.

99. Euocato ad patriam coeleſtem pio ſene, *a Laſco*, iterum Synodus coacta fuit in oppido Xians, anno 1560. vbi veritatis et ordinis oſores audentiores facti, *negabant Seniorem, ſeu Superattendentem e miniſtris eligendum, ſed e Politicis*: facilius his venena ſua propinari poſſe perſuaſi. Cauſas vero praetexebant duas. 1. *Habere paſtores quod agant, quiſque in grege ſuo.* 2. *Ne quid Papatum redolens inter eos, qui a Papatu ſeceſſiſſent, relinqueretur.* Noſtrarum Eccleſiarum legati qui aderant. (*Laurentius et Rokita*) nondum intellecta Satanae profunditate, rogati tamen ſententiam, *nobis contrariam eſſe conſuetudinem dixerunt, eam ſcripturarum firmantes auctoritate, et rationibus*: quibus paſtores accedebant, nobiles reclamabant, magna contentione.

100. Tandem ordinis oſores eo eruperunt, vt *Eccleſiae reformationem e ſcripturis Canonicis haberi poſſe perfectiorem, quam qualis fratrum Waldenſium*

eſt, dicerent. Conſcripta ergo a noſtris fueruut argumenta, hanc ipſam reformationem talem eſſe, ad imaginem veteris Apoſtolicae Eccleſiae quam proximé conſtitutam: hoc illi teſtimonium, a clariſſimis hoc tempore Euangelicis viris, dari. Neque reformationem noſtram praecipitanter, aut ab vno aliquo, eſſe factam, ſed quicquid grauiſſima multorum deliberatione reperiri potuit optimum, et quicquid docuit experientia, temporumque addidit ratio, et confirmauit vſus, id tantum admiſſum. Quid ergo nouis et incertis experimentis opus? cum experimento annorum 40. ſatis iam captati per ſublimem potius theoriam, quam per humilem et obſeqnioſam praxin, Euangelii fructus pateat, nempe quod Euangelium in templis tantum et labiis multorum haereat, ſine digno tantae lucis praemio, renouatione vitae. Veriſſimum enim reperiri piae memoriae Pomeſanienſis epiſcopi *Sperati* (ante ſexennium vita functi) teſtimonium, qui res non aliter agi queſtus, *nos praedicamus, inquiebat, et non facimus; populus audit, et non credit*: tandem, niſi ſe Euangelici Poloni ordinis vinculis vndique colligauerint, non fore opus ad poſteritatem ſtabile. Ordinem autem eſſe, vt alii praeſint, alii obtemperent, in perpetuam mutuam aedificationem.

101. Demum quia obiiciebatur, *fratres non habere Eccleſiam apertam, cum plena ſanctorum communione; ſed adminiſtrare ſacramenta quibusdam tantum, ſibi addictis*: reſponſum fuit; ſancta dare non ſanctis prohibuiſſe Chriſtum. Chriſtianiſmumque a poenitentia auſpicandum, non a ſacramentis. Neque ſecundum inſtituta Chriſti abſolutionem nuntiandam, niſi reſipiſcentibus et credentibus: quod vtrumque (poenitentiam et fidem) vt ne ſuperficiarium ſit, et fallax, exploratione indigere; explorationem vero tempore iuſto. Et quia nudis ſacramentis ſalutis vim adſcribere, ex opere operato, errorum in Papatu baſis eſt; errorem hunc corrigi non poſſe aliter, quam vt certa probatione, nec illa ſubitanea, cordium arcana reuelentur, nouitiique diu, et caute, tum informentur tum explorentur. Recte enim obſeruaſſe Cyrillum, *Chriſtum ſe non ſtatim credidiſſe illis, qui fidem apud eum profeſſi erant*. Ioh. II. v. 24. Chryſoſtomum vero *abortiuos chriſtianos appellare illos*, qui prius ad ſacramentorum vſum admittuntur, quam omnibus Decalogo prohibitorum abſtinere edocti fuerint. Vero igitur Chriſti miniſtro, vt ne abortiuos chriſtianos faciat, dignos prius poenitentiae fructus ab omnibus ſuis requirendos eſſe. Et quia miniſterii tres ſunt partes. 1. *Doctrina*. 2. *Claues*. 3. *Sacramenta*: non poſſe adminiſtrari ſacramenta niſi illis, qui et doctrinam ſanam integre recipiunt, et vitam ſuam legibus diſciplinae ſubmittunt. Id ſi quis nolit, quomodo gregis pars erit? Et antequam gregis pars fiat, quomodo gregi immiſcebitur? in gratiamne licentioſorum, qui ſe ordinis legibus eximunt, ordinis leges turbandae? &c.

102

102. Haec tum prolixius diſſertata ad manum nobis ſunt: quorum tamen non ea tunc vis fuit, vt peruicaces cederent. Quinimo concluſiones illius Synodi ita fuerunt conceptae, vt *politicam ibi prudentiam praeualuiſſe diuinae, carnalemque ſpirituali, liquido pateret.* Non enim formabatur Eccleſiae corpus, quale Apoſtoli volebant (*Epheſ.* IV. 16,) *vt ex vi intus agente incrementa capere poſſet, ad ſui ipſius exſtructionem*, in caritate: ſed quod praecautum ibant Apoſtoli (ibidem verſ. 14.) vbi homines inſtabiles, *ſemper pueri, fluctuari poſſent & circumferri quouis vento doctrinae, per veteratoriam aſtutiam ad artificioſe fallendum.* Patuit inquam id, vertiginoſo Ariano ſpiritu in dies impotentius ſeſe exerente; Eccleſiaeque fidem et tranquillitatem turbante: vt tandem orthodoxi euigilare, turbones iſtos a ſe exturbare, firmioribusque ſpiritus vinculis ſeſe intra ſe colligare, neceſſe haberent.

103. Tandem enim tot piorum et ſapientum virorum conſilia locum inuenerunt, *vt eccleſiae minoris Poloniae ordinem fratrum Boh. reciperent*: conſtitutis ex ipſo paſtorum numero pro Eccleſiis ſuis (per ampliſſimas prouincias diſſeminantis) epiſcopis ſeu ſenioribus quinque (*Cracouienſi, Sendomirienſi, Lublinenſi*, Ruſſiae, *et Bellenſi*) cum totidem conſenioribus, ritu ſolenni poſthac ſemper et eligendis et ordinandis: ſicut et *Paſtoribus* ac *Diaconis* ſeu *Catechiſtis*; *Acoluthisque* ſeu *Lectoribus*: *Politicis* item per ſingulas eccleſias *ſenioribus*; *et ſynodis* in annos ſingulos (diſtrictualibus quinque, Prouinciali vna) celebrandis. *Quod exemplum eccleſiae magni ducatus Lithuanici etiam ſecutae, in ſex Diaeceſes ſeſe diſcreuerunt, ſub totidem ſenioribus et conſenioribus.* Et quia in ritualibus differentiae aliquid reſtabat, hos etiam tandem inter ſe complanatum iuerunt omnes hae eccleſiae: vt at plenam fraternam concordiam nihil reſtare videretur.

104. Quia nihilominus tamen Ieſuitae clamoribus ſuis, apudque Regem delationibus, errorum et ſchiſmatum chaos Euangelicis obiiciebant: illi, quemadmodum ſe ab apertis haereticis *Arianis* (a nouo poſtea interpolatore *Socino Socinianis* dictis) aperte iam ſegregauerant, ita ſe intra ſe magis magisque vniendi deſiderio, pleniorem etiam ſyncretiſmum iniuerunt, indicta (pientiſſimi regis Sigismundi Auguſti indultu) omnibus Euangelicis eccleſiis *Synodo generali Sendomiriam, anno* 1570. vbi inter omnes *Auguſtanae, Bohemicae, Helueticaeque confeſſionis* eccleſias in fide ac religione chriſtiana *conſenſus* ſtabilitus eſt. Quae res nota eſt, libellis iſtius conſenſus toties in Polonia et Germania recuſis: tametſi deinde Auguſtani (a ſuis e Germania, litibus aſſuetis, varie turbati) reſilire viſi.

105. Atque hunc exitum tunc in Polonia moderata fratrum Bohemorum conſilia repererant, omnium bonorum applauſu. Vnius meminiſſe iuuat, *Ioannis Laſitzky*, nobilis Poloni eruditi; qui iuuenis adhuc, quadri-

ennio ante initum hunc conſenſum, ex Pontificio factus Euangelicus, cum praeter iam in patria ſua receptam confeſſionem Helueticam, alios in maiore Polonia euangelicos eſſe, Auguſtanae ac Bohemicae confeſſionis, audiret, quid different cognoſcere auidus, profectione ad illas inſtituta coram omnia luſtrauit. Sicut et illuſtrium quorundam procerum filios in Germaniam et Galliam deducens, inſtitutoque per Bohemiam itinere fratres viſitans, in omnia inquirens, omniaque memorabilia ſibi viſa conſignans. Vnde poſtmodum Hiſtoriam eorum (ſub titulo *de origine et rebus geſtis fratrum Bohemicorum libri octo*) concinnauit. Vbi (libro VII.) hunc etiam Sendomirienſem Eccleſiarum conſenſum illorum potiſſimum moderationi adſcribſit.

106. De ſe autem ipſo haec narrat Laſitius. *Anno 1567. Proficiſcens menſe Aprili ſtudiorum gratia Heidelbergam, et deinde 1571. Argentorato domum reuertens, deflexi non nihil ex itinere ad fratres Pragam, atque Boleslauiam:* quorum eo tempore Antiſtes per Bohemiam fuit *Ioannes Calephus*, vir grauis et ſeuerus, vt ſunt omnes. Deum immortalem, qualis quantaque tum exarſit in corde meo laetitia, conſpectis cognitisque hiſce omnibus, quae iam hic ſcripta ſunt, quaeque bona fide libro octauo referentur. Certe luſtrando diligenter ſingula, atque de omnibus percontando, videbar mihi in Eccleſia Epheſina, vel Theſſalonicenſi, ſeu quauis alia Apoſtolica, fuiſſe; oculis intuens et auribus hauriens meis ea, quae legimus in ſcriptis Apoſtolicis, epiſtolis Ignatii Martyris, Apologiis Iuſtini, Apologeticoque Tertulliani. Vt profecto valde ſint iniqui, et fratribus iniurii, omnes iſti, qui afflatu maligni illius et inuidi, ſanctae eorum conuerſioni detrahunt, fidei pia producentis opera derogant, quique adeo bonis, inſontibus, quietis hominibus, nocent. *Ignorat Bohemia, neſcit Morauia, quales habeat incolas: alioqui plus eis honoris deferret, magisque eos quam id facit amaret; dignos omnino, quibus vniuerſae Eccleſiae, ſi eam eſſe ſanctam et ſine macula, atque ad illum Apoſtolici ſeculi florem ac vigorem redire, velimus, gubernacula crederentur. Verum fruſtra haec optantur omnia: nunquam cedent parietes dealbati veris Epiſcopis, neque oues Chriſti conuerſae in haedos ferent paſtores alios, quam ſui ſimiles. Luxuriabitur Babylon, quoad vna hora veniant plagae illi deſtinatae, quas Noe, Loth, Daniel, Tobias, Deo defenſore, ſalui euadent.* Haec illae tunc Proſelytus calide forſan nimis, ſtimulo tamen ſeruiunt oculatius in rebus verſandi, nec tantum ea, quae extrinſecus nitent, ſed omnia expendendi. Fieri ſiquidem poteſt, vt ſub ſcaberrima glebula pulcerrima lateat gemmula: Deo plerumque ea *quae ſtulta ſunt mundo, et inualida, et ignobilia, et pro nihilo habita, et ceu quae non ſunt, eligente, 1. Corinth. I. verſ. 26. 29.*

107. Hiſtoriam ſuam, quoquomodo primum adornatam, miſerat Laſitius, ſub cenſuram Geneuenſibus e Germania: ſic de eo ad *Ioann. Laurentium*

tium F.F. Antiſtitem in Polonia ſcribens. *De rebus veſtris ſcripſi ad D. Bezam, vt ſi ſuaſerit in lucem edantur. Et quidni? Chriſtus lucem aperte lucere iuſſit, &c. Fortaſſis poſſint, dum quid melius prodiret; nam interea creſceret inter non paucos vſura Domino ex iis bonis quae in vos contulit.* Beza vero ad Laſitium ita. *Tandem ad te remitto ſcriptum de Valdenſium fratrum Eccleſiis, quod mihi legendum ac diiudicandum miſeras. Multa in eo ſunt quae plane admiror: et vtinam ſpes eſſet aliqua in Eccleſias introduci poſſe! quaedam tamen iudico non ad imitationem debere proponi, quoniam in illis habita eſt temporis et circumſtantiarum ratio.*

108. Sed redeamus ad fratres, quomodo interea domi (in Boh. et Morauia) habuerint: *melius nempe ſub placido principe, moderatisque conſiliis vtente, Maximiliano.* Inter cuius intimos cum eſſet *Ioannes Crato*, Archiater, fratrum amicus, factum eſt vt aliquando ſolus cum Caeſare, animi cauſa in campum exſpatiante, curru vectus, Caeſareque *tot et tantas in chriſtianiſmo diſſenſiones* dolenter commemorante, et tandem ex Cratone, *quosnam ille inter tot ſectas Apoſtolicae ſimplicitati proxime accedere putaret*, quaerente, reſpondit: *neſcio an non fratribus, quos Piccardos vocant, concedi id poſſit.* Caeſareque inferente, *ego idem ſentio*: auſus eſt Crato fratribus, quos nouam Cantionalis Germanici editionem adornare ſciebat, vt Imperatori dedicarent ſuadere. Factum ergo eſt, anno 1566. Vbi dedicatoriae epiſtolae illi ſpem ſuam, et omnium bonorum, de Eccleſiae reformatione vniuerſali per ſuam Caeſ. Maieſtatem promouenda, inſeruerunt: exemplisque *Dauidis, Ioſaphati, Ioſiae, Conſtantini, Theodoſii*, animare; tandem et ſuum talentum, pro menſura qua ſibi admenſus eſſet dona Deus, ad opus tam commune offerre, non dubitarunt: quemadmodum praefatio ipſa (quam omnes cantionum iſtarum libri, poſt etiam recuſi, adhuc praeferunt) oſtendit. Verique ſimile eſt, non defuturam fuiſſe ſanctiſſimo principi voluntatem, ſi per artes illorum qui regum ſceptra obſeſſa, manusque ligatas tenent, licuiſſet.

109. Anno quidem regni eius tertio 1565. cudebant veritatis oſores nouam in fratres perſecutionem: abuſi ad eam rem Cancellarii Bohemiae, D. *Ioachimi de Noua domo*, auctoritate. Qui Viennam profectus inſtantiis quibusque effecit, vt Caeſar ad vrgendum Wladislauianum in Piccardos mandatum mandato nouo, inuitiſſimus licet, ſubſcriberet. Sed vigilauit ſui bonitas Dei, Principemque optimum, vel innocentum ſanguine maculari, vel oppreſſorum gemitibus grauari, noluit. Cum enim Cancellarius diplomate iam armatus rediret: portisque Viennenſibus vix egreſſus pontem Danubii tranſiret, factum eſt vt pontis iugum ſublicis ſolutis dehiſceret, eumque aquis Danubii abſorbendum traderet. Submerſus ergo eſt cum ſuo comitatu: ſex equitibus tantum enatantibus, et adoleſcente nobili, qui decrepita demum aetate vita exceſſit, diuturnus horrendi iudicii teſtis; ſed fratrum religionem, pro qua Deum tum excubare didicerat, profeſſus.

Is

Is aquis Danubii ſupernatans conſpexit Dominum ſuum vndis regurgitatum, aureaque torque prehenſum tenuit, donec piſcatores, quos cum nauigiolo aduentare videbat, ſubueniſſent. Exemtus ergo eſt Baro, ſed mortuus: at Ciſta, cui feralia incluſerat inſtrumenta, ita profundo merſa eſt, vt in nullius hominis conſpectum venerit amplius. Nec fuit qui rem denuo tentare vellet. (Hiſtoriae huius meminit Thuanus quoque libro XXXVI. refertque caſum hunc ad 4. idus Decembris.)

110. Cum vero confeſſionis fratrum exemplaria (etiam poſtremae Tubingenſis editionis) adeo diſtracta eſſent, vt deſiderarentur, fuit denuo Wittebergae anno 1573. recuſa, prioribus editionibus ornatior; cum antiqua Lutheri praefatione, viuentiumque Profeſſorum ad fratres epiſtola, cui „haec inſerta erant. *Gratulamur vobis ac Eccleſiae veſtrae eum animum, quod* „*laudabili* maiorum veſtrorum exemplo in hanc potiſſimum curam incumbi„tis, vt in cognitione Chriſti proficiatis in dies et pretioſum verbi depoſitum „fideliter ad veſtros quoque vicinos et poſteros transmittatis. Probamus et „diſciplinae eccleſiaſticae, quam Eccleſiae veteris exemplo ſine ſuperſtitione, et conſcientiarum laqueo, apud vos retinetis, ſeueritatem, &c. Witemb. 8. Febr. 1573.

111. Confeſſionem hanc poſtquam *D. Crato Hieronymo Zanchio* (Heidelbergae iam agenti) miſiſſet, reſcripſit ille his verbis: *legi attente quam miſiſti fratrum confeſſionem, et cum magna animi voluptate. Nam non ſolum vidi, doctrinam vniuerſam eſſe conſentaneam ſacris literis, verum etiam videre mihi viſus ſum ſinceram, et vere chriſtianam cordium ipſorum pietatem: quippe qui ſcopum ſibi propoſuiſſe videntur, non vt quicquid eſt in Eccleſia Romana totum illud, ab ipſis vſque fundamentis* (vt quidam faciunt) *ſine vllo diſcrimine, penitus ſubruant et conuellant: ſed vt ad veram et Apoſtolicam, eoque ſalutarem, pietatis normam ſuas aedificent Eccleſias, reiectis reiiciendis, et correctis corrigendis, ac retinendis quae retinenda ſunt: quae tandem vera eſt ac legitima Eccleſiarum reformandarum ratio. Atque vtinam omnes horum optimorum fratrum exemplo in idem ſtudium incumberimus! plus certe pietatis, pacis, concordiae, caritatis (quibus Deus glorificatur, regnumque Chriſti promouetur) et in nobis ipſis ſentiremus, et in aliis conſpiceremus. Et quorſum, obſecro, tota S. Scriptura, Euangelii praedicatio, ſacramentorum adminiſtratio? diſciplinae inſtitutio? niſi vt his externis adminiculis ſuſtentati, fulti, adiuti, operante in nobis Sp. S. tum in vera fide et caritate, tum in ſtudio bonorum operum, ſanctaeque vitae, quotidie magis ac magis proficiamus? atque* (vt Apoſtolus inquit) *vt perfectus*

Digitized by Google

ctus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. Ergo etſi concedo tibi ex parte; quod ſcribis, in iſtis plus eſſe conſcientiae quam ſcientiae; ſimpliciter tamen non do, plus enim multi iſti νήπιοι ſapere videntur hac ſua ignorantia quam multi σοφοὶ multiplici ſua ſcientia, &c.

112. Subiungit Laſitius de eadem F.F. Confeſſione *Stanislai Sarnicii* (inter centum illuſtres Polonicos ſcriptores a Starouolſcio numerati, ſed qui miniſter V.D. fuit. Helueticae confeſſionis, poſtea vero Diaeceſeos Cracouienſis Superattendens) teſtimonium, quod tale fuit. *Si quis ex me quaeſierit, quid confeſſio Bohemica ab Auguſtana et Heluetica differat, demonſtrare poſſem; omnes confeſſiones, Germanicas et Gallicas, id potiſſimum agere ut abuſus Papiſticos refutent, et damnent: ſola confeſſio ſucceſſorum Martyris Huſſi, non modo deſtruit quae contraria ſunt, ſed etiam reparat, reſtauratque aedificium noui regenerati hominis, atque eccleſiae bene moratae,*

113. Nec abſimile fuiſſe Heydelbergenſium Theologorum (de erigendo in eccleſiis Palatinis ordine, ſub Friderico pro pie tunc ſolicitorum) iudicium, patet ex eorundem ad fratres in Bohemiam legatione, et literis. Ita enim *Zacharias Vrſinus ad Andream Stephanum,* fratrum Antiſtitem. Nota eſt nobis ex confeſſione veſtra, et de omnibus doctrinae chriſtianae capiti-“
bus nobiſcum conſenſio, et vitam chriſtianis dignam conſeruandi cura et “
diligentia. Atque in hac quidem parte veſtram prae nobis felicitatem vo-“
bis merito gratulamur, et a vobis petimus, vt precibus veſtris apud Deum“
nos iuuetis, in impetranda eius gratia, qua nobis etiam ordinis et decori“
Chriſtiani Profectus aliquanto maior concedatur, fiatque vt nos ipſos iudi-“
cantes non iudicandi ſimus a Domino. Licet enim vota et ſtudia iam du-“
dum eo contendant, vt aliquid melioris ordinis tandem inter nos conſpici-“
atur: tamen quia nomen eccleſiaſticae diſciplinae (aliis imprudentius et“
opportunius eam vrgentibus, aliis acerbius et ſine diſcrimine repudianti-“
bus) ita factum eſt odioſum, vt magna pars illud auerſetur, atque deletum“
cupiat, vix etiam nomen ipſum, aut tenuem umbram, diſciplinae hacte-“
nus obtinemus. Idcirco cum pudore et dolore videmus veſtra opinione“
plus nobis tribui, quam apud nos deprehendimus: nobis tamen inde ſtimu-“
los incuti ſentimus, quibus excitati conemur veſtrae et aliorum piorum, “
honeſtae de nobis opinioni, magis reſpondere, &c. 19. Mart. 1574.“

114. Ad has accepto reſponſo Heydelbergenſes, miſerunt ad fratres *Badium* quendam, cum his ad eundem Antiſtitem (a D. Oleuiano ſcriptis) literis. *Oſtendit mihi Dominus Vrſinus literas veſtras, et D. Langueti:* e quibus“
cognoui vos iam pridem ſtrenue ad illum ſcopum contendere, quo et nos“
aſpiramus; vt nimirum non in diſputatione, ſed actione, hoc eſt vera ad“

Deum“

„Deum conuerſione, et ſolida in Chriſtum fide, religionis initium, medium,
„finem, ponamus. *Peto igitur a vobis, meo et fratrum, qui hic Eccleſiae inſeruiunt
„nomine, vt Ioanni huic Badio omnem Eccleſiae noſtrae oeconomiam exponatis*, eum-
„que commendatum habeatis: eſt enim vir eruditus et valde pius. Salutat
„vos D. Vrſinus et omnes collegae: Heidelbergae, 28. Aprilis, 1174.

115. Quid vero de iis, quae Badius in fratrum Eccleſiis viderat, ſenſe-
rint Heidelbergenſes, patet ex litteris iterum ab Oleuiano ad Stephanum
„datis, 6. Sept. vbi ſic loquitur. *Dici non poteſt, quanti ego illud opus Domini
„faciam, quod in eccleſiis veſtris non inchoauit modo, ſed tot etiam annos continuat.*
„Mouet me non parum, et collegas meos, vltima huius ſeculi corruptio, vt
„de optima Eccleſiae gubernatione vobiscum conferamus. Cupimus enim
„ita aedificare, vt aedificium ad poſteritatem ſit ſtabile. Videmus autem
„quanta ſit varietas, quamque ſubitae mutationes in iis Eccleſiis, quae iu-
„re veluti ſuo exutae ſimpliciter a Politiis pendent. Hiſce malis niſi matu-
„re occuratur, ſentient multi pii, ſe (ſaltem magna ex parte) in vanum cu-
„curiſſe: dico quod ad ſtabilitatem aedificii attinet, et ad conſeruationem
„atque propagationem totius Oeconomiae regni Chriſti. Qua in re quae
„Dominus vobis conceſſit, agnoſcimus, atque plenius ea agnoſcere cupi-
„mus, Dominumque rogamus, vt ipſemet ad eam rem media ſuppeditet.
„Certe cum triſtem faciem Eccleſiarum Reformatarum in Germania intue-
„or, totus pene cohorreſco. Video Politias hoſpitia fuiſſe Eccleſiae, at iam
„multis in locis hoſpitia mutantur in dominia: vt libere in Eccleſias adeoque
„ipſam coeleſtem doctrinam, dominentur. Cauſa huius mali non poſtre-
„ma eſſe videtur, quod Eccleſiae multae nimis ſeſe Politiis huius mundi ad-
„ſtrinxerunt: quaſi pars ſit eſſentialis regni Chriſti. Itaque veſtram ratio-
„nem aedificandi non poſſum non magnifacere, qui vultis Eccleſias veſtras
„ita Politiis huius mundi, imo omnibus hominibus ad bonum, eſſe ſubie-
„ctas, vt tamen nil libertati ſuae, quam Chriſtus ſanguine ſuo eis compa-
„rauit, decedat.

116. *Hubertus Languetus* (cuius ante facta mentio) fuit Electoris Saxo-
niae in aula Caeſaris Viennae Legatus, magnae auctoritatis vir. Aliquot eius
ad *Andream Stephanum* reperio epiſtolas, inque illarum vna haec verba: *Ni-
hil magis metuit Pontifex quam noſtrorum conſenſum et coniunctionem, quae ipſi fu-
tura eſſet exitio, ſi inſtitui poſſet: ſed ſunt inter noſtros inſani quidam Theologi, qui
„omnia recta conſilia reſpuunt, eaque re vtilem Pontifici nauant operam.* Vellem
„Eccleſias Bohemicas, quas ſcribis expetere confeſſionem Auguſtanam, ſe
„prius cum veſtris coniungere. Sed haec ſunt in ſolius Dei arbitrio ſita;
„quem ardenter orare debemus, vt ſuum gregem tueatur aduerſus illos, qui
„eum diſſipare conantur. De generoſo D. de Z. idem ſentio quod tu. Viſus
eſt

eſt mihi ex eo hominum generе eſſe, qui prudenter et ſimpliciter de rebus"
iudicant, nihil ſuis affectibus tribuentes: pleroſque (qui alias non carent"
ingenio) ita abripiunt affectus, vt interdum videantur ſenſu communi de-"
ſtitui, cum de rebus iudicant. Viennae.15.Febr.1574."

117. Prodierat interim anno 1572. Antuerpiae praeclarum *opus Biblicum* quadrilinguae, *Benedicti Ariae Montani*; et mox Latina noua Bibliorum verſio *Franciſci Iunii et Immanuelis Tremellii* Heidelbergae. Quo excitati fratres ad nouam quoque adornandam ſua lingua verſionem, fontibus conformem (quia omnes eatenus latinae tantum verſionis verſio erant) animum applicauerunt, emiſſis eo fine ad Academias (Wittenbergenſem et Baſilienſem) Theologiae aliquot canditatis, qui linguis ſanctis a fundamento diſcendis darent operam. Quibus acceſſit Iudaeus natus, *Lucas Helitz Poſnanienſis* et doctus et pius vir, euangelii quoque apud nos miniſter factus. Hi ergo vt ſacro huic operi vacare poſſent quiete, aſſignatus illis fuit in meditullio Morauiae cohabitandi locus, caſtellum *Kralitz*, erectaque ibidem officina Typographica, ſub patrocinio Magnifici D. *Ioannis Baronis de Zerotin*, in arce proxima *Nameſt* reſidentis, omneſque hos munificentia ſua liberaliter ſuſtentantis. Proſperauitque Deus adeo, vt Prophetas et Apoſtolos ore noſtro germaniſſime loquentes habeamus, ſi vlli Europaeorum. Fuerunt autem in opere hoc (pura verſione adornando, commentariis illuſtrando, typiſque ſex tomis exſcribendo) toti 14. anni inſumti. Prima ſi quidem pars, *Pantateuchus*, prodiit anno 1579.: ſecunda, *Hiſtorici libri*, 1580, tertia, *Hagiographa*, 1582. *Prophetae*, 1587. *Apocrypha*, 1588. Sexta denique pars, *Nouum Teſtamentum* complexa, 1593. Vnde demum aliae poſt editiones deſumebantur.

118. Anno 1575. celebrauit Maximilianus comitia Pragae, ordineſque Regni ſub vtraque *ſyncretiſmum, ſub communi vnius confeſſionis teſſera*, inire permiſit: fruſtra id, quanquam omni niſu, tam Ieſuitis quam Pſeudo-Huſſitis, impedire tentantibus. Cum enim ſupplicibus ſuis libellis Proteſtationibusque inter alia inſeruiſſent, *ordines ſub vtraque non eſſe in fide vnanimes, ſed fouere inter ſe Piccardos, Caluiniſtas, Lutheranos*: ordines vt conſenſum teſtari poſſent, confeſſionis communis conſcribendae iniuerunt conſilium: electis adhaec Theologis certis, illiſque ex Baronum, Nobilium, et Ciuico ordine, inſpectoribus datis. His ergo *magiſtri Pragenſes* obtulerunt libros M. Huſſi, veterumque Bohemorum de religione facta Synodica et comitialia decreta. Qui Auguſtanam confeſſionem erant amplexi (magna iam ordinum pars) obtulerunt eandem confeſſionem ſuam, ſicut et ſuam illi qui ex fratribus erant. Conferebant ergo in ſingulis fidei articulis, et ſenſum, et loquendi formulas, ſingularum partium: exprimebantque formulis talibus,

Digitized by Google

quibus quaelibet pars ſubſcribere poſſet et vellet, *ad particulares nimis, ſubtiles et ſcholaſticas, quaeſtionum differentias non deſcendendo.* Quae chriſtiana illorum moderatio et prudentia nonſolum ipſis tum profuit, ſed et multis magnis viris, in Germania et alibi, placuit. Caeſar enim oblatam ſibi confeſſionem illam ratam habuit, omnesque illi ſubſcribentes in regiam protectionem ſuſcepit. Conſiſtorii tantum conſtituendi, et Academiae, poteſtatem, quam petebant, in aliud tempus reiecit: ſancte interim promittens, non defuturum ſe, aut certe filium (quem iam deſignauerant ſucceſſorem) ordinum petitioni.

119. Notandum: hanc *ordinum confeſſionem Bohemice fuiſſe ſcriptam, in latinum non translatam*, nedum typis excuſam, niſi anno 1619. cum regi Friderico ab Academia et conſiſtorio Pragenſi offerretur. Ideoque in *confeſſionum harmonia*, ſeu Syntagmate, non exſtat: quae autem Bohemicae confeſſionis nomine ibi habetur, ea *fratrum Bohemorum confeſſio* eſt peculiaris, non haec ordinum communis. Quam in Germanicum duntaxat transferri curarat, Wittenbergenſiumque Theologorum cenſurae mox a comitiis anni 1575. ſubmiſerat, *D. Bohuslaus Felix a Lobkovvitz et Haſſenſtein*, electus ab ordinibus tunc negotii Director. Approbarunt autem eam Wittenbergenſes: inter alia his etiam verbis (in ſuo ad Baronem Germanico reſponſo) vſi: *Quanquam confeſſio haec compendioſa eſt, facileque animaduertimus in conſcribenda illa id maxime fuiſſe ſpectatum, vt primarii fidei articuli breuiter, rotunde, proprieque exprimerentur, ad euitandam ſuperfluam prolixitatem, et de ſcrupuloſis quaeſtionibus lites ac iurgia. Quod fortaſſis rixoſi aliqui in Germania noſtra, ſi confeſſio haec Germanico etiam prodiret idiomate, taxaturi eſſent: nobis tamen chriſtiana haec prudentia et moderatio veſtra non probari non poteſt. Ideoque admonitos volumus aperte, vt tametſi aliunde alia veniant iudicia, ab hac tamen Sancta et caſta ſimplicitate abduci vos ne patiamini. Id ſiquidem certum eſt, optime ſic conſuli Eccleſiis, easque tam maxime aedificari, emendari, et in vnanimitate conſeruari, quando pura Euangelii doctrina populo chriſtiano in ſimplicitate, ſine ambitione quaeſitis ſubtilitatibus et emergentibus inde contentionibus proponitur:* quemadmodum et Pſalmus XXV. orat; *ſimplex et rectum cuſtodiat me*, &c Dabantur Wittenbergae 3 Nouemb. 1575.

120. Exemtus rebus humanis Optimus *Maximilianus*, anno 1576. ſucceſſorem habuit filium *Rudolphum*: qui paternis veſtigiis inſiſtens, ad annum vsque 1602. pacate regnauit, nulla cuiquam religionis nomine illata moleſtia. Hoc demum anno clandeſtinis Ieſuitarum per ſua organa machinationibus eo res deducta fuit, vt Rudolphus conſcripto ab illis edicto (*de*

repro-

Digitized by Google

reproducendo in Piccardos VVladislai mandato) ſubſcriberet, publicarique iuberet: nullo tamen alio effectu, quam quod templa fratrum aliquod ad tempus clauſa fuerunt. Fratrum enim Patroni, proceres, proteſtati ad ſe iſtud nihil pertinere, cum tales non ſint quales Piccarditae illi deſcribantur, facile obtinuerunt, vt edicta ſua non ſtricte obſeruari conniueret mitiſſimus Caeſar: nec illa vrgere per alios Euangelicos ordines hoſtibus adeo licuit. Relatum quoque fuit a fide dignis, eum poſteaquam veſpere eius diei 22. Iulii de intercepta a Turcis *Alba Regali* (praecipua Hungariae vrbe) aduolaſſet nuntius, conſternatum dixiſſe: *exſpectabam tale quid, poſteaquam hodie Dei Regimen, quod eſt conſcientiarum, vſurpare coepi:* ad paternam reſpectans gnomam.

121. Nec illi aliud fuiſſe propoſitum, quam pientiſſimi parentis praeſtare promiſſa, conſcientiarumque ſtabilire libertatem, declarauit ſatis poſtea, cum anno 1609. Ordinibus Regni ſub vtraque (reclamante licet Papa et factione Hiſpanica, ſuisque adeo conſiliariis nonnullis) *conſiſtorium inferius Academiamque, ordinum arbitrio reformanda, tradidit*: additis *Maieſtaticis litteris, quibus et donationem confirmauit; et templa ſcholasque ab Euangelicis vel poſſideri* (quas poſſident) *vel exſtrui* (vbi opus) *permiſit; et affligi quenquam religionis nomine* (etiam e ſuis Catholicorumve procerum, imo et ſpiritualium ſubditis) *vetuit; et futuros reges ſucceſſores ſuos ad haec ſancte obſeruanda obſtrinxit: et denique ordinibus defenſores, libertatis huius cuſtodes, e medio ſui eligendi facultatem reſtituit.*

122. Ordines igitur *Conſiſtorium* reformant: et quidem Concordiae cauſa *tres de Huſſitis, tres de Fratribus, totidem de Euangelicis aliis*, Miniſtros per ſuffragia, eligunt illisque *tres Academiae Profeſſores* adiungunt: atque hos duodecim ſelectos viros, Eccleſiaſtica totius regni negotia curare iubent. Et quia de Compactatis abolendis, atque ad normam ſolius diuinae legis regendis Eccleſiis, iam conſenſus erat omnium, electus eſt *Adminiſtrator primus ex Huſſitis, Elias Schuda de Semanin*, poſthac e communi Decanorum coetu eligendus. *De fratribus* vero (quibus ſuus diſciplinae ordo ad pleniorem vſque Syncretiſmum permiſſus) concluſum eſt, vt ſuum *Seniorem, Adminiſtratoris collegam proximum*, quamdiu ordinis illius diuerſitas (amica tamen concordia) durauerit, haberent. Quibus et templum *Bethleem* dictum, et Huſſi praedicatione clarum, tanquam genuinae Huſſi progeniei ab Academia conceſſum eſt. Quae omnia omnium bonorum publica laetitia peragebantur: perſonabantque diuinis laudibus omnia; et templorum valuis paſſim affigebatur.

Templa patent, Leo laetus ouat, firmante Rodolpho,
Quam dederas fidei, Maximiliane fidem: et ſimilia.

123. Effloruit itaque Religio purior, ſublato paulatim *Pſeudo-Huſsitiſmo*, per totum regnum: vt vix centeſimus quisque ſupereſſet, qui non Euangelicam profiteretur doctrinam. Sed eheu! cum religionis libertate (vt fieri aſſolet) paulatim quoque ſuccreſcere coepit vitae licentia, diſciplinaque (etiam apud quos viguit ante) diſſolui mirum in modum. Quare non omnibus piis libertas illa, carnis ſecuritatem ſecum trahens, placuit, maleque nonnulli ominari coeperunt: donec et Ferdinandiana horrenda tempeſtas nos obruit, propheticumque illud, *in pace amaritudo mea amariſſima*, impletum eſt.

124. Euangelii enim hoſtes inuidia repleti, & ad conſuetas ſuas artes conuerſi, machinam in occultis conſtruxerunt, qua diſplosa penitus ſubuerſi ſumus, tota illa tot ſeculis *Nimrodo Papae reluctans Bohemica Eccleſia*. Vt illi cum euerſa olim filia Sionis lamentandum iam ſit: *venati me ſunt tanquam auem inimici mei: deiecerunt in lacum vitam meam, obruerunt me lapidibus: merſerunt me profundo, perii*, Thren. III. 52. &c. Nam exemto rebus humanis libertatis noſtrae vindice Rudolpho, deque Concilii Tridentini exſecutione diſpoſitis conſiliis *a Bohemis incboandam eſſe*, hoc egerunt, vt eos exquiſitis (contra ſacratas priuilegiorum leges) diuexationibus ad impatientiam, & dehinc ad arma, proritarent: ſi ſe eo abduci paterentur, iuſtum habituri colorem eos, ceu ſupremae maieſtati rebelles, totius Catholicae Ligae armis opprimendi. Factumque eſt, peccatis noſtris contra cauſae iuſtitiam praevalentibus, Deo autem hoſtibus, vt homnes in ſanctos Dei crudelitatis menſuras apud nos etiam tandem explerent, permittente.

125. Nam obtenta anno 1620. victoria, procerumque primariis partim ſupplicio affectis, partim diſperſis, Eccleſiarum paſtores vniuerſos vniuerſali mandato (quaſi rebellionis auctores) proſcripſerunt, tum populum an religionem mutandam primum blande allicere, mox terroribus et diuexationibus variis adigere, tentarunt. Demum cum ſexennio toto paucos ita prehendiſſent, anno 1627. totam Euangelicam nobilitatem patria proſcripſerunt, plebem autem carceribus & torturis ad renuntiandum calici, promittendamque Papae obedientiam, compellere agresſi ſunt. Vbi ſane permulti ſanguinem potius quam animas profundi parati erant, et expetebant, ſed votum hoc irridebatur: *non ſanguinem eorum ſitire Caeſarem, ſed animarum ſalutem*, dictitantibus nouis illis ferro armatis Apoſtolis. Erat enim concluſum Romae, *quando quidem in Lutherana haereſeos febri curanda nihil adhibitam ſanguinis miſsionem profuiſſe integri ſeculi experientia oſtendiſſet*, alia

alia nunc eſſe tentanda remedia, diaetae beneficio; per exilia nimirum, carceres, tribulationesque omnis generis lentas.

126. Cuiusmodi *quadraginta annorum diaeta* eo res deducta eſt, vt intra Bohemiam et Morauiam nullum amplius Euangelicis reſtet templum, nulla ſchola, nullum priuatum religionis exercitium, nulli ſacri libri, exuſtis Bibliorum Codicibus, aliisque purioris diuini cultus adminiculis, quaecunque vsquam deprehendi potuerunt, omnibus. Qui autem fidei DEO ſeruandae cauſa patria elapſi, perque vicina regna dilapſi erant (milleni ſane numero) aut exilii moleſtia animis fracti conſtantiam deſeruerunt, aut calamitatum diuturnitate ſic abſumti ſunt, vt non niſi tenues hinc inde ſuperſimus reliquiae: *velut poſt peractam vindemiam duo treſue racemi, et poſt obliuitatem duae treſue baccae in vertice rami*, [Ieſ. XVII. *5. 6.*] *deſerentibus nos cunctis amatoribus noſtris, neque nos requirentibus, imo etiam cum a nobis requiſiti eſſent cor aduerſus nos obdurantibus*, Ierem. XXX. 14.

127. Et nos quidem omnipotentis iram, quae ſuper gentem noſtram iuſte adducta eſt, iuſte toleramus, 2. Macc. VII. 58. Sed *iuſtificabuntne coram Deo actiones ſuas, qui et communis Euangelicae cauſae, et antiquorum foederum immemores, in communi cauſa ſuccumbentibus, non ſolum non ſuccurſum iuerunt, ſed et aduerſum fratres et vicinos* [vt Idumaei olim] Babylonios incitarunt, *Exinanite, exinanite, ad fundamentum vsque*, Pſalm CXXXVII. v. 7. clamantes. Nec alii ſibi pacem conſtituentes recordati ſunt, *Bohemos communem aduerſus Antichriſtum cauſam et primo, et conſtanter tot ſeculis, tutatos, dignos eſſe, quorum iterum cauſa communi ope agatur:* eousque ſaltem, vt ne apud eos Euangelii lux (vbi primum accenſa; et publico candelabro expoſita fuit) non ſic penitus exſtingui, vti factum eſt, permitteretur.

128. Genti ergo afflictisſimae, ob id quod doctrinae Apoſtolicae, et veſtigiis Eccleſiae primitiuae, ſanctorumque Patrum manuductioni, ſtudioſius adhaeſiſſet, prae ceteris exoſae factae, impetitae, deiectae, proculcatae, a ſuis derelictae, neque commiſerationem humanam inuenienti, hoc vnum reſtabit, vt ſolius aeterni miſeratoris opem inclamando, cum euerſo olim populo Dei dicat: *propterea fleo, quod longe a me factus eſt conſolator, non eſt qui reficiat me: perditi ſunt filii mei, quoniam inualuit inimicus*, Thr. I. 16. *Expandit Sion manus ſuas, ſed non eſt qui eam conſoletur, v. 17. Inclamabam amicos meos, ſed illi fefellerunt me, v. 19. Vide Domine, quomodo tribulor, v. 20. Audiunt me in gemitu eſſe, et nemo conſolatur me, omnes inimici mei gaudent, v. 21, Recordare Iehoua quid nobis fiat, vide opprobrium noſtrum, cap. V. 1. Haereditas noſtra tranſiit ad alios, domus noſtra ad alienigenas, v. 2. Pupilli ſumus, ſine patre, 3. Perſecutionem patimur, laboramus,*

Google

boramus, nulla nobis relinquitur quies, 5. Serui dominantur nobis, nemine nos e manu illorum aſſerente, 8. defecit gaudium noſtrum, verſus eſt in luctum chorus noſter, 15. Tu Iehoua in ſeculum manes, ſolum tuum a generatione in generationem, 19. Quare in aeternum obliuiſceris noſtri? 20. Reſtitue nos tibi, vt revertamur! innoua dies noſtros, ſicut a principio, 21.

129. Sed nec aliarum Slauonicarum gentium Eccleſiae hoc ſeculo multo mitius habent, hinc papali inde Turcico iugo preſſae, aut etiam multiformibus Eccleſiae Graecae ſuperſtitionibus obrutae. *Miſerere populi tui chriſtiani tot modis acciſi et conciſi, Ieſu Chriſte!*

130. Haec autem omnia cui fini hic memorantur? nobis quidem in ſolatio: recordantibus quod quemadmodum olim, primitiuae Eccleſiae temporibus, nulla vis, nulla tormenta, nulla ſupplicia, chriſtianiſmi propagationem ſiſtere poterant; ita nunc extremus hic Papalis ſaeuitiae furor Euangelii curſum ſiſtere non poterit. Quia licet alicubi faces eius extinguantur (vt apud nos) alibi tamen tanto fortius flammeſcunt. Nec alius nunc Deus eſt quam olim, aut manus eius abbreuiatur, quin poſſit e Babylonica fornace ſuis inuenire exitum, hoſtes autem propriis inuoluere flammis. *Magnus eſt Dominus noſter, et magna virtus eius, et ſapientiae illius non eſt numerus*, Pſalm CXLVII. *5. quicquid vult facit, in coelo et in terra* CXXXV. *6. Nec ſuos repellit in ſempiternum, ſed ſi contriſtauit, rurſum miſeretur, ſecundum multitudinem miſericordiarum*, Thren. III. 31. 32.

131. Alii autem haec recognoſcendo, et quam ſeuere Dominus nos (qui haereditatis eius etiam portio fuimus) caſtigarit expendendo, diſcant et ipſi iudicia paueſcere Dei, qui ea plerumque a domo ſua, incipit, 1. Petr. IV. 17. imo ab ipſo ſanctuario ſuo, Ezech. IX. 6. Nam ſiue nos ſanctuario fuiſſe propiores (propter ſanctioris diſciplinae ſtudium) credunt, ſiue ſeipſos prae nobis, res eodem redit. Nempe ſi vos reuera pietati propiores fuimus: profecto quibus Chriſtianae vitae minor cura fuit, ſibi audire habebunt illud Chriſti: *Si haec in viridi, in arido quid fiet*? Luc. XXIII. 31. Si vero illi prae nobis ſanctuario propiores reuera, reuera itaque maiores expectare habent prae nobis plagas, ni exemplo noſtro moniti reſipiſcent: *quia cui plus datum plus vapulabit* Luc. XII. 47. 48.

132. Si cui veniat cogitare, *hic in laudem veſtram multa recitata ſunt*: reſpondebo, proprias laudes protulimus nullas, tantummodo quid aliis viſum fuerit, memorauimus. Dicere igitur cum ſupremo magiſtro licebit: *Si*

ego

Digitized by Google

ego teſtor de me ipſo, teſtimonium meum nihil eſt. Alius eſt qui de me teſtatur, Ioannes, &c. Ioann.V.31.32.34. *Ego tamen ab hominibus teſtimonium non accipio* (inquit Dominus) *ſed haec dico vt vos ſeruemini, v.35.* h.e. vt ad veritatem expendendum, agnoſcendum, gloriamque Deo dandum, excitemini. Nec autem nobis, tot hic recitatorum teſtimoniorum alius ſcopus, quam vt adſequentis libelluli attentam recognitionem pii lectores excitentur tanto melius, *num res noſtrae tanta tantorum virorum elogia mereantur* agnituri, et de hinc res ſuas aut meliores retenturi, aut corruptiores emendaturi.

133. *Nos ſi abſcondendo hucusque minam noſtram peccauimus, ecce emendamus, publice eam exponentes*! atque ſi nobis iam accidit quod ingrato illi, et ignauo, vt ſeuerum experiamur iudicium Domini dicentis, *auferte ab illo minam, et date decem habenti*, Luc.XIX.24. humiliter cum Dauide dicendum erit: *Dominus eſt, faciat quod bonum videtur in oculis ſuis*, 2 Sam. XV.26. Vobis autem o Eccleſiae, plus minarum habentibus, ecce noſtram quoque iam tradimus! recipite illam a nobis, reuerenter oramus, ita, vt inde plus aliquid, quam dum apud nos ſolos fuit, lucri cedat Domino. Legimus apud Moſen, quum *tabernaculum* ſibi mandans erigi Deus, oblationes a populo requireret ſpontaneas, *quisquis habuit aurum, hyacinthum, purpuram, coccum, byſſum, pilos caprinos, pellesue arietum*, &c. obtuliſſe; operariosque diuinitus excitatos inde opera confeciſſe, Exod.XXXV.23.&c. Nunc vero audimus hic et illic viros ſapientes de erigendo in Eccleſiis throno Chriſti, diſciplina, optimaque regiminis Eccleſiaſtici forma, conſultare: quid ni ergo quemcunque ſponte mouet animus ſuus, (vt ibi Moſes loquitur, v.29.) offerat quicquid habet? (offerre ſiquidem quod non habet nemo poteſt) Artifices vero quos excitat, et excitabit Dominus, has materias ſeligendo, dirigendo, perpoliendoque Tabernaculum Domino erigant?

134. Credo equidem *Lutherum, Bucerum, Caluinum, Muſculum, Zanchium, Bezam, Oleuianum, Vergerium*, &c. etiam Beſeleeles et Oholiabos (Spiritu Dei repletos) fuiſſe, et quid operi diuino plus aut minus conueniat, iudicare potuiſſe, vos tamen qui in eorum labores introiuiſtis, illorum iudicia vobis praeiudicare ne permittite, in diiudicandis omnibus, quae obuenient liberrima mente verſati. Memores tantum, *ſi haec a ſpiritu Apoſtolico ſunt, Apoſtolico ſpiritu diiudicanda eſſe*: h.e. non hic quaerendam ſermonis aut ſapientiae ſublimitatem, ſed oſtenſionem ſpiritus et virtutis, &c. 1. Cor.II.1.

135. Verum de his plura, poſtquam res ipſa praecognita fuerit, *vt intelligentibus loquemur, iudicate quae loquemur.*

Dan.IX.

Dan. IX. verſ. 7.

TIbi domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei, omnibus propinquis & longinquis, in omnibus regionibus, quo disperſiſti nos, propter praeuaricationes noſtras. 15. Nunc tamen domine, qui nos populum tuum e terra (ſpiritualis) AEgypti eduxiſti, et tibi comparaſti nomen, quale eſt hodie. 16. Auertat ſe iam a populo (Chriſtiano) ira et excandeſcentia tua. 17. Auſculta Deus noſter orationi ſerui tui, et deprecationibus eius! et fac vt luceat facies tua ſuper ſanctuarium tuum, quod deſolatum eſt, PROPTER DOMINVM. 18. Inclina Deus aurem tuam, et audi! aperi oculos tuos, et vide deſolationes noſtras! Non enim propter vllam iuſtitiam noſtram nos procidentes adoramus TE, ſed propter miſerationes tuas amplisſimas. 19. Domine attende et effice, ne tardato!

Propter TE, DEVS mi: quia de nomine Tuo vocatus eſt populus tuus. Amen!

FINIS.

Digitized by Google

IO. AMOS COMENII,
ECCL. FF. BOH. EPISCOPI.

DE

RERVM HVMANARVM EMENDATIONE CONSVLTATIO CATHOLICA,

AD GENVS HVMANVM

Ante alios vero

AD ERUDITOS, RELIGIOSOS, POTENTES,

EVROPAE.

HALAE, Typis & impenſis Orphanotrophii. 1702.

Digitized by Google

Ierem. XLIX. v. 7.

Numquid non vltra eſt ſapientia in Themam! Periit CONSILIVM a filiis? inutilis facta eſt ſapientia eorum?

Prouerb. XV. v. 23.

Diſſipantur cogitationes, vbi non eſt CONSILIVM: vbi vero plures ſunt CONSILIARII, confirmantur.

Iob. XXXIV. v. 2. 4.

Audite ſapientes verba mea, & eruditi auſcultate me. IVDICIVM eligamus nobis, & inter nos videamus quid ſit melius.

Digitized by Google

LECTORI AMICO.

Et huius ſcripti auctor eſt IO. AMOS COMENIVS. Hic vir qualis quantusq; fuerit, paucis tibi, L.B. praeoſtendere conſultum eſſet; ſed, cum vitam eius vir eruditus propediem edet deſcriptam, poteris inde petere, quae ſcitu & neceſſaria & ſalutaria ſunt. Hoc tamen te nolo ignorare, quod Morauus fuerit, & varia per vitam munera, cum eccleſiaſtica tum ſcholaſtica, geſſerit, ad quae natus etiam videbatur. Etenim iſtis animi dotibus praeditus fuit, quibus inſtructi eſſe debent eiusmodi muneribus praeficiendi, dexteritate ſcilicet ad docendum, & pietate, coniuncta cum pari prudentia. Dexteritatis documenta praeſto ſunt clariſſima. Habemus *Opera* eius *Didactica*, quae Amſtelodami 1657. in fol. excuſa ſunt. Si per inſtitutum nobis liceret, ire per ſcripta ſingula, quae hoc volumine continentur, & cuiusuis exſcribere argumentum, quam pie, clare, perſpicue & diſtincte omnia praeceperit, pateret. Hoc enim ſibi propoſuit, * *vt inueſtigaret & inueniret modum, quo docentes minus docerent, diſcentes vero plus diſcerent; ſcholae minus haberent ſtrepitus, nauſeae, vani laboris; plus autem otii, deliciarum, ſolidique profectus: res publica Chriſtiana minus tenebrarum, confuſionis, diſſidiorum; plus lucis, ordinis & tranquillitatis.* Ad quae vt & reliqui, qui de ſtudiorum ratione commentaturi ſunt, reſpiciant ſemper, optandum eſt. Ad alteram virtutem, quae pietas eſt, quod attinet, eo minus dubitare de ea poſſumus, quo magis illi deditus fuit, & inculcauit aliorum animis. Ipſa pietatis praecepta & ſubſidia, quae P. 1. opp. did. c. 24. ſuppetunt, ſi conſidero, nullis amplius rationibus indigere videtur noſtra ſententia. Fac vero, haec, quae attulimus, teſtimonia deeſſe, quid iudicabis, ſi in medium protulero eiusdem *Opus*, quod vocat *Panſophicum?* conuocauit ibi omnis ordinis & loci viros, quotquot in Europa habitant, & conſilia illis ſubminiſtrat, quomodo delectus ſtudiorum conſultior inſtitui, & inprimis pietas ſanctique mores fructibus ad imitationem peruenire poſſint. Intelligebat enim vir prudens, & rerum diuinarum humanarumque vſu peritus, quam prolapſae res eſſent,

(a) 2 Chriſti-

* *Op. did. P. I. f. 6.*

Digitized by Google

Chriſtianorum, quam longe non Romana tantum Eccleſia ab apoſtolorum inſtitutis & diſciplina deſciuiſſet; ſed etiam, quam procul illi abeſſent a verae Eccleſiae imagine, qui & doctrinae & morum emendationem ſuſcepiſſe videbantur. Itaque omnia eius conſilia & labores eo ibant, vt rebus Chriſtianorum ſubueniret laborantibus. Nunquam autem antea opus, cuius mentionem fecimus, diuulgatum fuit. Ignotum quidem eruditis non erat, extare Comenii conſultationes de vniuerſali rerum humanarum emendatione, & magnopere eas vel videre vel legere deſiderabant; ſed quam paucis contigit? Nos ipſi, quibus eadem eſt voluntas, vt publicae ſaluti proſimus, diu in operis deſiderio fuimus. Tandem ſingulari Dei prouidentia factum eſt, vt ea omnia in manus noſtras peruenirent, quae ad opus panſophicum pertinent. Conſultiſſimus enim vir, & Comenio amiciſſimus, IVSTVS DOCEMVS, pro ſingulari ſua erga nos beneuolentia, cum ante duos annos apud nos eſſet, nobis reliquit, vt in vulgus edi ea curaremus. Itaque & multis gratum, & pleriſque fructuoſum exiſtimauimus, nunc ea, quae permulti auide expectarunt, publicare. Ideo autem hanc PANEGERSIAM hiſtoriae fratrum Bohemorum adiunximus, quia vtriusque libelli argumenta non multum inter ſe diſſidere videntur. Quodſi videbimus, PANEGERSIAM tuo deſiderio ſatisfeciſſe, reliqua inpoſterum vtidentidem edantur, diligenter curabimus. Vale, & his interea bene vtere.

Digitized by Google

EVROPAE LVMINA,

VIRI DOCTI, PII, EMINENTES,

Saluete!

LEx fuit Athenis, in Areopago, *ἄνευ προοιμίου καὶ πάθους*. Vos mihi magnae Athenae, Vos magnus Areopagus eſtis, Viri magni! legem tamen iſtam non audio. Primum, quia res momenti maioris vobis offertur, ac vlla vnquam Areopago fuit; non praemonuiſſe id, culpae fuerit. Deinde quia pleroſque occupationibus ſic diſtractos video, vt niſi ſingulari aliqua ratione excitati, audituri non ſitis: non audituris vero talia dici, non conuenit. Tandem aduerſus praeiudicia mihi, & cauſae, non ſcuto ſolum, ſed muro aheneo, iamnunc cum primum prodeo, opus eſſe ſentio: hoc igitur me, pace veſtra, praemuniam. Prooemii ratio.

2. Quid aggrediamur videtis! *de emendatione rerum humanarum conſultare catholice*: hoc eſt, modis ac vnquam ab exordio rerum factum, vniuerſalioribus & ſolemnioribus. Nihil igitur nouum, quantum ad rem; toto genere nouum, quantum ad modum rei. Nempe nunquam adhuc mentes humanas, ab ipſo vsque rerum prolapſu, tantus inuaſit ſtupor, quin mala ſua & ſentirent, & deplorarent, & aliquam in melius mutationem anhelarent, imo & pro viribus moliren- Operis coepti vetuſtas, ſimul & nouitas.

Digitized by Google

tur, hominum cordatiores, quouis aeuo, gente, ſtatu. Nunquam tamen hucusque in emendationem corruptelarum omnium conſpiratum eſt ab omnibus: quod iam ſuadetur, fierique totius mundi bono poſſe, oſtenditur.

Emendationem rerum cordatiores hominum moliuntur ſemper: ſed particulariter fere, ideoque profectu exiguo.

3. Quantum ad prius: *omnium ſapientum cogitata, dicta, facta, quae ab vltima antiquitate ſcriptis ad nos transmiſſis tanto numero exſtant, quotidieque plura emergunt, teſtimonio ſunt.* Quorum omnium conatus ſi a conſilio ſpectentur, laudabiles: ſi a mediis vſurpatis, varii; ſi ab euentu, omnes hucusque votis parum reſpondentes, iudicari poſſunt. Manent enim confuſiones mundanae, vti ſemper; nec loco motae ſunt, quantum ad generis humani communitatem, tametſi particulariter multa in multis, DEI beneficio, inſigniter emendentur indies, ſed & relabantur denuo in chaos.

Vniuerſalibus ergo viis, nondum tentatis, tentandum hoc idem.

4. Tentare igitur, num in commune etiam tam variae, abſurdae, exitialesque enormitates efficacius aliquo modo emendari, & tandem tandemque aliquando a genere humano vniuerſaliter tolli poſſint, quid prohibet? Et quid prohibet, nos etiam poſt alios, aliosque rurſum poſt nos, tentare idem? Res profecto haec tanti eſt, vt millies auſis excidere, quam eam non millies tentare, praeſtet. Praeſertim ſi quid viae nouae, nondum tentatae, oſtendat DEVS: qualem eſſe patebit. Prorſus enim vniuerſalis eſt, vltimos deſideriorum humanorum (plus dicam, DEI etiam ipſius) hac in re *fines* deſignans: & *media* ad hos fines nos deducere idonea, certa, fallere neſcia, veſtigans, eueſtigataque iam ope DEI oſtendens: tandemque mediis illis vtendi *modos* tam facile exhibens, vt nihil reſtet niſi VELLE, & inuocato diuino auxilio a ſeculis deſiderato operi ADMOVERE MANVM.

Sequentis operis partes ſeptem.

5. Viam hanc vt opere ſequenti explanate in conſpectu omnium ponamus, ſeptem haec ordine agimus.

I. ...citatorium ...ſalg.

6. Primo, *quid per res humanas intelligendum veniat, determinamus: commercium* nempe *hominum cum rebus*, quibus

bus potenter dominari, & *cum ſeipſis*, quibus rationabiliter conuerſari; *& cum DEO*, cui aeternum ſubeſſe, illiusque voluntati ſuam conformando aeternae cum ipſo cohabitationi ſeſe praeparare, iuſſi ſunt ad imaginem creatoris homines: verbo, *ERVDIT.O*, *POLITIA*, *RELIGIO*. Tum oſtenſo qualia haec tria, ſi in idea ſua ſecundum DEI intentionem conſiderentur, eſſe oporteat, nihil horum ita eſſe, omnia in cofuſionem prolapſa, euincitur: idque ad excitandum miſeriae noſtrae ſenſum, emendationisq; (ſi vllo modo poſſibilis ſit) deſiderium. Haec prima pars inſcribitur PANEGERSIA, h. e. EXCITATORIVM VNIVERSALE.

7. *Tum veſtigamus poſſibilitatis vias, reperirique confuſionum humanarum tenebris efficaciter emouendis vnam ſolam, ſed patentem & potentem*, LVCEM MENTIVM per omnia ſe diffundentem, oſtendimus. Haec pars vocabitur PANAVGIA, h. e. *lucis vniuerſalis via*. II. *Panaugia.*

8. Exinde veſtigamus, *quomodo ad lucem hanc res omnes cancellis includi poſſint*, vt fiat in conſpectu mentis *catena rerum omnium perpetua, nusquam interrupta, vno intuitu OMNIA, quae vsquam ſunt, ea ſerie qua ſunt, & eo modo quo ſunt, conſpectui exhibens.* Eritque id *PANTAXIA*, *rerum vniuerſalis coordinatio:* quae ante hac *PANSOPHIAS nomine deſignata fuit.* III. *Pantaxia ſeu Panſophia.*

9. Quarta parte quaerimus *modum, cancellis eiusdem lucis includendi hominum MENTES:* vt nemo non, politurae adhibitus, illam rerum compagem, & omnia quae ſub coelo poſſunt, capere poſſit. *PAMPÆDIAM* vocabimus, *culturam vniverſalem mentium.* IV. *Pampaedia.*

10. Quinto loco *eandem lucem dilatandi quaerimus modos, vt potenter penetrare queat per omnes gentes & populos, & linguas totius mundi.* Quod cum fieri nequeat niſi vehiculo linguae, vocabimus hanc conſultationis partem *PANGLOTTIAM*; h. e. *linguarum vniuerſalem culturam.* V. *Panglottia.*

11. Sexto oſtendimus, *quomodo beneficio omnium praecedentium emendari iam poſſit ERVDITIONIS, RELIGIONIS, POLITIARVMq; ſtatus*, an inducendum mundo, iubente DEO, VI. *Panorthoſia.*

ſe-

Digitized by Google

ſeculum illuminatum religioſum, pacatum. Id nomine *PANORTHOSIAS*, h. e. *reformationis vniuerſalis*, deſignamus.

VII. *Exhortatorium vniuerſale.*

12. Tandem poſt demonſtratum ad oculum omnium illorum poſſibilitatem, imo & per detectas iam vias DEI facilitatem, *exhortationes fient ad omnes vos, o eruditi, religioſi, poteſtatesque ſeculares, & ad omnes denique in vniuerſum Chriſtianos pro his tam optatis & optandis rebus ſerio aggrediundis.*

Qua fiducia haec tanta aggredi audeat, qui haec movet.

13. Hoc praeſentis operis noſtri argumentum eſt. Quod dum ſic explicare incipio, merito in mentem venit, quod Macrobius ſcribit: *Virgilium de ſe, & coepto opere ſuo, dicere ſolitum ſub initia: tanta incboata res eſt, vt pene vitio mentis tantum opus ingreſſus mihi videar.* Si quid ſimile hic eſt (eſt autem longe etiam magis) miſereatur noſtri DEVS, & quod ſupra vires noſtras eſt, virtute ſua ipſemet expleat! Eſt certe negotium ſupra vires: ſed magnitudo praemii, ſi conſilium ſuccedat, omnem difficultatis, nedum impoſſibilitatis, imaginationem ex animo eluat. *Amor laborem non ſentit.* Si amamus DEVM, ſi proximos, ſi animas ipſimet noſtras, hoc agamus quod vehementer proſit. *Si potes credere* (dixit Chriſtus hominis fidem pertentans) *omnia poſſibilia ſunt credenti.* Ille autem cum lachrymis: *credo Domine: adiuua meam incredulitatem* (Marc. IX. v. 22.) O Domine non ignoras tu infirmam quoque fidem noſtram, & imbelles vires noſtras, ad haec tanta! Nec tamen ignoramus nos, quid poſſit in imbecillitate noſtra virtus tua. Succurre igitur languidae fidei noſtrae! ſuccurre infirmis viribus! vt opus hoc miſericordiae ſit tuae, non noſtrum: fiatque per imbecilla organa tua, quicquid hic, vt fieret, praedecreuit manus tua!

Et quas ob cauſſas a Chriſtianis primũ audiri petat.

14. Quae autem his de rebus cogitare, optare, inuenireque nobis dederit DEVS, antequam enarrare incipiam, ad vos primum orbis Chriſtiani luminaria, *viri ſapientes, deuoti, ſublimes*, cuiuscunque religionis, aut gentis, conuerſus, ſublata voce clamo: & vt *VOCES NOSTRAS AVDIRE OMNIBVS VOBIS LIBEAT, per DEVM, &*

quic-

Digitized by Google

quicquid vsquam aut charum aut ſacrum eſt, oro & obteſtor, his de cauſis.

15. *Primum*, quia hic negotium communis ſalutis agitur: non aliter id melius, quam communibus ſuffragiis agi poſſe, haud temere mihi perſuaſi, perſuaſumq; pariter vobis omnib9 eſſe percupio. Omnes certe & ſingulos veſtrum, non minus aut me, aut mortalium quenquam, omnia iſta quae propoſituri ſumus, ad vltimas vsque minutias, concernunt. *Cur ergo haec absque vobis; aut clam vobis, acta velimus? publica in publico fiant. Quod omnes ex aequo tangit, omnes agant, aut certe ſciant.* Illud enim, NIHIL DE NOBIS SINE VOBIS, non vnius alicuius gentis praerogatiua, publicaeque libertatis ſuae baſis eſt: eſt toti generi humano diuinitus conceſſum priuilegium. Quod dum paſſim violamus, aliique de aliis ſine illis conſultamus, decernimus, exequimur: fit vt ſuſpicionum, quaerelarum, rixarum, violentiarum, reluctationum, cladium denique mutuarum, nullus ſit finis. Vt ergo alia ab aliis conſilia & actiones occultare; & priuatim quisque ſibi operari, deſinamus, incipiamus potius in commune conſulere omnes, en exemplo praeimus!

1. Quia haec Chriſtianos primum reſpiciunt.

16. *Secundo*, ad conſiliorum communionem ſolenniter inuitare cogit omnes vos, o reipublicae Chriſtianae proceres, *principalis intentionis noſtrae finis: qui eſt, CHRISTVM, lucem gentium, annunciare iam gentium reliquiis.* Mandauit enim Chriſtus apoſtolis ſuis, eorumque ſucceſſoribus, ire in mundum vniuerſum, euangeliumque praedicare omni creaturae &c. praeſentiam ſuam promittens ad conſumationem vsque ſeculi (Matt. XXVIII.) Quod ſuo tempore apoſtolos feciſſe, euangeliumque de gente in gentem propagaſſe, teſtimonio eſt orbis Chriſtianus: deferbuiſſe autem zelum illum in nobis eorum ſucceſſoribus, teſtis eſt reliquus adhuc infidelium mundus. De qua negligentia ſuo iam tempore queſtus eſt beatus Chryſoſtomus (exponens illa verba Chriſti, Matth. XIII. *Simile eſt regnum coelorum fermento*) his

2. Quid ad Chriſtianae fidei propogationem tendunt.

Digitized by Google

verbis: *ſi duodecim homines totam pene farinam orbis ſermentarunt, diligenter animo verſa, quaeſo, quanta ſit noſtra malignitas atque ignauia: qui cum innumeri ſimus, his gentium reliquias conuertere non poſſumus, qui vel mille mundis ſatisfacere deberemus? &c.* Recte id, ſapienter, pie. Profecto enim ſi nos charitatis diuinae inflammaret ardor, non ſatis eſſe putaremus nos euangelii luce colluſtratos eſſe, imo ipſos eſſe (vt apoſtolus loquitur) lucem in Domino. Commiſereſceret nos etiam tenebrarum, quae operiunt terram: vtque luce eadem circumfulgeatur quicquid ſupereſt gentium, optare, orare, quantumque in nobis eſt allaborare, non intermitteremus. Sed id negligentius actum eatenus; lucique aduerſus tenebras victoriam legitimis viis aut non quaeſitam, aut inſcite quaeſitam, res ipſa teſtatur. Inde factum: vt nos Chriſtiani tantillum terrae angulum (& nec eum quidem totum ac tranquille) poſſideamus; toto reliquo orbe Chriſtum, mundi lucem aut ignorante, aut blaſphemante. Sed & alia quae ad humanitatis culturam ſpectant, *mores, politia, artes,* apud nos fere tantum vigent: alibi *feritas, barbaries, tenebrae,* nec propagandi potenter ſiue fidem, ſiue litteras & artes, ſiue politiam, quidquam fere nobis mediorum eſt amplius: vſurpatis hactenus nullam amplius vim exſerentibus. Annon igitur tam altum dormientes Chriſtianos, interitusque ſui & proximorum nimium ſecuros, extraordinario aliquo clamore excitandi tempus eſſe putabimus? *Crates Thebanus,* cum neglectae vulgo liberorum educationis admonere vellet parentes, turrim ſibi dari optabat, vnde inclamare omnes, & axaudiri ab omnibus, poſſet: ſed eam non reperit. Nos genus humanum neglectae ſalutis admonituri, TVRRIM eiuſmodi ante nos videre videmur: nondum quidem paratam, ſed parari (cooperante induſtriae noſtrae DEO) facilem. Quidni ergo erigere eam, & conſcendere, totumque alloqui mundum, feſtinamus? Quae tamen res cum multorum requirat oculos & manus, eam ad omnes vos iunctim, qui Chriſtiani eſtis, deferimus. *Tros Rutilusue*

Digitized by Google

luce fuat quis, nullo hic nobis diſcrimine habetur. Non gentium, aut ſectarum, factionumque inter nos (ſiue philoſophicarum, ſiue religioſarum, ſiue politicarum) reſpectus nobis nullus eſt: (quippe vnionem qui ſuadet, factionum ſtudia ignoret neceſſe eſt.) Non alio inquam nomine omnia haec vobis omnibus offeruntur, niſi *quia, Chriſtiani eſtis: de regno Chriſti non diſtrahendo, ſed vniendo, non coarctando, ſed ampliando, non obſcurando, ſed illuſtrando; curas ſolicitudinesque agitare ſacramento obligati. Tum & quia docti & ſapientes eſtis;* nonſolum rationes, quibus rudes barbaros artibus diuinis (ad lucis nobiscum participationem) circumveniamus, diiudicare gnari: ſed & inuentiones inuentionibus cumulare, & conſilia conſiliis roborare, idonei.

17. Cauſa *tertia* eſt; *quod cum has ipſas lucernas*, quibus communem fidei noſtrae lucem (poſt ſcientiarum flammulas) ſedentibus in tenebris offerre paramus, *offerre neceſſe fuerit nomine Europaei noſtri orbis communi:* (plus enim ponderis habere poterit, ad ſtudia communis ſalutis, inuitatio publica, tanquam omnium ad omnes, quam ſi eam tentet vnus, aut pauci, ſuo aut ſuae gentis, religionis, ſectae, nomine:) *nos primum inter noſmetipſos de re tota conuenire neceſſum fuerit.* Nos nimirum Europaei vna quaſi communi vehimur naui: contemplamurque *Aſianos, Africanos, caeterosq;* vt ſuis nauiculis in eodem communi mundi & mundanarum calamitatum (ignorantiae, ſuperſtitionum, ſeruitutisque miſerrimae) Oceano fluctuantes. Iam itaque ſi nobis noſter Chriſtus, noſtra nunc nobiscum naui vectus, abunde benedixit, & de diuitiis abyſſi myſteriorum ſuorum rete noſtrum impleuit: ecquid melius cogitare poſſumus, quam vt innuamus ſociis, qui ſunt in aliis nauibus, vt veniant & iuuent nos? ſi venerint, felicius deduxerimus nauem noſtram, benedictione diuina oppletam, ad portum: fiet tandem, vt relictis mundanis illis, quibus nos ad ſe trahit (ſcientiis, artibus &c.) Illum ſequamur puriore affectu, quam eatenus non ſatis cognitum ſecuti ſumus plerique.

3. Quia Chriſtiani orbis nomine, reliquis offerenda ſunt.

Digitized by Google

4. Quia Chriſtianis primũ & ante alios, ad ſedandos bellorum furores neceſſaria.

18. *Quarto*, talia haec tentandi, vobisque ante alios offerendi, occaſionem dedit Deus horrendo illo irae ſuae diluuio, quod nunc ſuper habitatores terrae, nos inprimis Europaeos, effudit: *concitatis omnium aduerſus inuicem gladiis, vt pugnat gens contra gentem, & ciuitas contra ciuitatem, quia dominus conturbat omnes.* (2. Par. XV. 6.) In qua vniuerſali confuſione opus profectò iam eſt aliquo *Elia: qui conuertat cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres, ne forte veniens dominus percutiat terram anathemate.* (Malach. IV. 5. 6.) Quis autem Elias ille? & quomodo auerſos a Deo conuertet, imminentem vero maledictionem a terra auertet? Teſtatur apud Ezechielem DEVS, tempore irae ſuae contra populum ſuum *quaeſiuiſſe ſe virum aliquem, qui interponeret ſepem; & ſtaret oppoſitus contra Deum pro terra, ne diſſiparet eam, & non inueniſſe ſe. Effuſurum itaque ſe indignationem ſuam, & in igne irae ſuae conſumturum eos.* (Ezech. XXII. 30. 31.) Liquet inde, licere cuicui interuenire; & de auertenda ira DEI, modis quicunq; excogitari poſſunt omnibus, eſſe ſolicitum. Quibus autem potius, quam exorando DEVM, vt parcat? homines vero admonendo, vt ſe inuicem, & DEVM contra ſe iunctim, irritare deſinant? eoque modo vt cor paternum conuertatur ad filios hominum: & cor filiale hominum conuertatur ad patrem coeleſtem. Ipſorum quoque hominum corda vt redeant ad inuicem, tantos poſt furores, conſulendi tempus eſt. Quomodo autem melius, quam *Orphei* aliqua ſuauiſſimae harmoniae cithara? Cicero pacata orbi tempora, ſeu praeſagiens, ſeu gratulans, dixit: *cedant arma togae, concedat laurea linguae.* Nos igitur furioſo marti, qui orbem Chriſtianum depopulatus eſt, vt ceſſet & pereat optantes, *populique omnes vt fiant haereditas Chriſti, grex vnus, placidiſſime accubans & paſcens.* (Ieſ. XI. 6.) *populus conflans gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces; vt non leuet gens contra gentem gladium, nec exerceantur vltra ad praelium,* (Cap. II. 4.) quid niſi citharam talem, qua a feritate ad manſuetudinem reducantur omnium hominum animi, nobis optemus? quid niſi, ſi inven-

Digitized by Google

venta eſt, in medium prodeamus, ſuauiterque intonare incipiamus? oſtendit autem nobis, ſuauiſſime per orbem iam iam inſonituram *panharmoniae citharam*, ſuauiſſimus pater. Si extendere manum, citharam prehendere, digitis noſtris adaptare, pulſare, dulcique modulo furentium aures & animos demulcere negligimus, ingrati ſumus, & vt contemtores DEI ac hominum puniemur. Poſt oſtenſas ergo nobis a DEO certas *lucis & veritatis vias*, dicendum fuit cum leproſis illis quibus ad obſeſſam Samariam primum hoſtilis fuga, diuinumque liberationis beneficium, innotuerat: *dies iſte dies boni nuntii eſt, & nos taceremus? ſi exſpectauerimus vſque mane, ſceleris arguemur. Eamus & nuntiemus haec in aula regis. Ieruntque ad portam & nuntiarunt haec ianitoribus.* (2. Reg. VII. 9. 10.) Vos ergo o eruditi, generis humani ad ſapientiam ianitores! vos o theologi, regni coelorum ianitores, primum inuocandi nobis eſtis, vt haec nuntietis in aulis regum: miſertum noſtri DEUM, viamque oſtendere nobis, quomodo felicitatis noſtrae hoſtes, hactenus nos obſidentes (barbariem, impietatem, omnisque generis confuſiones noſtras) feliciter perſequi valeamus!

19. *Quinta* cauſſa, quae opus generi humano dedicandum vobis ante alios offerre coegit, ſunt *ipſius praeſentis ſeculi, mirabile quidpiam parturientis, & ſe in melius diſponentis, apud vos prae aliis vndique erumpentes conatus.* Vix enim vnquam ab orbe condito tale fuit ſeculum, quale hoc noſtrum eſt: in quo ſcilicet euidentius impletum ſit illud: *plurimi pertranſibunt, & multiplicabitur ſcientia,* (Dan. XII. 4.) Feliciter enim pertranſeunt multi coelum & terram; eruuntque & detegunt in dies plura myſteria. *Quod ſi circa particularia pulchre paſſim procedit: quidni aliquid prorſus vniuerſale tentandi tempus ſit?* atque ſi exiguae illae lucis panharmonicae nuper apud nos in Europa excuſſae, & ſub titulo *Ianuae linguarum* foras ſparſae ſcintillulae, tanta celeritate per Aſiam vsque volitare, in ipſisque etiam infidelibus maiorum deſiderium excitare coeperunt, vt ſimilis ſtyli plura iam poſcant: quidni

5. Quia ſimiles conatus, quos chriſtianismi parturiunt viſcera, promouendi.

Digitized by Google

quidni hoc ſic interpretari liceat, quomddo Paulus ſomnium ſuum de viro Macedone, vt veniret & ſuccurreret, interpretatus eſt? nempe a Domino ſe vocari ad euangelizandum illis (Actor. XVI 9. 10.) Cum vero apud vos, o Chriſtiani, non tantum ſint *Moſes* illi, populi DEI duces; nec *Aarones* tantum, cultus DEI veri antiſtites; ſed & *Beſeleeles* & *Ocboliabi*, quos DEVS implenit ſpiritu ſuo, ſapientia & intelligentia, & ſcientia in omni opere, ad excogitandum quicquid fabre fieri poteſt (Exod. XXX. 1. 2.) merito *Panharmonicum hoc vniuerſale opus* ante alios vobis ſpectandum, continuandum, vrgendumque in gloriam DEI offertur.

6. Et prouocanda catholicae reformationis, inter chriſtianos iam concepta ſpes.

20. *Sexto, ſupereſſe mundo cataſtrophen ſuam* (comoediam enim nobiscum ludit ſapientia DEI in orbe terrarum) *intelligunt omnes: Theologique omnium partium agnoſcere iam incipiunt, appropinquare dies vocis ſeptimi angeli: cuius tuba cum coeperit ſonare, conſummabitur myſterium DEI, quod praenunciauit per ſeruos ſuos prophetas* (Apoc. X. 7. Myſterium quale ſit, patet e capite ſequenti, v. 15. vbi dicitur: *poſtquam ſeptimus angelus clanxit auditas eſſe in coelo voces magnas dicentes; facta ſunt regna mundi Domini noſtri & Chriſti eius, qui regnabit in ſecula ſeculorum.* Hoc eſt myſterium illud DEI, praenunciatum per omnes prophetas: *Regnum Chriſti explicatum tandem iri ad omnes gentes toto ſub coelo.* Quemadmodum ipſe Chriſtus praedixit (Matth. XXVI. 6.) & ante ipſum omnes prophetae veteris teſtamenti: maxime *Ieſaias*, *Ezechiel*, *Daniel*, *Oſeas*, *Sophonias*, *zacharias*; quorum omnium prophetici libri in triumphum Eccleſiae, regnumque ſanctorum ſub coelo, deſinunt. Suntque iam, qui in *cantico canticorum*, aliisque hiſtoricis etiam ſcripturae libris, reperiunt idem. Atque propheticum hoc lumen enitere incipit magis magisque: in quo omnes illi qui iudicia DEI ſcrutantur videut, *reſeruatam eſſe vltimis ſeculis illuſtrem orbis reformationem per omnes gentes.* (Videatur etiam e Romano-Catholicis *Thomas Campanella*, quae *de regno DEI, & monarchia Meſſiae, ſcripſit.*) Ergo dum alii dulcem meliorum ſpem oraculis diuinis fouent; & in-

tem-

tempora, modoſque complementorum ex harmonia praedictionum & euentuum (ſecundum gratiam ſibi quiſque datam, luminiſque illius prophetici graduum) venantur; tandemque quicquid videre dat DEVS iudicio eccleſiae publico exponunt: *ſpiritus enim prophetarum ſubiecti ſunt prophetis*, 1. Cor. XIV. 32.) Viſum eſt nobis quoque illa, quae eiusdem vniuerſalis reſtitutionis vias rationibus humanis ſcrutando (cuius rei occaſiones eadem ſuauiſſima DEI prouidentia nobis quoque obiecit) inueniſſe datum eſt, publico Eccleſiae DEI ſubmittere iudicio.

21. *Cauſſa ſeptima* & poſtrema, cur haec de emendatione rerum conſilia vobis, o Chriſtiani, ante alios offerenda fuerunt, & quidem cum hac tam ſolemni, vt *OMNES* iſta videre, legere, cenſere dignemini, obteſtatione, *ſunt infeliciſſima illa, quae vos prae aliis orbis gentibus miſere diuexant (etiam tum, & maxime, cum res veſtras emendare laboratis) DISSIDIA.* O Chriſtiani, popule dilecte DEO, rixae veſtrae de *rebus philoſophicis, theologicis, politicis,* velut infinitae ac interminabiles, vos bona veſtra non intelligere oſtendunt. Opinionum, eheu, in quas ſcindimur, non eſt numerus! nec enaſcentium inde odiorum & confuſionum modus aut finis. Saeuimus alii in alios, in conſpectu infidelium truculentiſſime: vix tamen quoquam, cur ita fiat, animaduertente. Stupor tantum occupat omnes, & vertigo, ſi modo nondum inſenſati facti ſumus: remedii efficacis in omnibus hucusq; pertentatis nihil apparet. *Nec videtur quicquam ſupereſſe conſilii; quam vt relictis omnibus conſuetis viis* (quas inextricabilibus labyrinthis perſimiles, & ſine exitu eſſe, omnia oſtendunt) *a nouis fundamentis concordiam reſuſcitare tentemus.* Ad imitationem ſcilicet DEI ipſius, qui ſuas nobiſcum ſopiturus lites vna litura deleuit omnns culpas, condonauitque in Chriſto omnia: nihil exigens aliud a nobis, niſi *vt nouare nobis nouale velimus, ſuperque ſpinas ſerere poſthac caueamus* (Ier. IV. 4.) *noua creatura facti* (Gal. VI. 15.) O viri eximii, multorum inter vos circa multa emendanda eximii conatus publice noti ſunt;

7. Quia ſiſtenda primario, vbi primario vigent, de rebus quibusque primariis, diſſidia.

ſunt: ſed & hoc notum pleroſque, ſine euidenti, aut certe diuturno, eſſe ſucceſſu! cauſas intelligere ſi vultis, legite obſecro haec: deprehenſuri, *partium ſtudiis retardari commune bonum.* Nempe reformatis nonnulli ſcholas, alii eccleſias, alii politias: ſed dum non ſimul reformatis caeteri, & caetera quae cohaerent (ante omnia vero ſeipſum quisque:) aut nihil magnopere procedit, aut fiunt rupturae nouae, nonnullibi prioribus maiores & periculoſiores; relabunturque omnia ſemper in antiquum chaos. *Placeat igitur audire conſilium nouum, obſecro!* placeatque experiri, num melius res proceſſura ſit, ſi ſumantur omnia ſimul? & num facilius lites terminari patiantur, non de incertis litigando, ſed certa & immota ſequendo? ſubeſt aliquid ſpei: quia ſcindi iam quoque fatigamur, & vrgendo alii alios, adigendoque ad abſurda, laceſſimus: nec tamen alii alios vel expugnare, vel conuincere poſſumus. Reſtat prorſus cogitare; *forſitan non eſt voluntas DEI, nec via recta, diſſidia tolli diſſidendo; ſed vnionem firmari vniendo, quaecunque poſſunt, & debent, id eſt OMNIA.* Omnia enim noſtra diſſident: & omnia tamen vnionis radicem in Adamo vtroque, bina illa generis humani ſtirpe, habent. Vt enim primi illius naturalis propago ſumus omnes gentes, ita ad nouum factus eſt ſermo DEI, *Parum eſt, vt mihi ſis ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob: ecce dedi Te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vsque ad extremum terrae.* (Ieſ. XLIX. 6.) Item: *Sicut per vnius delictum in omnes homines (reatus tranſit) ad condemnationem: ita per vnius iuſtitiam in omnes homines, in iuſtificationem vitae.* (Rom. V. 18.) Quicunque ergo nobiſcum de Adamo participant peccatum & mortem, vt de Chriſto participare pariter nobiſcum queant iuſtitiam & vitam, optandum, quantumque in nobis prouidendum eſt. *At vero Chriſtum eſſe illum per quem patri complacuit reconciliari omnia, quae in terra, & quae in coelis ſunt,* (Col. I. 20.) *quomodo infidelibus perſuadebimus nos chriſtiani, tot modis inter nosmet ipſos irreconciliati?*

22. DEO

Digitized by Google

22. *DEO igitur vindice dignus nodus eſt, pluſquam gordius, quem hoc opere vobis, o chriſtiani orbis proceres, aut ſoluendum arte, aut diſſecandum mutuae charitatis gladio, offerimus. Infelices diſcordias veſtras, ter ſanctae beataequae concordiae commutandi: factoque per miſericordiam DEI vniuerſali inter vos conſenſu, LVCEM ET VERITATEM, PACEM ET QVIETEM, eoque veram quandam FELICITATEM, toti reliquo orbi, viis modisque patentibus, & in DEO potentibus, communicandi.* Summus propoſiti huius ſcopus.

23. Viae iſtae cuiusmodi ſint, patebit ſequenti opere: *in quo pro vniuerſali rerum humanarum emendatione vota, conſilia, monita exponimus noſtra.* Idque taliter, vt ab illis nihil periculi vlli homini, aut genti, aut religioni, aut ſectae, metuendum ſit; ſiue res procedat, ſiue non. *Si procedit, mundum lucrati ſumus; ſin, nos tamen pro gloria DEI, & communi hominum ſalute, deſideria noſtra in conſpectum DEI, & lucis huius, poſuimus.* Quod ad minimum occaſioni eſſe poterit, multa (hactenns forſan intacta) melius trutinandi: vnde zelus chriſtianus ſancta ſua augmenta, multorumque ſalus promotionem immotam, reperire poterunt. Haec talia moliri, quanti res vſus.

24. *Quod ſi vires votis non ſufficiant, quid tum?* DEVS ex voluntate facta aeſtimat; nec aliter prudentes rerum arbitri. *Prima ſequentes*, inquit Cicero, *honeſtum eſt in ſecundis tertiisue conſiſtere.* (Nam in praeſtantibus rebus magna ſunt etiam illa, quae optimis proxima.) Si ne id quidem ad excuſandum ſufficit: damnare licet & contemnere vires noſtras, vel etiam hoc enatum inde opus; non tamen certe *propoſitum, quod maius eſt & ſanctius, quam vt indicio cuiusquam hominis ſubiacere poſſit.* Omnium ſaluti conſultum velle, charitas cogit, DEVS iubet, ſanguinis communio flagitat; neminemque propriae ſalutis eſſe debere ſitientiorem quam proximi, exemplo docuit dominus ipſe, qui nos ſic dilexit, vt ſemetipſum nobis impenderet totum. Omne igitur bonum ſicut a ſolo DEO in nos demanat: ita a nobis in DEVM & proximos refundendum eſt: ne vlla in re ſanctiſſimis eius in nobis operibus reſiſtamus. Male ceſſit Ionae parere DEO, magnamq; vrbem Vires an huc ſufficiant? Si non vires, voluntas certe: vsque adeo, vt humano iudicio non ſubiaceat.

 Nini-

Digitized by Google

Niniuen pœnitentiae admonere, recuſanti; non male Ieſaiae, ad conuertendum populum operam ſuam DEO offerenti.

Humano tamē iudicio, & cenſuris, omnia haec, (bonae cauſae fiducia) ſubmittuntur.

25. Ne tamen iudicium (humanum etiam) ſubterfugere videar, *redeo ad vos areopagitas meos, meque cum omnibus cogitatis & conſultis meis iudicio omnium veſtrum, viri excellentiſſimi, ſiſto. Si quid erraui, docete me, & ego tacebo: ſi quid ignoraui, inſtruite me,* (Iob.VI.24.) Iudicandum me, cum tota hac cauſa ſubmitto iudicio veſtro confidenter: ſed ita, *vt cognoſcatis prius, deinde iudicetis.* Non vnus aliquis ſententiam praecipitans, ſed cenſura communi, & deliberato. Non enim vnum aliquem e vobis, nec paucos aliquot, nec multos etiam, tribunal mihi conſtituto, ſed omnes ſimul: nec plurimum exſpecto calculos, ſed omnium. Nempe *fiducia bona huius cauſae, quam coram DEO & vobis acturi ſumus, tanta nobis eſt: vt nos hic rigidiſſimo iuri ſubmittere nihil reformidemus; daturi operam, vt nihil hac fiducia noſtra, vobisque tanto theatro noſtro, indignum admittamus.* Nihil ſcilicet afferendo (in maioribus) cuius non ipſam rerum naturam, ipſumque rerum praeſidem DEVM, & denique vosmetipſos, iudices noſtros, habere queamus teſtes; proprios ſcilicet ſenſus veſtros, quibus cum palpanda dabuntur omnibus omnia, aſſenſum nobis negare poterit nemo, niſi qui velit ſibi ipſi.

N. B.

Iudicium hic areopago ſanctius requiritur.

26. *Omnes ergo vos iunctim, viri ſapientes, magnus mihi areopagus eritis, maiorque Athenienſi illo: vbi iudices erant certo numero, conuenire ſoliti tempore certo, ad cognoſcendum cauſſas capitales, in templo Martis.* At ego vos innumero numero admitto; iudicaturos non de alicuius capite, ſed de orbis ſalute; non ad aram fictitii numinis, ſed in conſpectu DEI veri & viui, Ieſu Chriſti; non bellorum & caedium, ſed pacis & vitae, praeſidis: qui vos ſuis inſtructos donis, vt praeſidere loco rebus humanis iuſſit. Iudicium itaque, cui me ſubmitto, illius erit: ſi vos tanquam illius cauſam egeritis, vigilanter, ſobrie, pie. Facite quaeſo, vt ne ſegniores reperiamini in hoc negotio vobis commiſſo, atque areopagitae illi in ſuo. *Areopagitarum conſeſſus perpetuus erat,* (inquit Scaliger lib. 2. de emend. temp.) nempe vt veritati & innocentiae perpetuum ne deeſſet aſylum.

lum. Veſter ergo ad hanc cognoſcendam cauſſam conſeſſus, & conſenſus, vnanimis quoque ſit & perpetuus ; donec ope veſtra, quid veri & boni ſubſit, pateſcat omnibus. *Areopagytarum laudatur in iudicando ſeueritas ; & quod de capitalibus cauſis pronunciarent tanta integritate, vt noctu atque in tenebris, non interdiu neque luce, cauſas cognoſcerent : quo non dicentes, ſed ea quae dicerentur, ſpectarent. Quae cauſa fuit, vt iudicium illorum exquiſitiſſimum haberetur.* Facite idem : vtq; iudicium veſtrum incorruptum ſit, nullam reſpectate perſonam, ſed res ipſas attentius e verbis, tanquam per tenebras ad vos venientibus, excipite. Quo & fine nos haec velut ἀνωνύμως exponimus ; vt perſonam, ſtatum, gentem, ſectam, reſpectari opus nihil ſit; ſed res ipſa nuda tanto conſpectius mentis ſubeat oculos omnium veſtrum : voſque ad communem ſalutem hic per omnia collimari, nihilq; cuiquam omnium mortalium praeiudicari, aut videatis aut palpetis.

27. *Haec volui vt affectus veſtros, viri cordati, & excitarem & ſiſterem.* Excitarem, ad cauſam auidius cognoſcendum. Siſterem, ad ſententiam non ferendum niſi poſt cognitionem omnium, ex toto integre peractam. Percurſo opere toto, iudicare licebit de toto : quin & pronuntiare, prouti cuique auctum lumen (augebitur enim, polliceor) & inferuefactus ad zelum ſpiritus (quod & ipſum futurum ſpero) dictauerit. Graeci & Romani, ſapientiores caeteris gentes, ſoliti ſunt oratoribus ſuis, cauſſas forenſes agitantibus, tantum indulgere, vt quantumuis prolixe perorantem interpellare nemo auderet ; nec reſpondere, antequam orator dixiſſet, DIXI. Cur nobis, DEI & humani generis agentibus cauſſam, non aeque patientem accommodare libeat aurem? quod ſi cui non libet, nos proteſtamur ſapientibus nos loqui, non ſtultis. *Stultum enim eſſe, & confuſione dignum, qui prius reſpondet quam audit,* ſapientiſſimus pronuntiat Salomo (Prou. XVIII. 13.) Ergo qui ſapis, alterius ſapientis audi conſilium: *prius quam audias, ne reſpondeas verbum, & in medio ſermonum ne adiicias loqui,*

Prooemii huius finis.

Sir. XI. 8.

28. Haec autem ego non temere : ſed quia nos Europaeos infinitis philoſophicis, politicis, religioſiſque opinionibus di-

Poſtulatum de ſeponendis praeiudiciis.

Digitized by Google

diſtractos, & parte quaque veritatem a ſe ſtare, alios deſeruiſſe, perſuaſi, tantis conſueuiſſe praeiudiciis abripi ſcio, vt ſi quis aliud quid (vel nudum erga ſe & ſua examen, erga alios vero moderamen) ſuadeat, illico ſe tanquam aut *Libertinum*, aut *Scepticum*, aut *Inſidiatorem*, ſuſpectum reddat. Quod ne mihi, ab omnibus prauis intentionibus puro, eueniat, praemoneo. *Nihil quicquam, cuiquam, priuato quocunque reſpectu, toto hoc opere noſtro dictum iri: ſermonem fore de tota humanae ſocietatis, illapſarumque tenebrarum, confuſionum, errorum, maſſa.* Si quis ergo lucis, ordinis, veritatis, aliquid ſe habere putat, aut vere habet (haberi enim alicubi certum eſt: quia tenebras luci, confuſiones ordini, erroresque veritati, vbique praeualuiſſe, nec permiſit hactenus, nec permittet in aeternum, aeterna DEI bonitas) is tacite in ſinu gaudens, DEVMque laudans, alios rationabili noſtro proceſſu eodem promoueri ne inuideat: aut ad minimum talem hunc proceſſum ſuſpicione ne oneret, donec omnia prius, a fundamentis ad faſtigia, cognouerit. *Iuſtum poſtulatum negari, niſi iniuſte, non poteſt.*

Et non turbando propoſito cum bona ſua, & veritatem, ignorantibus manſuete agendi.

29. Et quia gentium doctor, *Paulus, ſe illis qui ſub lege erant, quaſi ſub lege; illis vero qui ſine lege, quaſi ſine lege; infirmisque infirmum, & omnibus omnia, factum eſſe fatetur, ideo vt lucrifaceret omnes* (1 Cor. IX. 19. &c. imitari cur pudeat? & imitari tentantem ſuſpicionibus onerare, cur libeat? ſapienter certe imitatus eſt *Auguſtinus*, tantus & ipſe veritatis doctor: qui cum Fauſto Manichaeo congreſſurus multis obteſtationibus id egit, vt neutra pars de veritate iam poſſeſſià praeſumeret, vtraque illam quaſi adhuc dubiam quaerendi, inuentaeque & agnitae humiliter cedendi, animo accederet. Quo obtento, amicum hoc pro veritate concertamen ingreſſi ſunt placide: Auguſtino poſt ita Fauſtum argumentis (leniſſime quidem, potenter tamen) vrgente, vt Fauſtus illachrimaret, veritatiſque victas manus daret. Cur hoc non imitamur? cur Iudaeis, Mahumedanis, gentilibus, haereticis quibuscunque (ſeu vere talibus ſeu opinione, id quod ignis examinis veri oſtendet) ſimili manſuetudine ac prudentia non obuiamus? cur aliquem hoc ſuadentem, aut tentantem, hoſtiliter inceſſimus?

30. Si cui ideo haec, quod ab vno quopiam, & ex obſcuro, veniat, faſtidire allubeſcit, nae ille ſe moris DEI, pleraq; ſua per humiliora organa exſequentis, ignarum oſtendit. Legantur vero ſacrae hiſtoriae, videbitur ad dandas maximis etiam rebus occaſiones ſimpliciſſima quandoq; adhiberi media: & ad monendum aliquid, aut docendum, ſapientiſſimos etiam, ſimpliciſſimos quoque. Iethro Madianita fuit, & tamen Moſi, quotidianis alloquiis DEO ipſi familiari, conſilium vtile dare potuit. Potuit & puella captiua Naamani domino ſuo, viro principi, pulchrum ſuggerere conſilium. Potuerunt Mendici ad Samariam, iique leproſi, quiddam valde bonum regiae domui nuntiare. Potuit Paulus, ſpermologus licet habitus, ſapientibus Athenienſibus eximium quiddam narrare. Potuit Rhode puella Petri e vinculis liberationem apoſtolis, tametſi eam inſanire dicerent, nuntiare. Et cur alia memorem? *vaniſſimum eſt, & in DEI, opera ſua per quaecunq; vult media peragentis, ludibrium tendit, perſonas reſpectare, non res.*

Et non reſpectando, quis loquatur, ſed quid.

31. *Sed prodit ſe hic*, inquiet aliquis, *propoſiti vanitas, aurei ſeculi ſomnium.* Reſpondebo. Eſſe qui ſub mundi finem Eccleſiae ſtatum meliorem, eoq; ſeculum pacatum, illuminatum, religioſum ſperent: & eſſe qui non niſi triſtia, ſemperq; prioribus peiora, (donec veniat qui mundo & calamitatibus impoſito fine, beatum ſuis inchoet aeternitatem) metuant, ſcio: hanc tamen diſſenſiunculam tantas mereri lites, vt conſiliorum de rerum emendatione coniunctionem impedire, nedũ tollere, debeant, pernego. Nam ſiue hoc ſiue illud verũ eſt, nobis tamen de emendatione cogitandum eſt. Si ſupereſt emendatum ſeculum, rationes eius ſcrutari nonprohibemur, adminiſtri ſic bonitatis DEI futuri. Si vero aduentus domini prae foribus eſt, viam parare domino tenemur: non tantum nos fideles Chriſtiani nos inuicem hortando & inflammando, ſed & mundum infidelium inclamando, illiq; reſipiſcentiae vias oſtendendo. Sicut praedicationibus ſuis perituris iamiam Antediluuianis fecit Noë, Sodomitis Loth, AEgyptiis Moſes & Aaron, Ieroſolymitanis prophetae & apoſtoli. Si non audiant illi, nos tamen liberauerimus animas no-

Et non abiungendi conſilia praetextu chiliasmi.

noſtras, quemadmodum antiqui illi ſancti. *In ſumma, quoquo nos vertimus de emendatione cogitandum eſſe conuincimur. Vae illi qui obſiſtere audet DEO!*

Sequentis operis ratio.

32. Meminiſſe iuuabit: *nos, quia conſultationem ſcribimus, nonniſi conſultare per totum opus:* hoc eſt, quid nobis videatur proponere; & cur ſic ſtatuendo non errare videamur, demonſtrare: libertate vbique cuiuis hominum, & gentium, & ſectarum, integre relicta, aſſentiendi, vel non aſſentiendi. Si enim eodem modo videbitur, nec in contrarium quod rationabiliter afferri poſſit habebit, aſſentietur vtique, habebiturq; communis concluſio pro veritate indubia. Si cui aliter videbitur, nec deerunt firmiores in contrarium rationes; resque ipſa ad ſummum poterit demonſtrari euidentius, cedamus nos: & communis concluſio iterum pro euicta veritate erit. Si quid autem nec a nobis, nec ab aliis demonſtrari ſic poterit, vt contradici amplius non poſſit; ſeponemus inter illa, de quibus deliberandum adhuc eſt, & ſuper quibus (tolerantia tantiſper mutua) DEVS, vt quod reſtat reuelet atq; detegat, orandus erit. Et quia toto opere conſultamus: *libet vbiq; alloquiis potius quam ſoliloquiis; monitis quam praeceptis; hiſtorico ſuaui, quam philoſophico rigido ſtilo, vti.* Alloquar igitur omnes, vt vnusquisque audiat ſibi. *Vos eruditos alloquar, tanquam generis humani paedagogos,* conſilii conſcios, & in remediis quaerendis ſocios. *Vos Theologos, tanquam tranſitoriorum primarios contemptores, caeterisq; mortalibus ad immortalitatem duces. Vos reges, principes, magiſtratus, tanquam generis humani nutricios, ordinisq; boni ſolicitiſſimos aut reparatores, aut cuſtodes.*

Prudentiae hic obſeruandae leges.
1. *Nulli homini errores humanitatis exprobrandi.*

33. *Et quia conſultatio haec ſuſcipitur, tanquam cum omnibus orbis gentibus,* (de offerenda enim illa omnibus gentibus linguis ſuis, ſub operis finem id videbitur:) per varias de rebus, diuinis praeſertim, opiniones dilapſis, & ab inuicem abalienatis: proponimus caute ire, nulla cuiquam vitia exprobrando, errores nullos taxando, neminem directe aut oblique diſtringendo. Scimus enim neminem errare volentem (quo enim fine id vellet?) ſcimus morbos lenius curari diaeta bona, quam remediis violentis: ſcimus cum tenebris, poſt illarum

Digitized by Google

rum lumen, lucta peculiari nihil eſſe opus: cedunt enim vltro. Et malumus imitari exemplum *Semi* ac *Iapheti*, pudenda patris (nos patrum & fratrum) obtegentis; quam *Chani*, turpia cupide ſpectantis, aliis oſtentantis, irridentis. Illic enim benedictio conſequitur, hic maledictionis ſubeſt metus. Certe nec *Paulus* ab exagitanda Athenienſium idololatria & *πολυδεία*, ſed a collaudata religioſa diligentia, ſermonem ſuum auſpicatus eſt. Nec *Petrus* iudaeis, quod Chriſtum malitioſe crucifixiſſet (tametſi ita fuit) opprobrauit: excuſabat potius quod ignorantes feciſſent (Act. III.17.) ſicut & *Paulus* (c.XIII. 27.) *Chriſtus ipſe* cum legatos ſuos ad gentes mitteret, *docere iuſſit, non conuitiari,* (Matth.XVIII.) *Docere autem ducere eſt,* a re nota ad ignotam. *Et ducere ſonat actionem blandam, non violentam, amabilem, non odioſam.* Nec enim quem ducere cupio impello, aut contrudo, aut proſterno, aut rapio ſed manu prehenſum leniter comitor: aut per viam apertam praeeundo, ad me ſequendum allecto.

34. Et vero quia experientia docuit, *incaſſum alios aliis contradicere, incaſſum opinionum errores exprobrando rixari;* cautius agere incipiamus neceſſe eſt. Omnes dum optamus & quaerimus reconciliari, oppugnandi alicuius profecto tempus non eſt. Praeſtabit veritates colligi, & adunari, aberrationes vero aut leniter ad veritatis centrum reduci, aut ſaltem interim diſſimulari, donec illas quoque ad commune veritatis centrum reducendi pateſcat via. *Sic prorſus exiſtimamus: errores per ignorantiam ortos* (nec enim aliter oriuntur.) *tacita apertae veritatis luce diſpellendos; & ſectas, per contentiones natas, auctas, fixas, charitatis blando calore diſſoluendas & refingendas eſſe:* quia aliter non poſſunt. *Tenebrae enim tenebras non pellunt; nec opinioni cedit opinio, nec ſecta ſectae, nec odium odio: condenſant ſe potius aduerſum inuicem, & figunt:* quia eorundem quatenꝰ eadem, iidem ſemper ſunt effectꝰ, contrariorũ contrarii. *2. Nec violenter ipſi errores oppugnandi.*

35. *Nos igitur homines non ad pugnas, ſed ad contemplationem & collationem* (vt colligere diuinius eſſe quam diſpergere perſuaſi, diſunitos vndiq; vnire incipiant animos) *inuitaturi, merito exemplo praeimus: opereq; hoc noſtro* (ſiue totum ſpectes, ſiue *3. Veritas rerum lente ab imis radicibus vbique inceptando, commonſtranda.*

ſin-

ſingulas eius partes) *operam damus, vt incipiamus inde, vbi nos diſſenſio nulla diuellit*, aut inuicem ſuſpectos reddit: progrediamur ſemper gradatim & lente, vitatis quae offendere poſſint: vt vel *Iudaeus*, *Turca*, *Paganus* (nedum nos *Chriſtiani*, opinionibus quibuscunque ab inuicem diſterminati) noſtra haec inoffenſe ordiri, inque illis progredi, poſſit: donec eo delatus quisque, vbi ſe lucis radiis circumfulgeri, veritatisq; cancellis circumcludi ſentiens, nec facile regredi, pudoris metu nec non progredi, maioris lucis ſpe, poſſit: tandemque in communem cum caeteris veritatem & harmoniam ſe redactam videns, exſultare in domino incipiat. Hoc inquam in gloriam DEI, lucis & veritatis aeterni praeſidis, aſſequi proponimus. Vtrum aſſequamur etiam, vos iudicate, & vt aſſequi tandem, tandem, tandem aliquomodo queamus, iuuate!

SYNOPSIS OPERIS CONSVLTATORII.

Conſultatio catholica habet.
- *Introitum:* in quo, quid proponamus exponitur: dicitur PANEGERSIA. h.e. *Excitatorium*, Lib. I.
- *Corpus ipſum:* proponens emendationis vniuerſalis.
  - *Fundamentum*: Lucem vniuerſalem: PANAVGIA, Lib. II.
  - *Tentamina particularia:* redigendi ſcil. in ordinem,
    - RES omnes, eatenus confuſiſſimas: PANSOPHIA, Lib. III.
    - MENTES omnes, eatenus implicatiſſimas: PAMPAEDIA, Lib. IV.
    - LINGVAS omnes, eaten⁹ intricatiſſimas PANGLOTTIA, Lib. V.
  - *actu completum*, PANORTHOSIA, VI.
- *Clauſula*, continentem ad res tam deſideratas, & quarum tam clare detectas videmus vias, varie iteratos ſtimulos. Dicetur PANNVTHESIA, *Exhortatorium vniuerſale*. Lib. VII.

DE EMENDATIONE RERVM HVMANARVM,

CONSULTATIONIS CATHOLICAE

PANEGERSIA, EXCITATORIVM VNIVERSALE.

In quo
Quid RES HVMANAE ſint, & quam corruptae, quamque de EMENDATIONE ſemper in coelo & terra conſultatum ſit, conſultandumq; nouo modo reſtet, explicato; ad ſuſcipiendum pro re tam communi communia conſilia OMNIVM HOMINVM ſit INVITATIO.

Digitized by Google

TABELLA SYNOPTICA.

Ad conſultandum de generis humani ſalute *Excitatio* quid? Cap. I. Eſtque trina

- *Sui ipſius* -- -- -- -- -- -- -- -- Cap. II.
- *Aliorum hominum.* Id autem
  - proponendo, quid & quantum ſit quod ſuſcipitur. III.
  - Exponendo plenius
    1. Quid res humanae ſint. IV.
    2. Quam corruptae. V.
    3. Quanta corruptelarum turpitudo & noxa. VI.
    4. De Emendatione ſemper fuiſſe conſultatum in coelo & in terra. VII.
    5. Nec ceſſandum eſſe. VIII.
    6. Tentandumque nunc denuo, ſed viis nondum tentatis, prorſus catholicis. IX.
    7. Idque ad leges conſultationis legitimae. X.
  - inuitando omnes ad conſultandum. XI.
- *Dei miſeratoris*, ardentibus ſuſpiriis. XII.

Digitized by Google

CAPVT I.

Quid ſit quod agendum ſuſcipimus: & cur hic excitato ſenſu opus: & quomodo hic excitari conueniat.

INSTITVTVM noſtrum eſt, *impetrata a Deo gratia, oſtendere humano generi OMNE SVVM BONVM: & quomodo huius limites transgreſſi, euagati ſimus per inania modis infinitis, commonſtrare; redeundique tandem ad antiquam ſimplicitatem, tranquillitatem, felicitatem, indicare vias veras, planas, amoenas.* Suſcepti negotii ſcopus.

2. Negotium itaque aggredimur, quo maius ſub coelo non datur: concernens *omnes homines, & omnium hominum, & ob fines ac vſus omnimodos*, ad hanc & ad futuram vitam. Quae res cum tanta ſit,

2. Quantam rem aggredi cum non liceat, niſi excitato ſenſu, & impetrato humani generis conſenſu, exoratoque diuinae gratiae aſſenſu; eia incipiamus ante omnia *excitare, primum noſmet ipſos; deinde nobiſcum omnes, quos poſſumus, alios; tandem DEVM ipſum, ad miſericordiam & opem.* Suſcipi non debet niſi excitato ſenſu, &c.

4. *Nos ipſos*, qui haec aliis offerimus, excitari oportet: quia excitare non poterimus alios; ſi dormitemus ipſi; & ne tantis de rebus ſomnia concipiamus, narremusque aliis. Excitandi cur ſimus, ipſi nos primum?

5. Alios inde excitare quaeremus: vt nos excitare iuuent miſericordiam DEI, inuigilareque nobiſcum communi ſaluti. At *quos? & quomodo?* Cur alii?

Digitized by Google

Excitari a ſomno cur ſoleleant homines, cauſae tres. l. 2.

6. *Excitari ſolent homines, quos aut intempeſtiuus premit ſomnus*, cum negotia vrgenda ſunt; *aut ſi periculum ingruat ab hoſte*, vel incendio orto, vel tempeſtate: *aut ſi ſopor nimius ſit valetudini noxius*, vel etiam letalis, vitaeque peremptorius, vti fit in lethargo, aliisque ſoporoſis affectibus. *Atqui huiusmodi cauſſae hic conueniunt omnes*, nosque humanum genus a ſopore ſuo, quibus vsque poſſumus modis, expergefacere cogunt.

Quarum ſimillimae in praeſenti negotio obueniunt.

7. Nobiliſſima namque creatura DEI, HOMO, ob fines nobiliſſimos in mundum miſſa, potiore parte ſui oblita, nihil minus quam id cur huc miſſa eſt, facit. Plerique caecutiunt prorſus, hebeſcuntque & bruteſcunt. *Ingrediuntur mundum, & neſciunt VNDE: viuunt in mundo & neſciunt QVARE. Exeunt mundo & neſciunt QVO. Nec, dum hic ſunt, ſeriis ſe occupant: vitam putant rem ludicram.* Cogitant vana, agunt vana, gaudent vanis, inflantur ſpebus vanis, veluti ſomniis: perpetuoque ab vna vanitate ruunt in aliam, donec euaneſcant ipſi quoque. *Interim hoſtes, Satan & mors, circumeunt:* deuorare quaerentes, deuorantesque, alios poſt alios. *Interim nos vndique circumdant horrendae irae Dei tempeſtas: appropinquat denique incendium, quo conflagrabit mundus*, crapula mundana ſepulti: perituri in aeternum, ni eripiantur adhuc. *Excitandi igitur vt eripiantur, qui poſſunt, omnes.*

Excitatio quibus modis fiat.

8. *At quomodo?* Expergefieri ſolent homines lenius dormientes *vocatione* aut *contrectatione*; profundius, *clamitatione, vellicatione, concuſſione*; profundiſſime (vt lethargici) *frictionibus* aſperis, *punctionibus, vſtionibus.* Imitabimur haec omnia. *Primumque alloquemur & prenſabimus nos ipſos & alios, hac prima operis parte, hoc ipſo excitatorio ſermone. Mox concutere incipiemus omnes ſenſus demonſtrationibus apertis, per omnia deductis, libris ſequentibus quinque. Tandem & vremus caritatis igne, ſub operis finem.*

CAPUT II.

Digitized by Google

Caput II.

Excitatio prima, ſui ipſius; DEO in intentionum puritatis teſtem, tantorumque auſorum opitulatorem, inuocato.

EVigila mea mens, expergiſcere cor, ſoporem excutite ſenſus omnes mei! tum ne quid oſcitantius in rebus fiat, tum ne forte nocturnae cogitationes obrepant pro diurnis, & ſomnia ſeſe ingerant pro rebus.

2. Quid enim agis, tu vermicule? quorſum te proripis? de orbis ſalute curas ſuſcipere tuumne eſt? quo moriture ruis, maioraque viribus audes? Cur te nihil profuturo maceras dolore? aut temeritatis notandus crimine riſum prouocas & cachinnos?

3. TE NVMEN aeternum, a quo nihil omnium quae vsquam fiunt eſſe poteſt abſconditum, inuoco teſtem, anguſtatum fuiſſe multis retro annis varia trepidatione cor meum, & adhuc, quid his rebus, quas mihi occultis inſtinctibus, manifeſtisque vndique ſuggeſtionibus, maiori ſemper lucis acceſſione, inſtillari ſenſi, & ſentio, faciam: premamne iſta intra me an emittam? eloquar an ſileam? praeualet tamen interior illa tua vis, quae nolentem etiam rapit, trahit, trudit.

4. Ah non ſomnia eſſe, ſed realiſſimam rem, quod mortales admonitum venio, tu ipſe Deus Deorum teſtimonium dabis! operaturus potenter ea, quae nos votis concipere, viisque praeſignatis vt poſſibilia prehendere poſſe, dediſti.

5. Scis tu o Domine, creator omnium, miſerator autem eorum qui agnita ſua extra TE miſeria, refugium quaerunt apud TE miſericordiae fontem, quam infinitis quotidie cum ſuſpiriis, imo clamoribus coelos fatigantibus, ad TE confugiam, plenus terrorum, quibus me compleuerunt furores ſaeuientis aduerſus ſemetipſum mundi! plenus tamen ſimul ſolatiorum tuorum, quibus tu iam quoque impleuiſti animam meam, ſeruuli tui.

6. Et plenus caliginis, in quam me coniecit inſpectio abyſſi confuſionum humanarum: plenusque iam etiam lucis, qua me circumfulſiſti deſuper, oſtenſa regione lucis amoena, aeternante

Digitized by Google

in conſpectu tuo; tibi laus & benedictio ſit in ſecula ſeculorum, Amen.

7. Et mihi quidem, in quantum mihi, ſatis eſt Domine: quod ſub coelo anhelem amplius nihil eſt, niſi vt me transferas ad TE.

8. Sed angor eorum cauſſa, qui nondum participes facti ſunt lucis Tuae. Quibus o quam vellem, vitae etiam meae impendio, prodeſſe!

9. Triſtitia enim mihi eſt magna, & dolor continuus cordi meo, quod tam enormiter a Te, creatore ſuo, aberret creatura Tua.

10. Interitus pereuntium a Te horrore & dolore implet viſcera mea: qui tanquam ignis, incluſus oſſibus meis, depaſcit me.

Exod. XXXII. 32. 11. Ah quam vellem cum Moſe deleri de libro vitae, ſi modo permutatione hac impetrare queam populo meo, generi humano, miſericordiae gratiam!

Rom. IX. 3. 12. Quam optem cum Paulo fieri anathema a Chriſto pro fratribus meis, ex eoden ſanguine prognatis, habitantibus ſuper vniuerſam faciem terrae!

13. Scio Domine a neutro illorum acceptaſſe Te oblatam victimam, qui perfectiore victima, eaque vnica, redimi voluiſti totum genus noſtrum: nec tamen flammans feruorum tuorum caritatis ardor diſplicuit tibi.

14. Quippe Moyſi populum, iuſto rigore interitui deſtinatum propitius donaſti; Paulum vero ſpe rediturae ſuper totum Iſrael, ſuo tempore ſaluandum, gratiae, erexiſti.

15. Nunc ergo nobis ſeruis tuis, pro introitu plenitudinis gentium, & ſalutis Iſraelis, humillime tibi ſupplicantibus (multi enim iam ſumus Pauli tui) quid reſponſi dabis?

16. Repellesne a facie tua quaerentes faciem tuam? non id permittet miſericordia tua!

17. Solatus es Paulum, venturum eſſe tempus gratiae tuae, pleniſſimo fulgore omnibus gentibus, totique Iſrael, exoriturae: ſolari dignare nos, iam veniſſe illud a ſeculis deſideratum tempus.

18. Placebat tibi vtriusque illius in proximos, tametſi tortores ſuos, dilectio: o ne diſpliceat noſtrum pro ſalute illorum deſiderium, qui nos quoque pro nomine tuo oderunt, perſequuntur, occidunt: Nam certo ſcimus, eos neſcire quid faciant. Ideoq; Luc. XXIII. 34. cum filio tuo clamamus, *pater ignoſce illis, neſciunt enim quid faciant.*

19.

Digitized by Google

19. Ah Domine quam atrocia fiunt ſuper totum terrarum orbem, & iis quos tu imaginem tuam eſſe, aeternaeque tecum cohabitationi praeparari iuſſiſti.

20. Quod vident oculi tui, & auerſantur: vident angeli tui, & triſtantur: vident hoſtes tui, diaboli, & exſultant, quod omnia tendant in interitum: & tu haec toleras?

21. Vident & homines pii, quorum aperuiſti oculos, abominationes: ſed vident tantum, & gemunt, & anguntur, expertes conſilii, quomodo videre & horrere interitum ſuum faciant eos, qui intereunt: quia in tumultu omnes & omnia quum ſint, nemo neminem audit.

22. Sed etſi audiat hic & ille, non attendunt tamen, nec expendunt exitium ſuum, vertigine ſua rotati indeſinenter.

23. An vero tu, data filiis hominum terra, te intra coelos coelorum tuorum occluſiſti, vt perplexitates noſtras ne reſpicias quidem? cur non voce maieſtatis perterres, & ab erroribus reuocas, miſeros mortales?

24. Cur non angelorum aliquem cum fulgore aliquo mittis, illuminaturum terram? & liberaturum e tenebrarum poteſtate, tam terra & multiplici caligine obſeſſos? Apoc. X. 1. & XVIII. 1.

25. Cur non a mortuis mittis aliquem, ad teſtandum his qui viuunt, ne ſic ruant, quomodo ruunt, in mortem? negatum id ſemel nouimus: nec profuturum tametſi Sodomam ad nos mittas, aut Aegyptum, vel euerſam Babylonem, aut Niniue, aut Ieruſalem, vel priorem illum diluuio deletum mundum &c. Ludibria enim interpretarentur, ne reſipiſcerent. Luc. XVI. 27.

26. Ad Moſen & Prophetas audiendum amandas omnes, qui mortalem adhuc viuunt vitam: at hos quis audit? quis aeſtimat? quis nouit etiam? ibid. vſ. 29.

27. Miſerere Domine, & oſtende porro etiam patentem aliquam viam inclamandi, & a lethargo ſuo expergefaciendi, oppreſſos ſecuritate ſua mortales?

28. Commoue denuo coelum & terram, ac mare & aridam, vt veniant gentes, & repleatur domus tua gloria! antequam veniat dies illa furoris, quae incendio ignis abſumet coelum & terram! Hagg. II. 7.

29. Facies, quia promiſiſti. At quando? & quomodo? *conſilium tuum quis nouerit, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum tuum de altis ad corrigendum ſemitas eorum, qui ſunt in terra, vt quae tibi placent, edocti, ſapientia ſeruentur.* Sap. IX. 17. 18. 19.

30.

Digitized by Google

30. Domine Dominus noſter, videone, te monſtrante, turrim praecelſam, e qua vt e Pharo altiſſima, a profunda ſuper abyſſos erratione procellis mille iactatis, lamentabilibusque naufragiis pereuntibus, oſtendi poſſit ſecuriſſimi portus refugium? aſcendamne? Faces in tenebris accendamne? tubae clangorem eleuaborne? vt proſpiciant, ſi poſſunt, caeci? vt audiant, ſi poſſunt, ſurdi?

31. Reſponde propitius ſeruis tuis, miſerator noſter! nosne inſonat etiamnum vox tua olim ad ſeruum tuum prophetam emiſſa? *quaſi tuba exalta vocem tuam! ſuper montem altum aſcende, vocemque tuam potenter attolle!*

Ieſ. LVIII. & XL. 9.

32. Audio vocem mandati Domine! verbum enim tuum eſt: & quidem aeternum, ſicuti tu ipſe aeternus es: qui ex aeternitate tua curſum ſeculorum proſpectans, ſimilibus ſimilia loqueris ſemper.

33. Parere audebo Domine: non me, aut mortalium vllo, ſed te vno, cuius agitur cauſſa, fretus dicam cum Moſe: *ſi nobiſcum ibis ibo:* & cum apoſtolo, *ſi cooperaberis, operabor.*

Exod. xxxiv. 9. 1. Cor. xv. 10. Sap. ix. 14.

34. Ego alioqui per meipſum puluis ſum, diſſlabit me mundus: ratiocinationes meae, aeque vt cuiusquam mortalium, timidae ſunt, elidet eas ſophiſticatio: zelum meum & ſuſpiria mea, lacrymasque meas, excipient impiorum cachinni.

35. Eſto igitur tu mihi ſol & ſcutum, Iehoua Deus! gratiam da & gloriam! neq; cohibe bonum ab ambulantibus in integritate.

Pſ. LXXXIV. 12. 13.

36. Domine virtutum, exerce virtutem tuam per imbecilla organa tua! & quae videre dediſti ſeruulo tuo da oſtendere poſſe multis, multi autem omnibus! vt accendatur feliciter ignis ille quem mittere decreuiſti in terram!

Luc. XII. 49.

37. Non ignis furoris, vt hactenus, conſumens nos iuſtis iudiciis tuis: ſed ignis gratiae, illuminans nos, & reducens ad te.

38. Nam conſultare aggredimur de viis redeundi ad te! nos qui aberrauimus a te! a ſcopo tam ſancto permitteresne aberrare conſilia noſtra! prohibe, propter adorandum nomen tuum! conſilia potius noſtra dirige, & *conſilio tuo, quod ſolum ſtabit in aeternum, ſtabili!* Amen, Amen, Amen.

Pſ. XXXIII. 11.

CAPUT

Digitized by Google

Caput III.

Ad conſultandum de rerum humanarum emendatione cur inuitemur omnes: & an omnes conuocari huc poſſibile: quam denique facilis & amoena conſultationis haec via futura ſit.

AD vos me conuerto naturae humanae, & quibus ea premitur calamitatum, conſortes. Mundi vndique in peius hucusque ruentis ſtatum quaeſo ſimul intueamur, ſimul horreamus, ſimul ob tot perpetuo redeuntes, imo continuas, terribiles rerum ſtrages contabeſcamus; aut potius de ferenda, ſi vllo modo poteſt, ope conſultemus!

2. *Iuſtum eſt quod petitur*, vt incipiente agitari cauſa quae concernit omnes, intereſſe libeat omnibus. Nam adeone quenquam ſui eſſe oſorem, vt ei de ſeipſo, rebusque ſuis, aut loqui, aut loquentes alios audire, volupe non ſit? haud veriſimile eſt. Quippe ſe & ſua amare, & pro meliorandis rebus ſuis nihil non tentare, innatum eſt omni creaturae. De ſe, rebusque ſuis, communia inire, vel audire, naturaliter hominibus gratum.

3. Quisquis igitur haec legere incipis, excita te: vt hic de te quoque deliberatum iri certus, aduertas aurem, mentem, linguam: tamque prompte aliorum de te cogitata excipias, quam libenter expromas tua: eoque ipſo cum caeteris conſulere incipias in commune. Omnes itaque huc veniant, quia id requirit,

4. Quicunque enim in humanam venimus ſocietatem, ſocietatis leges ſeruare tenemur. Nemo ſibi ſoli, quisque toti ſocietati vt bene ſit, quaerat. *Inſaniae ſit ſpecies, malle ſanari membrum, quam corpus totum.* (1) Communis ſocietas.

5. *Communia bona*, quae nobis primum oſtendemus, *commune ſunt gaudium: communia ergo pericula*, quae mox ſpectabimus, *communes ſint curae*, communes autem curae, ad commune conſilium ſtimulus. (2) Communia pericula.

6. *Tum demum enim melius eſſe poterit omnibus, ſi omnes*, vbi & quomodo haereant res noſtrae liquide perſpecto, *iunctim adhibeamus*, (3) Communis demum feliciter impendendae operae ſpes.

Digitized by Google

amus, inuocato DEO, *manus*; ad liberandum nos, ope ipſius, ex tot infelicibus tricis noſtris.

4) Communis naturae maieſtas.

7. Nemo igitur tam vilis & deſpectus videatur ſibi ipſi, vt his ipſis de communi ſalute conſultationibus intereſſe indignum ſe credat; nec tam ſuperbe deſperatus, vt conſilia vel audire aliena, vel addere ſua, dedignetur.

5) Communis omnium miſerator DEVS.

8. Quam communis eſt DEVS, omnium noſtrum miſerator: quam communis miſeriarum participatio, & enaſcentes inde ſcrupuli & angores: tam communis ſit communium miſeriarum commiſeratio, & illas, ſi vlla parte datur, ſubleuandi ſtudium.

Mundum in communia conſilia conuocari an poſſibile?

9. Tanta certe ſunt quae nos premunt, exitumque aliquem circumſpectare cogunt: *vt merito in conſilia haec mundus conuocari, DEVSq; de coelo vt opem ferat omnium hominum iunctis ſuſpiriis ac gemitibus deuocari, debeat.*

(1) Per internuntias chartas.

10. Prius iſtud ex impoſſibilibus videatur, nec tamen eſt. *Licet enim conuenire non poſſimus corporibus* (nec opus eſt) *poſſumus animo*, charitatis internuntiis, & ſole hoc, quotidie ab aliis ad alios per totum terrarum orbem tranſcurrente, occaſioneſque res vtiles agendi omnibus ex aequo ſubminiſtrante.

(2) Per congregationes minores.

11. *Eia igitur, mortales, occaſionibus noſtris vtamur! & quod non datur coram, communicando tamen nobis inuicem expediamus*; vt linguae nobis vicem praeſtent calami. Atque tum nihil prohibebit, quo minus coram quoque agamus, per minores congregationes de his ipſis rebus ad inuicem verba faciendo, DEVM inuocando, manum denique admouendo.

(3) Per concilia orbis.

12. Tandem forte dabit DEVS, vt in concilio aliquo Oecumenico congrediantur orbis capita, & de his ſic in anteceſſum praemiſſis in commune deliberent.

(Nunc initium fit ſcripto conſultorio.)

13. *Nos ecce facimus initium!* de rebus his tam populariter diſſertaturi, vt nullus non populus (aut aliqui certe ex omni populo) haec ipſa clare intelligere, ac de illis rationabiliter iudicare, valeant.

14. *Sequemur enim ſapienter conſultantium leges: QVID, PER QVID, ET QVOMODO, aliquid fieri neceſſe ſit, plane exponendo: iudiciumque de omnibus & ſingulis hiſce, hominum omnibus & ſingulis, liberum relinquendo.* Ita vera erit, pleniſſimaque & vtiliſſima, conſultatio.

Conſultoris boni partes,

15. Si namque tu amico, conſilium de re quapiam exquirenti tuum, oſtendas, *primum*, *quid* ſibi pro ſcopo ea in re refigere, & quare iſthuc collimare, debeat? *tum per quae media* ad iſtum ſuum

ſuum ſcopum certo venire poſſit? & cur media haec aliis, quae forte ſe offerant, praeferenda? *quomodo denique* datis mediis prudenter debeat vti, vt deſtinatus finis non obtineri non poſſit; & cur potius hoc, quam alio, agendum illi fuerit modo? haec inquam *tria ſi recte expedieris, omnes conſultoris boni partes expleueris, & de amico meritus fueris optime*: cui omnia iam erunt plana, nec reſtabit, niſi vt voto potiturus ſuo rem aggrediatur ipſam.

16. *Hoc idem nos planiſſime in noſtris conſultationibus imitabimur*, cum DEO: propoſituri *primum*, quid optandum putemus, & quare; *tum* per quam viam, non autem aliam, vota obtineri poſſe ſperemus: *tandem* quomodo datis mediis videatur vtendum, & quare ita? Conſultationis huius ſeries perpetua.

17. *Verum enim vero quia de rebus ignotis, aut parum notis, iudicare nemo poteſt: aut ſi id praeſumit, temerarius eſt*, ſeque ipſum, & alios, & res ipſas, periculo inuoluit: *ante omnia dabimus operam, vt res de quibus diſſertaturi ſumus tam plane prius fiant, vt nemo non eas intelligat.* Quia de ignotis alicui rebus loqui, eſt ſurdo narrare fabulam. Cur de rerum emendatione conſultationi rerum deſcriptio praemittatur.

18. Tu igitur, quisquis es, memento *tibi in his conſultationibus ante omnia hoc vnum, vt ſenſum recte percipias, eſſe viuendum. Tum vero demum tria haec expendenda* (1) *vtrum ſic pro communi ſalute vota recte figantur.* (2) *Vtrum media vera*, per quae obtineri vota certo poſſint, oſtendantur? (3) *verum denique media illa ſic, vti ſuadetur, recte adhibitum iri ſpes ſit*, an vero tibi videatur aliter? Et quae hic attendenda lectoribus. I. II. III.

19. Si omnia haec nobis deliberata eſſe recte, & ſuaderi ſic recte, agnoſcant omnes: aſſenſum vtique rebus his dabunt omnes. Et tum *felices nos tandem aliquando, in rebus tantis tum concordes!* Si vero quid melius aliis oſtendet DEVS, hic, illic, iſtic: cedemus nos, emendabunturque conſilia: atque *tum iterum felices nos!* Accurabitur autem quantum per nos licebit, vt ſcopus *nunquam ponatur alius, quam omnino omnibus deſiderabilis*: ad quem ſcilicet collimandum eſſe, ipſe communis naturae *inſtinctus* vnumquemque doceat. *Media vero ad finem tam poſſibilia, vt in manu noſtra illa eſſe, ſeipſo teſte quisque agnoſcat, ex facultatibus ſibi diuinitus conceſſis*, id ipſum certus. *Tandem*, mediis illis vtendis modos oſtendemus tales: quos eſſe veros & faciles ipſum rationis, ſeu *communium notitiarum lumen*, cuique dictabit. Ita nos omnia demonſtrando, proponemus tantum ſemper, aſſumemusque, concludemus autem nihil, niſi quod aeque videatur omnibus: aut hac ratione in conſenſum venturi aliquando vniuerſalem, aut certe vix aliam reſtare patebit viam. Quomodo in his quaerendus conſenſus. 1. 2. 3. 4.

Digitized by Google

Inuitatio.

20. *Adeſte igitur omnes ad quos penetrare poſſunt hae voces noſtrae!* & ad res tam communis deſiderii, tam certi vſus, tamque amoenae facilitatis (qualem hic promitti auditis, ipſaque mox ſemetipſum oſtentare incipiet) mentis afferte attentionem, alacritatem, fidem, qualem ad res tantas conuenit.

Caput IV.

Res humanae quid ſint? nempe ERVDITIO, RELIGIO, ET POLITIA.

De quaeſtionis ſenſu quare primo agendum?

ANte omnia, quid ſit illud, quod RES HVMANAS vocamus, videndum: vt ne in ipſo limine, ſi alius hoc alius illud intelligat, diſſidere, hoc eſt non intelligere nos, incipiamus.

Humanarum rerum nomine multa veniunt.

2. *Multa quippe ſunt, & quaſi infinita, quibus in mundo circumdamur; & quae ſibi nos vendicant, aut nos ea nobis.* Quorum tamen quaedam *appendices tantum noſtri eſſe*, vt corporis vmbram; alia vero impedimenta magis, quam adiumenta, quae abeſſe ſalutis noſtrae foret (quae tamen incauti nos ſaepe, tanquam pars noſtri eſſent, reſpectando, & in deliciis habendo, decipimur) norunt ſapientes

Proprie tamen quod ad ſublimitatem naturae ſpectat.

3. Exiſtimamus itaque, *res humanas proprie dicendas eſſe illas ſolum, ſed omnes, quae ad ſublimitatem naturae humanae ſpectant.* Caetera enim quae cum brutis habemus communia, eo ipſo non propria noſtra ſunt, quia communia cum illis. Ergo bona licet, inferiora tamen bona; ſublimioribus noſtris omnino ſubordinanda. Nempe illis per quae a brutis differimus, imo per quae ſuper bruta eleuamur, & ad ſublimitatem DEI attollimur.

Finis cuiusque rei ex vltima ab aliis omnibus differentia cognoſcitur.

4. *Iudicium enim de qualibet re vltimum & diſtinctiſſimum ab ea tantum parte deſumi poteſt, qua illa ab aliis differt, non qua cum aliis conuenit.* Exemplo ſit *horologium ferreum*: quod ſi quis vnquam ſibi viſum inſpiciat, non inde finem & vſum eius examinabit, quod ſit ferreum: nam & ſecuris, & culter, & clauis &c. ferrea ſunt. Nec ſimpliciter quod rotulis conſtet; nam & molendina, & currus, & alia, rotis conſtant. Sed quod eo modo ſubordinati ſibi inuicem ſunt orbiculi, vt moto vno moueantur caetera: motuque

Digitized by Google

tuque illo temporis intervalla, maiora & minora, deſignent. Ex eo demum *temporis menſurandi eſſe inſtrumentum* concludet, quidq; eo pertineat eſſentialiter facile deprehendet.

5. Similiter igitur, qui ex collatione hominis cum aliis creaturis finem eius, & ad finem media, deprehendere volet: non ea primario, quibus homo metallis & lapidibus, ſtirpibusue & brutis, ſimilis eſt; (nempe quod generatur, creſcit, nutritur, mouetur, ſentit:) ſed quibus illis omnibus praecellit, conſiderabit: demumque praerogatiuam eius in conſpectu habere poterit. Ita & hominis.

6. *Praerogatiua igitur noſtra prae brutis non in maiori aliqua corporis concinnitate, aut meliore paſtu, deliciiſue, conſiſtit: ſed animae praeeminentia.* Corporis quippe elegantia, agilitate, robore, viuacitate, ventriſque & ſenſuum oblectamentis. Animantes nonnullae hominem longe ſuperant: homo autem etiam corpore monſtroſo, tardo, debili, valetudinario, moribundo, commodis deniq; & deliciis corporeis omnib9 deſtitutus, homo eſſe non deſinit. Cuius prae brutis excellentia non in corpore, rebusque corporeis eſt.

7. *Sed animae ineſt*, quod nulli alii viſibili creaturae, *imago viuiui DEI: quae intellectu rerum, ſeu ratione, conſtat; & arbitrio rerum, ſeu voluntate; exſequutoria denique in rei poteſtate, ſeu facultatibus operatiuis, ad quiduis ſe ſe extendentibus.* Quicquid enim eſt, intellectui humano ſubiicitur: & quicquid bonum eſt, electioni eius ſubordinatur: & quicquid poſſibile eſt, facultatibus eius ſubproportionatur. ſed in animae.

(8) Ita id eſſe, quis non in ſeipſo experitur? quis non in aliis animaduertit? quantum ad rationis vim, omnis certe homo, natura ſcire deſiderat. *Et quidem ſcire quam plurima; imo ſi poſſet, omnia. Et denique ſcire vere, ne fallatur.* Deceptionem ſiquidem intellectus ſui, quantum poteſt, praecauet; nec errat, niſi inſcius & inuitus. Atque ſi errare ſe ſuſpicatur, aut ab aliis erroris inſimulatur, aegre ſibi eſſe ſentit. *Tam conſcius ſibi eſt humanus animus, ignorantiam & errorem ſublimitati naturae ſuae non conuenire.* Intellectus itaque noſter, naturae inſtinctu, rerum notitiam & veritatem ambit. Argumento ſunt. (1) Intellectus, veritatis indagator perpetuus.

9. *Voluntas vero ad quid nobis data eſt? quid quaerit? bonum. Bene enim ſibi eſſe optat omnis homo*: male habere, dolere, angi, trepidat, & qua poteſt refugit. Contra autem quicquid bonum eſt, & vlla parte blande afficere poteſt, ſuum eſſe optat; ſubtrahi ſibi aliquid aegerrime permittit. Et quidem *optat vera bona, fucatis deludi iniuriam interpretatur. Et optat ſine fine eſſe bene; ideoque mortem & interi-* (2) Voluntas boni venatrix perpetua.

Digitized by Google

teritum horret; infinitum quiddam anhelans. Ita varia bona, vera bona, ſine fine duratura bona, humanae voluntatis proprium ſunt obiectum.

(3) Facultates operum exſequutrices perpetuae.

10. *Poteſtas denique in res, eamque exſequendi voluptas, quanta nobis inſit, opera humana, magna, mira, perpetua, teſtantur. Mundum etenim artificioſis inuentis noſtris impleuimus, nos creatoris noſtri aemuli vermiculi:* nec adhuc finis eſt, praeſertim in viuidioribus naturis, tantum non nouos orbes ſemper machinantibus. *Prorſus torpere, non conuenire ſibi credit humana induſtria.* Ideoque ſemper aliud ex alio ſtruit: nec finem reperit, hic etiam infinitae cuiusdam delectationis irretita illecebris. *Ita res praeſentes regere, nouas ſibi ad placitum fingere ac refingere; verbo, rebus potenter dominari, humanae naturae inſatiabile ſtudium eſt.*

Tria igitur hominem conſtituunt. Intellectus voluntas, Resque agendi Facultates.

11. Putamus ergo conſentiendum nobis hic ante omnia eſſe omnibus: *ſublimitatis humanae RADICES eſſe tria illa, animo humano propria; intellectum, res veſtigantem; & voluntatem, rerum bona venantem: impetum denique in opera, facultatibus vndique armatum & normatum.* Videamus autem, *quinam ex hiſce radicibus ſurgant RAMI, qui proueniant FRVCTVS?*

E quibus tribus prouenit *Philoſophia, Religio,* & *Politia.*

12. *Ex auiditate veri prouenit PHILOSOPHIA;* quae eſt ſapientiae ſtudium; *Ex deſiderio boni, naſcitur RELIGIO;* quae eſt ſummi boni cultus fruitioque. *Ex cupiditate res ad arbitrium potenter diſponendi, vltimo conatu prouenit POLITIA;* quae eſt hominum, perpetuo varia machinantium, in ordinem talem, quo ſe in operibus ſuis non impediant, ſed adiuuent, reductio.

Tria haec ſunt totius humanae vitae ἔργα.

13. *Tria haec (Philoſophiam, Religionem, Politiam) eſſe tria ſumma hominum ἔργα, reliqua omnia prae his duntaxat πάρεργα, ſatis oſtendi poſſe ſpero; vt dubitari opus non ſit quenquam.*

(1) Quia in his tribus imago Dei conſiſtit.

14. *Primum* enim conſtat, hominem viſibilium creaturarum primariam eſſe ideo, *quia ad imaginem DEI conditus.* Similis ergo DEO, virtutumque eius viuum quoddam ſimulacrum. *Quis autem neſcit eminentes in DEO virtutes celebrari tres? Poenitentiam,* qua condidit & conſeruat omnia: & *ſapientiam,* qua ſcit, videt, prouidet, gubernat, omnia: & *bonitatem,* qua ſanctus eſt in ſeipſo, iuſtitiamque & miſericordiam exercet erga opera ſua omnia. *Harum ergo virtutum characteres viuos imagini DEI viui eſſe impreſſos, neceſſe eſt: atque ſi ſunt, exſtare quoque.* Nempe vt quemadmodum DEVS omnia videt, ſcit, intelligit: ita imago DEI homo, in ſpeculo intellectus ſui rerum circumferens imagines, tam vnde veniant, quam quo &

qua

Digitized by Google

qua tendant omnia, perſpiciat. Et ſicut DEVS bonus & ſanctus eſt, purusque ab iniquitate omni: ita imago eius, homo, bonitatis diuinae exiſtens aemulus, ſeque ipſum vndique ſeruans purum, vt virtutes annuntiet eius, quem inter creaturas viſibiles repraeſentat viſibiliter. Denique ſicut DEVS potentia ſua ad beneplacitum ſuum regit omnia: ita homo iis, quae ſub ſe habet, dominari ſciat potenter: aliter imago DEI dici nullatenus meretur.

15. *Eadem tria inuenies, ſi omnia illa, cum quibus homini commercium eſt, aut eſſe poteſt, conſideres. Quae illa omnia? omnia quae infra ſe, circa ſe, ſupra ſe, habet. Infra ſe* habet creaturas viſibiles omnes, quippe ſublimior factus omnibus. *Circa ſe* homines, eiusdem dignitatis ſocios. *Supra ſe* DEVM, creatorem omnium. *Cum inferioribus creaturis quale eſt homini commercium? dominii & vſus:* vt omnia ſibi ſeruire cogat. Quod fieri, niſi omnium & ſingulorum fines ad quos ſunt; & rationes per quas ſunt; & modos quibus domari, & ad obſequium adigi poſſunt, intelligat, non poteſt. *Hic ergo ſapientia opus*, & quae ſapientiam venatur *Philoſophia. Cum coaequalibus ſibi hominibus quale eſt homini commercium? ſocietatis*; vt cum omnibus hominibus rationabiliter, placide, iuſte, conuerſari ſciat; conſilii, auxilii, ſolatii mutui cauſa. *Hic ergo politia opus. Cum ſuperiore illo, DEO creatore, quid homini (vtpote creaturae) commercii eſſe poteſt? ſubiectionis, reuerentiae, fiduciaeque intimae*: vt illi perpetuo iunctus, ſuauiter bonitate eius perfrui queat, hic, & in aeternum. *Ad quod religione opus.* (2) Quia omnia, cum quibus homini hic verſandum ad tria illa referuntur.

16. *Et annon homini a primo ſtatim ortu haec tria demandata fuiſſe videmus?* creatus enim pater noſter, Adam, iuſſus eſt creaturas ſpeculari, nomina ſingulis indere, dominarique: *quod philoſophandi initium fuit.* Mox illi additum de latere adiutorium, Eua, cum mandato multiplicandi ſeſe, donec implerent terram: *vbi humana ſocietas fundata eſt*; Tandem datum de abſtinendo certo fructu mandatum, vt dependere ſe ſciret a DEO: *quod religionis eſt fundamentum.* (3) Quod oſtenſum fuit homini ſtatim in paradiſo.

17. *Et hactenus certum eſſe putamus, nullam ſub coelo reperiri gentem, ciuitatem, domum; nullam quoque repertam mundi aetatem, vbi non ſapientiae, politiae, religionis aliquod viaere ſit ſtudium:* tenue ſane nonnullibi, & confuſum valde, non tamen ideo nullum. *Quid hic cogitandum? niſi ſentire humanum animum ad illa ſe naſci, in illis excellentiam ſuam fundari, ideoque illis occupari debere?* (4) Et videre eſt hactenus in omnibus gentibus.

18. Iam

Digitized by Google

(5) Et in animo cuiuſque hominis.

18. Iam ſi animos hominum ſigillatim detur inſpicere (poteſt certe ſuum quiſque) tres hi diuinitatis characteres, *velle ſcire*, *velle dominari*, *velle beatitate frui aeterna*, indelebiliter naturae humanae impreſſos eſſe patebit. *Monſtrum hominis ſit oportet, aut truncus, non homo: qui neſcire malit, quam ſcire; & ſeruiat libentius, quam imperet: & religionem potius colat nullam, quam aliquam; h. e. fauore numinis & beatitudine perpetua carere velit, quam frui.* Nam tametſi quandoque monſtra eiusmodi reperiuntur, poenam tamen ſuam mox ſecum trahunt; dum tanquam abortiui & degeneres odio habentur, tum aliis, tum ſibi ipſis tandem.

(6) Imo in ipſis quoque qui hic deficiunt.

19. Quin & illi omnes, quos ſeu naſcendi ſorte, ſeu educationis defectu, nihil didiciſſe, ſeruos & mancipia factos eſſe, nullaque virtute vera ornari, contingit, quid inſeparabiliter humanae naturae conueniat teſtimonio ſunt, dum eos ſui pudet: *ignorare enim, ſeruire, vitiis foedari, apud DEVM vel homines male audire, omnis humana natura erubeſcit.* Ideoque inſcitiam ſuam, imbecillitatem ſuam, vitia ſua, occultat ſi poteſt; ſi non poteſt, excuſat; culpam a ſe in alios, aut infelicem ſuam ſortem, transferens. Si ne hoc quidem datur, quibuscunque (etiam falſis) coloribus excuſare, quam aperte aliquid a ſublimitate naturae humanae alienum agnoſcere, mauult.

(7) Multo magis vero in iis qui hic excelluat.

20. *Quia autem prae aliis paulo plus de eruditione, potentia, religione, participant, bone DEVS, quam ſibi eo nomine placent!* quam ſibi non tantum dii videntur! tam blande afficit humanam naturam, *pollere potentia, pollere ſapientia, pollere ſanctitate*; (ſeu vere, ſeu falſo: mauult enim circa haec errare potius humanus animus, quam diuinitatis illos in ſe abnegare characteres:) vt aequiparari voluptas alia nulla poſſit.

(8) Praeſertim generoſioribus naturis.

21. *Quibus vero generoſior obtigit ſpiritus, vt plus caeteris de humana participent natura: tam auide hi potentiae, illi ſcientiae, alii ſanctitati inbiant, vt modum finemque reperire haud poſſint.* Quod exemplis infinitorum, pro adipiſcenda potentia, eruditione, ſanctitate, nullis curis, impenſis, laboribus, vigiliis, vitae ipſi, parcentium (mortes enim etiam, pro libertate vel gloria, pro religione, imo & pro ſcientia, ſeſe emaciando, & vitam illuc impendendo, alacriter ſubire non trepidant) ſatis conſtat.

(9) Et in aemulationibus circa haec tria [illegible]ternis.

22. *Accedit, quod ſuper iisdem tribus humanae naturae eminentiis, tantae ſint in genere humano aemulationes, quantas in rebus aliis videre nusquam eſt.* Quis enim pro rebus quas cum brutis habemus com-

munes

munes, (vita, forma, cibo, potu, voluptatibus &c.) integras concurrere nationes vidit? at aemulationum *de imperio*, *de ſcientia*, *de religione*, plenus eſt mundus. Vtri aliis praeeſſe debeant, vtri melius res intelligant, vtri gratius DEO ſeruiant, ab exordio rerum humanarum concertationes fuerunt inter ſocietates politicas, philoſophicas, religioſas: nec aliter hucusque videmus. Ecquid hic obſecro cogitandum nobis relinquitur, quam *radices ſibi aeternas in nobis poſuiſſe, potentiam magnam, ſapientiam ſummam, bonitatem aeternam?* vitio quidem noſtro tam periculoſe politias, philoſophias, religionesque collidi, certum eſt: ipſae tamen perpetuae illae, coërceri tam impotentes colliſiones, quo nos coeleſtis impetus trahat ac rapiat, attendere; tamque delicata illa & dilecta noſtra bona, *Dominium*, *religionem*, *ſenſiuque proprios*, vere, & per excellentiam noſtra eſſe; concludere nos cogunt.

Tres hae arbores humanae vitae quos ferant fructus. Nempe:

23. *Ita vidimus ex imo animae noſtrae pullulare tres illas veluti arbores magnas: ſub quarum vmbra totum humanum genus apricatur, philoſophiam, religionem, politiam.* Videamus iam, quos *fructus* arbores hae parturiant?

24. *Vt diuerſae arbores ſunt, ſic ad diuerſos ferendos fructus deſtinatae*: omnes tamen bonos, ſuaues, ſalubres, vitae humanae prorſus neceſſarios, ſi in ſua ſpectentur idea. *Nam philoſophia mentis lumen quaerit, ſapientiam*: cuius beneficio inter omnia, quae vsquam occurrere poſſunt, oculati incedamus. *Politia ſocietatis humanae concordiam intendit*: vt quotquot habitamus in vuum, benigne ac placide habitemus; nullo alii alios afficientes damno, omnes auxilio & ſolatio mutuo. *Religio denique Numinis fauorem ambit*: ſatagitque deuincire homines DEO, & DEVM hominibus, aeterno foedere, pro impetranda interna, conſcientiarum pace, participandaque (poſt decurſum vitae huius) aeterna cum DEO beatitudine,

Philoſophia *ſapientiam*; Politia *pacem*; Religio *numinis fauorem.*

25. *Ita haec eſſe, trinoque illo ſtudio trinos illos vſus quaeri, non puto eſſe qui ambigere poſſit: res enim nimis aperta eſt.* Nec igitur ambigat id, quod rerum humanarum nomine potiſſimum indigitari dignum ſit, conſiderandumque nobis in tota hac conſultatione maxime veniat, *eruditionem*, *religionem*, *politiam eſſe*: *vtpote quae omni homini, ſemper & vbique, ita conueniunt, vt ſeparari nequeant, niſi ex homine facere velis non hominem. Et ad quae tria, omnia hominum reliqua ita referenda ſunt, vt partes minores ſolent ad maiores: illisque ſubordinanda ſic, vt media ſolent finibus ſuis.*

Concluditur haec ergo tria vere eſſe hominibus τὸ πᾶν.

Digitized by Google

Poſtulatum; ſi quis aliud quid oſtendere poteſt, vt oſtendat.

26. *Iam vero inter nos, quid RES HVMANAE ſint conſtabit; nempe: SAPIENTIA mentis; PIETAS cordis, & TRANQVILLITAS vitae: quaeque has quaerunt, tuentur, propagant, PHILOSOPHIA, RELIGIO, POLITIA.* Si cui aliter videtur, resque humanas aliter, accuratiusue, definire aut diſterminare nouit, oſtendat in commune bonum.

Caput V.

Res humanas eſſe corruptas, & quae corruptelarum occaſiones?

Emendatio ſupponit corruptionem.

E*Mendari non ſolet, niſi quod corruptum eſt.* Dum igitur nos de rerum humanarum emendatione conſultandum ſuademus, eo ipſo corruptas eſſe praeſupponimus. Quae res forte operoſa demonſtratione non egeat: quum nihil loco ſuo eſſe, vbique a recti tramite declinari, (hinc ad dextram inde ad ſiniſtram) publicae ſint querelae. Vident enim qui aliquid vident, *ſapientiae* loco regnare vel *ignorantiam*, vel *ſophiſticem*: *religionis* loco vel *atheiſmum*, vel *ſuperſtitionem*: *politiae* loco vel *ἀναρχίαν* & confuſionem, vel *tyrannidem* & oppreſſionem. Quia tamen nos omnia veſtigare a radice prima decreuimus: eia videamus ante omnia, *quid hoc ſit, aut dicatur, corruptum eſſe.*

Corruptio quid?

2. *Corruptum dicitur, quod ſic a ſeipſo mutatum eſt, vt ideae ſuae non amplius conforme, nec fini ſuo idoneum ſit.* Rerum autem noſtrarum fines quinam ſunt?

Mundi ſtatus, in idea ſua conſideratus, qualis eſſe debuit?

3. *Ex intentione DEI mundus hic*, in quem naſcendo immittimur, *ſchola DEI plena lucis; & templum DEI plenum deuotionis; regnumq; DEI plenum ordinis & iuſtitiae, eſſe debuit. Et quidem ſchola vna*; quia vnum habemus omnes magiſtrum, ſimiliaque ſub illo exercitia. *Templum vnum*; quia vnum habemus DEVM qui omnes nos condidit, extra quem non eſt alius DEVS. *Regnum vnum;* vnus enim populus ſumus omnes, vna procreati ſtirpe, habentes vna eademque iura & ſtatuta cordibus noſtris ſimiliter inſcripta, nemine excepto.

Et quales nos in illo?

4. *Haec ſi recte obſeruarentur ab omnibus*, fieret neceſſario, vt omnes ſub ſapientiſſimi magiſterio ac diſciplina euaderemus docti & ſapientes; ſub optimi & ſanctiſſimi informatione ac ductu, boni & ſancti; ſub iuſtiſſimi moderatione ac regimine, iuſti ac pruden-

tes

tes: eoque pacem haberemus cum rebus, & hominibus, ac DEO.

5. Quia enim mens noſtra in omnia fertur, vt cognitione omnium ſeſe oblectet; delectuque facto eorum quae ſibi maxime profutura videt, iucunde iis perfruatur: hinc *finis cognitionis rerum eſt, pax mentis cum rebus.* Et quia homo circumdari ſe aliis hominibus videt, quorum quisque ſua quoque agit, ſuis intentus commodis; vtque ne turbetur ab illis, vel etiam eos turbet ipſe, cauendum exiſtimat: eo ipſo in omni conuerſatione prudentia certa vtitur, quam politiam vocant. *Politiae itaque proprius finis eſt pax animorum inter homines.* At vero cum rerum & hominum omnium ſuam quoque a ſupremo numine dependentiam eſſe animaduertit; ne ſupremus ille vlla ratione laeſus nobis iraſcatur, nosque puniat, potius benedicat, religionis ſtudio ſibi fauorem eius conciliandum exiſtimat. *Religionis igitur finis proprius eſt, pax conſcientiae cum DEO.* Philoſophiae, politiae, religionisq; finis, PAX.

6. *Ad quam normam ſi intellectus noſtri notitias, voluntatis inſtinctus, facultatumque vires, tanquam ſublimitatis noſtrae radices:* (de quib. Cap. IV. §. 7. ad 11.) *indeque ſapientiam, religionem, politiamque illam noſtram, tanquam arbores & ramos;* (de quib. ibid. §. 12. ad 23.) *tum denique fructus, qui emergere hinc debebant,* (de quibus ibid. §. 24.) *contulerimus, nemo non corruptionem multifariam agnoſcere neceſſe habebit.* Quem ſi requiramus in nobis deeſſe patebit.

7. *Intellectus certe plerorumque hominum pro notitiis tenebras habet: voluntas pro inſtinctu ad bonum, ſtimulos ad malum: facultates ipſae in hominum plurimis languent & torpent, eosque inutilia terrae pondera eſſe faciunt.* Id ſi quis non videt, neget ſe vidiſſe vllos in mundo ſtultos, impios, otioſos. Quod ſi dixerit, ſine oculis & mente ſe in mundo verſari oſtendet, numerumque ineptorum augebit. Corrupta igitur omnia ſunt in nobis.

8. *Nimis etiam notorie permulti mente, ingenio, ſenſibus, torpent:* ignorantiaeque ſuae tenebras ſcientiae loco amant. *Aſellorum, omnia neſcientium, plenus eſt mundus:* quanquam nec deſint in contrarium exorbitantes, *nimium curioſi*, omnia ſcire (etiam quae nihil opus) auidi: vt ſe noctesque diesque affligant, macerent, exhauriant, conficiant, enecent, hepiolis perſimiles, flammas tam auide aduolantibus vt ſe comburant. Cum ergo res pleraeque humano ingenio non ſubdantur, quid mirum, ſi cum iisdem pax mentium non inſequitur? ſi indoctorum mentes tenebris obſideantur denſiſſimis, vt quo ſe vertant, dum ſerii aliquid cogitandum 1. Operatio intellectus corrupta.

eſt, neſciant. Quid mirum ſi & docti ipſi obſtacula inueniant infinita, quae penetrare non datur, nodosque quos ſoluere humana neſcit induſtria? vnde ſe angant, inquietent, ſcrupulisque vrgeantur, & alios vrgeant, infinitis? vi tandem doctiſſimorum etiam ſapientia in dubitationem deſinat, *an quidquam ſciri poſſit*? nimirum, non nos res tenemus, ſed illae nos conſtrictos tenent.

2. Voluntatis actiones corruptae.

9. *Voluntatis corruptelas, depravatiſſimasque cupiditates, quis non videt? pudet me generis humani*, inquit Seneca, & cur pudeat explicat, epiſt. 77. Nempe *quod proprium ſuum bonum, quo bruta antecellit, DEOque ſimilitudine aequatur, rationem & virtutem, ſecure negligit; & bona tantum inferiora, cum brutis communia, ſectatur; boneque apparenti, tranſitoria duntaxat voluptate titillanti, tam ſolida, vera, aeternum duratura bona, poſthabet.* Et mirum ſit, hominibus inter ſeipſos & cum aliis haud conuenire? perpetuaque *bella, caedes, rixas*, omnium cum omnibus; cogitationumque, voluntatum, ſermonum, manuum, colliſiones vbique gliſcere? *tota prorſus terra, omnesque humanae ſocietates, maiores & minores, nihil ſunt, niſi concertationum palaeſtra quaedam. Vnde nec cum DEO pace tranquilla frui datur*: accuſante vnumquemque ad tribunal DEI propria conſcientia, DEOque iram ſuam effundente ſuper iniquitates noſtras iudiciis ſuis, quae exercet.

3. Corruptela ſtudiorum & molim inum.

10. *Studia hominum ſolennia, quibus inſudat totus mundus, qualia ſunt? opum, honorum, voluptatum conſectatio.* In his tribus hominum vulgo felicitatis baſin figi, ad haec vndique in mundo collimari, quis eſt qui non videat? *at iſta omnia quid ſunt? opes ſollicitudo certa: honores, fumus euanidus: voluptates, dulce venenum, malorum omnium illecebra.* Nempe ſi ſic, vti vulgo fit, a rebus melioribus ſeparatim, intentioneque primaria, quaerantur. Nam ſi quis priora vrioraque bona, *ſapientiam, prudentiam, pietatem*, primario quaerat; poſteriora haec, *honorem, opes, voluptates*, tam certo habebit additamento, quam corpus in luce poſitum vmbram ſolet: fierentque illa, antidoto iſta comitata, innoxia, ſuauiusque etiam afficerent. Quod dum homines non intelligunt, *vmbras ſine re captant, vanitatiousque ſuis dediti vaneſcunt ipſi quoque: h. e. a rerum legitimo vſu, & rerum fonte DEO, & a ſeipſis tandem, aberrant.*

Peruerſi hominum conatus.

11. Summa, *quaerunt homines ſe extra ſe, res ſupra ſe, DEVM infra ſe. Se extra ſe*, dum non norunt theſauros DEI in ſe, diuitiasque, ſcientiam, & voluptates, quaerunt extra ſe: cum intra ſe tamen poſſideant plura, quam mundus habet vniuerſus. *Res ſu-*

pra

Digitized by Google

pra ſe: ſubmittendo & mancipando ſe rebus quibus dominari debebant. *DEVM infra ſe*: quaerentes & fingentes DEVM, non a quo ipſi, ſed qui ab ipſis, dependeat; h. e. non cuius voluntatem faciant ipſi, ſed quem habeant ad nutum ſibi, miniſtrum affectuum ſuorum. Qui ſcilicet, quicquid illi temere fingunt, iubeat eſſe verum; & quicquid temere ambiunt, iubeat eſſe bonum; & quicquid temere occeptant, iubeat habere ſucceſſum. Annon haec euidentiſſima corruptionis rerum humanarum ſunt argumenta? quae corruptio proculdubio exinde orta eſt, quod res iſtas laceramus, factiones fouemus, genuinaque media (eruditionem, religionem, politiam in alios transplantandi) non adhibemus.

12. *Cogita quaeſo: annon tria illa* (potentia, ſcientia, religio,) *quae coniuncta eſſe in quolibet homine debebant*, quippe quae iunctim DEI imaginem abſoluunt, hominemque perficiunt) *infelix diuortium plerumque faciunt*? Potentes nimirum raro ſapientiam curant, raro religionem. Sapientes vero, ah quam multi, ſapere volunt ſine DEO! quam multi viuunt ſine rationabili regimine ſui, nedum aliorum! religioſi denique multi ita ſe religioſis ſuis exercitiis dedunt; vt nec rerum cognitioni hauriendae, neque aliis hominibus ad bonam mentem inſtituendis, aut in virtutum via dirigendis, vacare velint. Quae autem haec monſtra, *velle poſſe, velle ſcire, velle bene velle*: & tamen *neſcire velle, noſcire poſſe, neſcire ſcire*? Aeternae trigae infelix diuortium.

13. *Monſtroſum & hoc: quod eminentiam qui in vna trium iſtorum ſerio perſequendo operam ponunt, conuenire tamen nullo hactenus modo poſſunt ideoque in ſectas philoſophicas, politicas, religioſas, ſcindimur. Philoſophorum ſcholas*, ſingularumque diuerſa & contraria de rebus placita & opiniones, quis enumeret? quot capita, tot ſententiae. *Politici ne in fundamento quidem regiminis* (monarchicene ſocietates humanas gubernari praeſtet, an ariſtocratice, vel democratice) *conſentire hucusque potuerunt. Religioſarum controuerſiarum chaos, ſine horrore quis intueri poteſt?* vbi ne de DEO quidem religionis obiecto, ſatis conuenit. Et cum religioſarum ſectarum quatuor per orbem primariae ſint, *iudaica, chriſtiana, mahomedana, gentilisque ſeu pagana*; quaelibet illarum in minores ſectas plures ſcinditur. *Nulla tamen aeque ſibi etiam ipſi diffidet, ac illa quae lumine maxime gaudet (gloriatur certe) chriſtiana; vt ſit caeteris ſcandolo, ſibi autem ipſi (ne ſe explicare valeat) vehementiſſimo obſtaculo.* Quisque pro ſe grex rurſum intra ſe diffidet

Veritatis nemo vsquam ſatis certus poſſeſſor.

14. *In tanto diſſenſionum & contradictionum tumultu quis veritatem, num illa vſquam, aut penes quos tandem, reperiatur, videat? omnes enim eam* (in philoſophicis aeque ac politicis & religioſis controuerſiis) *iactant: interim tamen nemo ſic, vt ab aliis quoque videri & palpari poſſit, demonſtrat.* Si enim quiſquam demonſtraret, controuertendi finis eſſet. Nempe quia veritatem quaerimus omnes, inuentam certo, & demonſtratam clare, reſpueret nemo. Quia id impreſſa nobis (imagini ſuae) veritas DEI non ſinit, vt intellectus quod vere verum, & voluntas quod vere bonum, agnoſcit, reſpuere poſſit. Cum intellectus deceptus etiam, ſpeciem veri; & voluntas decepta quoque, ſpeciem boni, tam ardenter proſequatur; vt ſaepe mori malit quam ab illo, quod pro vero aut bono habet, diuelli. Haec eſt primaria hominum, in erroribus & vitiis etiam, obſtinationis cauſa. *Quam ergo reuerentiam errantes errori, veritatis larua tecto & peccantes malo, ſpecie boni fucato, habent, quidni eandem potius vero vero, & vero bono haberent, ſi vere agnoſcerent?* Cur igitur deſunt, qui vera & bona quibus gaudent ipſi (ſi gaudent) tam potenter aliis commonſtrent, vt non videre, non affici, non conuinci, non trahi ac rapi, non poſſint? *ſignum ſcientis eſt poſſe docere. Signum ergo neſcientis, non poſſe ſic docere, vt perdoceas. Aut ergo veritas in tanto opinionum tumultu nemini adhuc patet ſatis, aut eam nondum quisquam habet luce armatam ſatis, cui reſiſti nequeat.* Quicquid eius ſit, defectum hic patimur horrendum.

Sapientia ſi qua eſt, libris incarceratur.

15. Tandem vero, per quae media eruditionem alii in alios transplantamus? Olim ſapientia pectoribus geſtabatur, nunc chartis includi coepta eſt. Vnde fit: vt libris bibliothecisque incarcerata raro in hominum cogitatis, dictis aut factis, reperiatur. Cuius incommodi vel ipſa librorum multitudo & varietas in cauſa eſt. Plures enim ſunt, quam vt relegendae vel mileſimae eorum parti cuiusquam mortalis vita ſufficiat: magis autem varii, quam vt vllum tam firmum cerebrum, quod non in vertiginem agi neceſſe habeat, reperiri ſit. Strues itaque librorum aut ſpectaculo ſunt magis, quam vſui, & ſic vanitas proditur; aut confuſioni certe, ſi quis per omnia volutare ſe animum obfirmat, & ſic noxa pateſcit. Inde enim indocte doctorum, aut docte delirantium, agmina. Et ſic libro docti ſunt, non nos: aut certe ſi nos quoque docti, confuſe docti: aut ſi explicate docti, coacte tamen docti; non ad rerum naturam, ſed ad aliena, quibus nos expleuimus, de rebus teſtimonia & dictamina.

16. *Sed*

Digitized by Google

16. *Sed & qui veram eruditionem colligere proponunt, raro ſibi ſcopum legitimum* (qui eſt veritatis per omnia veſtigatio propter meliorum delectum, & dehinc aliis veriorum & meliorum commonſtrationem, ad ſubſeruiendum ſic DEO, luminum patri) *proponunt: ſaepius quiduis aliud tranſitorium.* Diſcunt multi vt diſcant, h. e. curioſi ingenii pruritum expleant. Diſcunt alii vt diteſcant, h. e. ex re diuiniſſima aucupium rei vaniſſimae conſtituant, auaritiae. Alii denique vt intumeſcant, h. e. vanae ſuae ambitioni inſeruiant. Patet id, quod nimis auare eruditi, alii prae aliis, ingenii aut eruditionis famam captent; ideoque alii alios carpunt, caſtigant, oppugnant, damnant, ſibique inuicem tam impotenter inſultant, vt imperitae plebi ſpectaculo, contemptui, deriſui, aut certe ſcandalo, ſimus. *Ignis ergo quidam fatuus videatur ingeniorum illa lux, qua gloriamur.* Sapientes ſi qui ſunt, ſapientiae ſtudiis abutuntur.

17. Ad eruditionem pertinet linguarum, tanquam mentium interpretum, *ſcientia.* Non enim hominem, ſed homines, voluit eſſe in mundo DEVS. Nec eos habitare diſperſos, ferarum ritu, ſed collectos in ſocietates: non mutas illas & brutas, ſed vocales ac rationales; vt alii alios, de DEO & religione, rebusque aliis bonis, informarent. Ideoque ſocietatis addidit vinculum, linguam. At nobis, *primo; maximae ſocietatis noſtrae, ſeu maximi collegii, quod eſt genus humanum per orbem expanſum, vnum commune prorſus deeſt vinculum. Linguam enim communem, quo cum quibuſuis orbis incolis colloquamur, habemus nullam:* ideoque commercium hominum cum hominibus vniuerſale nullum. Iam itaque defectum patimur ingentem: dum nos vix aliquot hominum manipuli, intra vnam aliquam Prouinciam, aut regnum (magnum aut paruum quid intereſt?) habitantes, intelligimus: cum reliquis tam numeroſis gentibus vix nobis tantum commercii, quantum eius bruta inter ſe habent, eſſe poteſt. Id autem vnde? ab initio certe non fuit ſic. *Dum enim vnus eſſet homo (ab vno autem progeniti ſumus omnes) lingua non vna eſſe non potuit. Corruptio itaque acceſſit, quae nos diuulſit*, ſocietatemque humanam valde diſturbauit, & hactenus impedit ac turbat. *De ſingulis linguarum, quam confuſae, imperfectae, obſcurae, barbarae ſint omnes, (nulla prorſus excepta) dicere hic integrum non eſt:* apparebit ſuo loco nullam earum ſufficere amplitudini rerum; nullam tamen vnquam, ne ſic quidem mutilam, a quoquam vno ſolo, quantumuis docto, totam intellectam, vel Linguae, ſocietatis humanae vinculũ quam diruptum.

etiam-

Digitized by Google

etiamnum intelligi, aut teneri. Et quis ergo hic oſtentationi locus? imperfectio potius, & multiplex corruptela, deploranda.

Opera eruditorum imperfectionis arguit.

18. Tandem eruditionis partem conſtituunt *Opera docta, quibus nos rerum naturas intelligere, & actiua paſſiuis applicare poſſe, oſtendimus*: quemadmodum in quibuſdam *Mathematicorum*, *Mechanicorum*, & quandoque *Medicorum*, admirandis effectis videre eſt. Sed omnia illa quae iam ſcimus, prae illis quae adhuc profunde ignoramus, quantilla ſint patere poterit (ſpero) operis noſtri progreſſu. *Hoc certe conſtat: opifices Mechanicas artes ſuas melius excoluiſſe, ad maioremque deduxiſſe perfectionem, quam Philoſophos, Politicos, Theologos, ſuas.* Illi enim quod promittunt praeſtant, ſpeciminaque artium ſuarum ſemper in manu habent: horum artes non procedere (tenebras nempe a mentibns humanis non pelli, neque impietates a cordibus, neque confuſiones a rebuspublicis) in euidenti eſt: quicquid ſibi hi, illi, iſti, artibus ſuis, veritate in vita, placent.

Religionis corruptae argumenta.

19. Iam ſi religionis ſeorſim conſideremus negotium, & quomodo a plerisque tractetur attendamus, horrendae pateſcet corruptionis abyſſus: quam paululum detegamus.

1. Atheismus.

20. *DEVM eſſe, communis notitia eſt*, tam profunde inſculpta cordibus omnium hominum, vt Cicero dicat: qui *DEVM neget, vix eum ſanae mentis poſſe exiſtimari:* Hebraeorumque ſanctus rex & vates, *dicere in corde ſuo, non eſt DEVS, neminem poſſe, niſi ſtultum*, ſcribat. Vnde igitur tanta illa ſtultorum noſtro aeuo agmina,? vt iam in apertum prorumpere, nec in corde amplius, ſed ore & calamo blaſphemo, ſtultas voces, *non eſt DEVS*, ſonare incipiant? corruptio manifeſta, ſtupenda, deteſtanda, *inualeſcens atheiſmus.*

2. Epicureismus.

21. Credit tamen potior mundi pars eſſe DEVM, omnia vbiq; continentem: credere enim ſe id dicunt. *Et vnde igitur eſt, quod paucisſimi ſanctiſſimos eius reuerentur oculos?* plerique (praeſertim in latebris, vbi ſe ſine teſte eſſe putant) ac ſi nullus vsquam eſſet vindex oculus, ita viuunt. Corruptionis tremendae argumentum euidens, *vbique regnans actionum profanitas.*

4. Idololatria.

22. *Tertio, DEVM eſſe omnium rerum primum*, a quo, per quem, & propter quem, omnia caetera ſunt, ideoque vnum: (primum enim niſi vnum eſſe nulla ratio permittit) communis etiam notitia eſt. *Et vnde igitur tot deaſtri?* tot *idola*? tot *ficta numina*? Corruptionis certae argumentum certum, *late ſerpens, maxime vero in occulto, idolomania.*

23. Eſt

Digitized by Google

23. *Eſt & haec notitia cuiuis humano cordi inſcripta, DEVM eſſe mentem, ſeu ſpiritum, ſpiritu & mente colendum.* Et vnde igitur, quod pleraeque religiones externorum rituum apparatu cultum DEI metiuntur? aeternaeque menti rebus ſine mente agitatis (vt olim *Cain*) placere confidunt? *manifeſtum, pro religione religionis larvam coli.* 4. Cainiſmus.

24. *Tum & hoc, ſentimus omnes animas nobis dari immortales:* & tamen ea ipſa vnde pendet aeternitas, tam negligenter curantur, vt pleriſque cum DEO, aeternitatis praeſide, nihil ſit negotii. *Quid hoc niſi corruptiſſimi ſtatus cordis noſtri indicium eſt?* eoque magis, quod homo alias natura ſua totus in futurum fertur: quemadmodum oſtendit innata illi futura quaecunque praeſciendi cupido, maior quam ſciendi praeterita. Haec enim narrantem nemo miratur: futura praenunciantes numine afflari credimus, & tantum non adoramus. Tum & illa cuiuis innata in futurum ſibi prouidendi ſolertia. Eccur igitur in illa, quae maxime futura ſunt, poſtrema, aeterna, minus ferimur? *corruptio certa*, dicente apud Moſen DEO: *o ſi ſaperent, & nouiſſima ſua prouiderent!* 5. Aeternitatis incuria.

25. Si eos in ſpecie, qui *religioni praeſunt, aut religionis (quam in ſectas diuiſi diuiſe ſequimur) auctores fuerunt, conſideramus; corruptio pateſcit non vna. Primum* enim docere aliquid nemo poteſt, niſi rei illius intime gnarus. Religionem igitur, h. e. animae cum DEO commercium, nemo idoneus eſt docere, niſi cui DEVS familiariter, per intimam cum illo coniunctionem, & colloquia, aut inſpirationem, notus. An vero tales illi omnes, qui tam diuerſas religiones introduxerunt, etiam atque etiam videndum erat, ne deciperemur. (Suſpicio enim vehemens ſubeſt, ab vno DEO tam diuerſo, imo contraria, venire non potuiſſe.) Nos autem quid? ſecure dormimus. Nemo fere, quid hic verius & melius ſit, diſpicit, omnes antecedentium gregem ſequimur, vt reuera conſuetudo pro religione ſit. 6. Deceptionum interuenientium ſecuritas.

26. *Deinde, modum propagandi ſui quaelibet res habet naturae ſuae congruentem: quidni & religio?* nempe faber docet fabrilem artem fabricando, pictor pingendo, cantor cantando; &c. Et doctrina ipſa propagatur docendo, imperium imperando: quidni igitur & *religio religioſe agendo? cur ergo paſſim in rerum diuinarum doctores ſe ingerunt, quos nihil diuinum commendat? homines ſeculo immerſi, coeleſte nihil ſperantes, plus caeteris profani?* corruptio certa, nam ſi medicorum nemo morbos praeceptis curat; Theologia vero ani- 7. Religionis irreligioſa cura.

 marum

Digitized by Google

marum medicina eſt: cur quaeſo Theologi praeceptis tantum (de rebus ſcilicet diuinis concionando, aut pietatem duntaxat aliis praecipiendo) expedire quaerunt omnia? cur non in terris coeleſtem, caeteris in exemplum, viuunt vitam? corruptio manifeſta.

8. Religionis, diuiniſſimae rei, non diuina defenſatio.

27. *Tandem, quia religio res inter humanas maxime diuina eſt, eius propagandae modus non niſi diuinus eſſe poteſt, quali vtitur ipſe, in quem religio dirigitur, DEVS.* Quid autem ille? inuitat omnes, cogit neminem, tolerat omnes, perdit neminem, iudicium ſeruans iudicio futuro. Odia itaque noſtra, quibus alii aduerſus alios religionis cauſa inardeſcimus, atrociaque illa pro religione bella, quid niſi apertam corruptionem teſtantur? quid enim religioni cum armis? Habet ſane illa quoq; ſua arma, quibus ſe aduerſus hoſtes ſuos defendit, ſed ſpiritualia; ſicut & ipſa ſpiritualis eſt tota; & DEVS, cum quo hic res eſt, ſpirituum puriſſimus, ſpirituumque pater.

Politiae corruptae argumenta.

1. Regimen ſui neglectum.

28. *Politicum videamus ſtatum!* cuius baſis ſui ipſius regimen eſt: *quia nihil regit, niſi rectum: nec alios vnquam regere poterit, niſi qui ſimul, imo ante alia, ſeipſum.* Et vero quia DEVS hominem ad eam euexit dignitatem, vt omnes inferiores illi ſubiiceret creaturas, tandemque hunc addit tantae dignitatis apicem, vt ipſe quoq; homo, rector & arbiter omnium, ſui eſſet iuris; nec alterius, ſed proprio regeretur arbitrio: *certum eſt, totius boni ordinis circa hominem, totiusque humanae felicitatis cardinem in eo verſari, ſi quis aliis regendis deſtinatur, ante omnia ſeipſum ſapienter regere velit, poſſit, ſciat:* & perditionis, ſi ſeipſum regere nolit, non poſſit, neſciat. Ideoque DEVS, vt homo ſeipſum regere velit, poſſit, ſciat, prouidere non intermiſit. Nempe, *vt velit, indidit illi libertatis amorem.* (Cuius quidem libertatis in aliis quoque creaturis rudimenta videre eſt. Equus enim excutit ſeſſorem: bos deiicit iugum: auicula caueam, & in ea paſtum, deſerit: non alio fine, niſi vt ſui iuris ſit. In homine tamen libertatis deſiderium prorſus impotens eſt. Vt multi mori malint quam ſeruire, h. e. alieno arbitrio, non ſuo, agi.) *Vt autem poſſit ſeipſum regere homo, addidit illi DEVS conſiliarios perpetuos,* ſemper adſtantes, ſemper rebus intentos, ſemper de agendis & actis commonefacientes; *rationem & conſcientiam. Vt denique ſciret etiam, poſuit ob oculos creaturarum, leges ſuas* (naturae inſtinctu) *obſeruantium*, eoque ſe in ſuo eſſe conſeruantium, *infinita exempla*: quarum rationabili intuitu rerum vias addiſcere, inque ſeipſo ſapienter ad fines ſuos dirigendo exercere ſeſe, poſſet. (Sed & nouas leges, monitaque varia verbo ſuo adiecit; de quo alias.)

29. *Ars*

Digitized by Google

29. *Ars itaque artium eſt, hominem, omnium rectorem, regere poſſe; etiam cum ad ſeipſum, ſolum vnum, artem hanc refert homo, nedum ad plures eiuſdem eminentiae conſortes.* Cuius partis ſi obſeruaremus diuinas, rebus inſculptas, cordi inſcriptas, aureſque circumſonantes, regulas: in omni humana ſocietate ordo, tranquillitas, pax, conſpicua eſſent: quia praeeſſent, qui praeſunt, libere; ordinis, tranquillitatis, paciſque amore.

2. Politiae finis pax, & tranquillitas, ſunt:

30. *Quomodo autem obſeruamus, disſidia, rixae, bella, per omnes domos, vicos, vrbes, regna, loquuntur: nec aliis teſtibus, quam auribus & oculis, querelisque & eiulatibus, omnia perſonantibus, opus eſt.* Ecce enim! poteſtates ordinatae ſunt diuinitus, communi & cum ſubditis reciproco bono: nempe vt magiſtratus ſubditis, & ſubditi magiſtratibus, ſeruiant. Quid eſt igitur, quod hi iſtis, & iſti his, tam ſaepe graves, moleſti, intolerabiles, mutuoque exitio ſunt? Subditi, cum humeris ſuis poteſtates ſuas placide geſtare deberent, vt corpus caput ſuum ſupra ſe, ſaepe deiiciunt & proculcant. Hi rurſum deiici non patientes, aut recuperatis per vim habenis, frena fortius adducunt, ſtimuloſque & calcaria, & flagella, & fuſtes, & gladios, adigunt. Atque ſic violentiis implentur omnia.

3. Quarum loco nihil nobis, niſi turbae.

31. Videamus horum cauſſas. *Neſciunt homines regere, neſciunt regi. Neſciunt regere alios, neſciunt ſeipſos. Neſciunt regi ab aliis, neſciunt a ſeipſis.* Primum enim plerique hominum ſublimitatis ſuae immemores animo tam ſeruili ſunt, vt ſe intra viliſſimas quaſque res, ventrem, gulam, caeteraſque nugas, abiiciant: ab illiſque ſe regi, duci, trahi, huc illuc raptari, patiantur: indigni, qui homines (rerum ſcilicet dominio deſtinata creatura) audiant. Perinde ac ſtolidus & impius nauta, qui mari tempeſtatibus aeſtuante clauum abiiciens, ſe, & quos vehit, certo vitae periculo exponit. Tam quidem ſtolidos nautas in nauibus ligneis non reperias forte; ſed in naui corporis & animae regenda plerique mortalium ſic prorſus delirant.

Cauſae turbati vbique ſtatus. 1. Regentium ſupinitas.

32. Sunt rurſum, qui non contenti ſe & ſua regere, ad alios regendum (h. e. *pro lubitu verſandum*) *impotenter feſtinant: & vt dominari modo liceat, alios oppugnare, expugnare, ſubiugare, proculcare, volupe ſibi ducunt.* Plerumque enim qui aliis praeſunt, cur praeſint, non attendunt. Putant mundum ſua cauſa eſſe, hominibuſque vt brutis, ad quicquid complacuit, abutuntur: dumque reluctantiam reperiunt (intransformabilis enim eſt humana natura, concreata ſibi libertate ſua in totum exui, coactumque aliquid velle, non

2. Regentium ferocia.

 poteſt)

Digitized by Google

poteſt) ſub obſequium ſibi tamen redigendi modos quaerunt. At quos modos? violentos, *flagra, fuſtes, compedes, carceres, funes, gladios &c. Hocne autem ordinis eſt? hac rationabilem creaturam duci oportuit?*

3. Regentium ineptitudo, inſcitia, ignauia.

33. *Corruptio igitur certa, quod paſſim regendis hominibus adhibentur, qui regere non poſſunt, neſciunt, nolunt. Non poſſunt*; imbelles, effoeminati, auctoritate non inſtructi. *Neſciunt*; inertes, artium regiminis ignari. *Nolunt*; ignaui, delicati, circa alia curioſuli, iisque occupati. Atque ſic, *quia nihil regit, niſi rectum; nihilque recte, niſi ad regulam*; nihil denique firmiter, niſi ad regulam immotam: pleraque mundi regna male habere neceſſe eſt. Quia qui regunt alios, non regunt ſeipſos: nec regunt ad regulas, detorquent illas quoque ad placitum; & (vt vocant) ad rationem ſtatus. Ita omnia plena ſunt aut *Sardanapalorum*, non regimini, ſed deliciis, vacantium: aut *Nimrodorum*, ſine lege regnantium: aut denique *Machiavelliſtarum*, legum vim aſtutiis eludentium, & ſic ad leges pictas dominantium.

Corruptelarũ euidentia.

34. *Nihil igitur in rebus humanis integrum eſt: quia ſtatus mentis, religionis, politiae, per totum genus humanum corruptus eſt.* Viuunt plerique hominum (alicubi etiam integrae gentes) DEI ignari, ſui obliti, humanitatis neſcii, veluti pecora campi, belluinam prorſus vitam. Et non eſſe illa, per quae maxime HOMINES ſumus, confuſa & corrupta, defendat aliquis?

CAPUT VI.

Corruptelarum humanarum turpitudo & noxa.

Corruptelarũ noſtrarum turpitudo oſtenditur.

VT ad peruidendum confuſionum illarum chaos vix ſatis oculorum habemus, ita ad deplorandum earundem turpitudinem & noxas vix ſatis lacrymarum. *Hinc ſapientibus omnia humana diſplicent: quia omnia vana, ſtolida, impia, violenta, ad interitum tendentia.*

Vniuerſim.

2. Dum enim non haec agimus, quorum gratia hic ſumus, ſed alia nihil ad ſcopum pertinentia: annon *vani* ſumus? Dum vero contraria ſcopo agimus (ea nimirum per quae nobis, & humanae ſocietati, non poteſt non male eſſe) annon *ſtolidi*? Et dum bonitatis fontem quibusuis viliſſimis rebus poſthabemus, imo

aperte

Digitized by Google

aperte contemnimus, irritamus, blaſphemamus (quod plerique, eheu, faciunt!) annon *impii* ſumus? denique dum alii alios mille modis affligimus, diuexamus, perdimus, annon *violenti* ſumus?

3. *Sed videamus iſtas vanitates, ſtoliditates, impietates, violentiasque noſtras, quam turpes & noxiae ſint, propius: per omnes illos & ſingulos deprauatae eminentiae noſtrae* (hoc eſt, eruditionis, religionis, politiae) *ſtatus.*

Per ſpecies.

I. In ſtatu eruditionis.

4. *Statum mentis*, plerisque mortalium rebus bonis vacuae, *ſi conſideramus: annon quaeſo turpe eſt, tam lucidum rerum ſpeculum, ad ſimilitudinem omniſcii DEI factum, omnes nos circumferre:* in quo tamen vt plurimum aut nihil reſplendeat, aut nihil praeter tricas & quisquilias: de rebus magnis, pulchris, ſpiritualibus, aeternis, prorſus nihil? quis haec ſine lacrymis recogitet? *nec ſcire, nec attendere, nec quaerere, quis ſis? vnde veneris? quo tandem tendant omnia tua? turpiſſima turpitudo, belluinusque prorſus ſtupor eſt.*

1. Mentis ſpeculum plerisque nihil exhibet.

5. Quid autem quod qui aliquid ſciunt, aut ſibi ſcire videntur, de quauis etiam eruditionis particella, aut vmbra, adeo ſibi placent, vt alios contemnant? progredi tamen ad ſcientiae maiorem aut veriorem lucem negligunt? *lucidam nobis creator dedit mentem: ah cur vmbris potius delectamur quam luce?*

2. Aut nihil praeter vmbras.

6. *Turpe & hoc: quod cum creator quemlibet proprio ſenſu, aliisque veritatem rerum ſcrutandi adminiculis, inſtruxit; homines tamen plerumque oculos claudere, & coecorum in morem ab aliis absque ratione duci, quam libere per res obambulare, malunt.* Tota enim vulgaris eruditio (per omnes propemodum ſectas) ſeruile quid eſt: vt quae non contemplatione rerum, qualiter in ſe ſunt: ſed traditione de rebus aliena, conſtat. Millibus e multis non facile reperias, vnum, qui propriae mentis oculis vſus, quomodo DEVS mundum gubernet, aut qua vi res fiant, aut ſint, aut conſeruentur, aut pereant, aut rurſum reparentur, & quorſum omnia iſta tendant, attendat. *Vnde ſit, vt ſcientia plerorumque, etiam qui ſibi Salomones videntur, opinio ſit, non ſcientia.*

3. Oculis propriis nemo propemodum vtitur.

7. Quem tamen defectum ſi agnoſceremus, & nos intra modeſtiae contineremus terminos, ferri poſſet. *Sed dum opinionibus vt vento inflamur, alii aduerſus alios inſoleſcimus, interque nos tantas excitamus tragoedias, vt vix vsquam crebriora & acriora certamina, atque inter eruditos, videre ſit; id quo loco habendum?* Non iniucundum forſan fuerit *Andabatarum* (clauſis oculis dimicantium) *ſpectare pugnas,* ſi ioco fiant; ſi ſerio, ſtultitiae indicium euidentiſſimum; ſi ad exi-

4. Ex tamen in tenebris furioſe dimicant.

Digitized by Google

tum vſque,furoris. *At quid niſi Andabatarum greges ſumus nos miſeri: qui pro ſcientia tam inſcite, pro religione tam irreligioſe, pro rerum dominio tam ſeruiliter, depugnamus?*

5. Seque ipſum quiſque idolis pro rebus ludificat.

8. *Indignum eſt humana natura, falſi aliquid fouere:* h. e. *ſpectris, non rebus, diuinam intellectus officinam replere.* Indignum igitur, nos ita opinionibus diſſidere, & pleroſque in templo mentis, pro formoſis formoſae veritatis imaginibus, monſtroſa errorum idola circumferre, quod plerique mortalium faciunt. Quia enim veritas vbique vna & ſimplex eſt, *verum plus vno eſſe non poteſt.* Quotquot igitur de vlla re diuerſae fuerint, nedum contrariae ſententiae: omnes praeter vnam (ſi tamen vna etiam!) falſas eſſe neceſſe eſt. *O beatos, quibus vera videre datur! miſeros quibus deludi contigit!* Ignorare enim verum ſuum cum rebus, & cum DEO, ſtatum circumduci autem hominum aut daemonum aſtu confictis fabellis, quid niſi turpiſſima turpitudo eſt?

6. Neque ſi quid vſquam DEVS, lux aeterna, luminis veri ſpargit, colligere laboramus.

9. Tandem ſi nos hoc loco (vbi de rerum cognitione agitur) omnes iunctim conſideremus: annon quaeſo turpe eſt, nos *nos inuicem, bonaque & mala noſtra, adeo ignorare?* Nos quidem Europaei, peregrinationibus & nauigationibus adſueti, plus de caeteris cognouimus, quam de nobis illi. Nec nos tamen omnia, aut ſaltem ea, eoque fine, quae & quo fine debuimus. Scimus enim nuſquam deeſſe DEVM; ſuaque aliter & aliter per populos, & gentes, & linguas, & aetates, ſpargere dona: vt ſi nobis conferre omnia in vnum curae eſſet, poſſent, quam plena eſt omnis terra gloria eius, tam plena eſſe omnia corda luce eius. Nos tamen coniungere ſcintillas noſtras, faculaſue noſtras, quam ſecure neglexìmus hactenus!

II. In *ſtatu politico.*

1. Rixae de regimine perpetuae.

10. Videamus vero iam *quam indecorae, & genere noſtro indign[illegible] ſint illae quas in conuerſatione mutua*, h. e. *politia noſtra, admittimus en[illegible]mitates!* Lupi, vrſi, tygrides, dracones, aliaeque ſaeuae beſtiae, concorditer cum aliis ſui generis viuunt: impuros canes ſi excipias, quibus ſolis ſubinde rixae. Nos rationalis creatura, eheu, quam vbique diſcordes! Illis ſi quando duce opus, eum ſequuntur quem ſibi eligunt, vt grues: aut quem ſibi naſci vident, vt apes: aliae regimen non affectant. Nos igitur brutis brutiores; qui omnis paſſim ad regimen proruendo aut rurſum regimen omne declinando, rerum ordinem vbiq; turbamus: noſque difficultatibus inplicamus infinitis.

2. Inuaſiones mutuae violentae.

11. *Animalium ſpecies, quaeque ſuum ſeruant elementum, aues aërem, piſces aquam, ſerpentes terram, ferae ſiluas, pecora campos, &c. pro*

ordine

Digitized by Google

ordine ſibi diuinitus aſſignato. Atqui humano quoque generi idem omnium DEVS orbem terrarum aſſignauit, regionesque alias aliis attributas ab inuicem eo modo diſterminauit, vt quaeque gens, familia, domus, perſona, ſub conſtituto loco placide ſuo ſeruiat creatori. *Quae igitur haec rabies eſt, quod vbique in nos inuicem inuolamus? vt non montes, non fluuii, non lacus, non maria, non hemiſphaeria ipſa tutos nos ab inuicem praeſtare queant?* Incurrimus enim alii in alios vel ex altero orbe: vt ſpoliemus, diſſipemus, perdamus, eiusdem naturae conſortes.

12. Inprimis enim turpis eſt illa, quae infeliciter in conſuetudinem iam abiit, bellandi voluptas. De qua recte magnus quidam vir: *Saepe admirari ſoleo,* inquit, *quae res homines huc veſaniae adigat, vt tantis ſtudiis, tantis ſumptibus, tantis periculis in mutuam perniciem ruant. Quid enim aliud in omni vita, quam belligeramur? Non belligerantur quaelibet bruta, ſed ferae duntaxat: nec hae autem inter ſe dimicant, ſed cum diuerſi generis belluis. Et ſuis armis pugnant; non vti nos, arte diabolica excogitatis machinis. Nec rurſum quibuslibet de cauſis, ſed aut pro foetu, aut pro cibo: noſtra vero bella plerumque vel ab ambitione, vel ab iracundia, vel a libidine, ſimiliue animi morbo, proficiſcuntur. Denique non tot millibus conglobatis, ſicut iam nos, in mutuum inſtruuntur exitium.* 2. Bella mundum vaſtantia.

13. *Iam turpitudines in religionis negotio tam denſe obuenientes, attingamus breuiter!* ante omnia quid tetrius obſecro cogitari poteſt illis hominum monſtris, qui vt non ſit quem metuant, nullum agnoſcunt numen, nullum reuerentur! Qui nec immortalitatem ſuam, nec immortalitatis praeſidem agnoſcentes, eoque modo ſpem immortalitatis ſibi ipſis praecidentes ſeipſos ſcientes volentes belluis annumerant: omne ſuum bonum in paſtu ventris, aut euanidae ambitionis fumo, collocantes. Quorum tametſi forſan omni aeuo, gente, ſecta, aliqui fuerint: tantus tamen eorum nunc in ipſa Chriſtianismi luce prouentus, cum turpi Chriſtiani nominis ignominia coniunctus eſt. Equidem in pulcherrima veſte naſci tineas, in formoſiſſimo corpore deformes verrucas, in media luce tenebriones, quibus caligo pro luce adamatur, non mirum: turpe tamen eſt. III. *In ſtatu religionis.* 1. Atheismus.

14. Sed & turpe quod alii plerique faciunt, non negare numen ore, negare opere: h. e. nec numen, nec ea quae ad numinis nutum, beatumque cum illo conſortium, ſpectant, curare. Neſcire enim, 2. Epicureismus.

aut

Digitized by Google

aut non attendere, quis ſit qui te condidit, ad quid condiderit? cur huc miſerit? quid de te proponat? quid tibi, vt ei placeas faciendum ſit? ſi non purus *atheiſmus, epicureiſmus* tamen certus eſt. Et tamen haec ipſa ſunt, quae vulgo omnium minime curantur, imo in quorum ignorantia & contemptu polituli quidam gloriam aucupantur,

3. Supinitas extrema domi. 15. *Quibus autem illa curantur, quomodo curantur? plerumque perfunctorie, vix vsquam ſatis pro dignitate rei.* Cum enim nihil maiori periculo tractetur atque religio, a qua ſpes & timor vitae & mortis aeternae pendet: nos tamen vix vſquam minus curioſi, plerumque ſequimur antecedentium gregem, eundo non quo eundum eſt, ſed quo itur. Quotusquisque eſt qui dicat; *tutamne ſequor viam? annon deceptionis ſubeſt aliquid? quid eſt quod hic adeo diſtamus?* Vnus mundus, vnaque in illo humana gens, nonniſi ab vno DEO venire potuit. Qui ſi vnus, vna itaque eius de ſe colendo voluntas. Cur ergo hanc non ſequimur omnes? vnde ergo tot numina? tot diuerſi & contrarii numinis colendi ritus? deceptionem nidulari vbiubi oportet: imo vbique, vno excepto. Vbi vero id? an ego beatam illam, vnam, ſolam, veram religionem teneo? ſpero ſane: ſed & ſperant alii, ſe rectam calcare viam. Videndum itaque vbi veritas, vbi error? videre autem id, & dignoſcere & diiudicare, non potero, niſi quid teneant hi, iſti, illi, cognouero. Cognoſcam igitur: paratus ſi meliora reperero, meliora ſequi; ſi melius nihil; meam tenere viam conſtantius; DEOq; ſeruire eomodo, quem cognoſcere dat euidenter, feruentius. Ita ſi verum veri DEI cultum vere quærerent omnes, ope DEI vere inuenirent, triſtisq; illa diſſonantia euaneſceret. *Nunc talia nemo quaerit, ſed in quamcunque religionem quemque naſcendi ſors, aut alius aliquis caſus, detulit, ibi baeret. Ideo tam religione, quam fluviis, maribus, montibus, linguis, moribus, alii ab aliis conſtanter ſeparati manemus. Turpe certe in vnius DEI ſchola, regno, templo, tanta disſidia.*

4. Erga eos autem qui foris ſunt, furor. 16. Sed & hoc videamus, *annon quaeſo religionem, quae DEO ſimiles reddere nos debet, rem quandam mitisſimam eſſe conueniebat?* Vnde igitur eſt, quod alii alios, religione a nobis diſcrepantes, ferre nequimus? cum ille ipſe, quem religio aut placat aut irritat, eos qui ſe placant ſilentio ſuſcipiat propitius; qui autem ſe irritant, toleret patiens. Nempe, cui non deſunt fulmina (ſi ſic gloriam ſuam vindicare bonum putaret) ille non fulminat: nos quibus nulla ſunt, fulminare non ceſſamus.

17. *Turc*

Digitized by Google

17. *Turpe inprimis, quod vix vlli acrius diſſident, acerbioribusque in religione odiis certant, atque hi ipſi, qui religionem tot reuelationibus diuinis firmatam habere ſe credunt, Chriſtiani.* Non quidem ignoramus, quo lux fulgidior eſt in aliquo corpore, eo denſiorem fieri adiacentem illi vmbram? zelumque pro re adamata tanto feruidiorem, quanto maioris res ipſa aeſtimatur: ideoque zelum pro DEO, quem optimorum optimum credimus, natura ſua nec debere nec poſſe eſſe; niſi feruidiſſimum. Vnde neceſſario ſequitur, vbicunque plus cognitionis aut eſt, aut eſſe praeſumitur, ibi etiam exſurgere plus zeli, ſiue ſecundum ſcientiam; ſiue ſine ſcientia. Non tamen his rationibus exceſſus ille zeli, h. e. furor quo alii in alios vehimur, excuſari vllo modo poteſt. 5. Maxime interChriſtianos.

18. Ita de corruptelarum noſtrarum turpitudine, in ſtatu *eruditionis, politico, religioſo*, ſuperficietenus aliquid dictum eſto. Iam cogitet quisque: *ſi nos qui prae philautia aegre aliquid vitii agnoſcimus* (amor enim coecus eſt) *foeditates noſtras ita vt ſunt non expendimus: num etiam aeque ſurdum & coecum neceſſe ſit eum eſſe, cuius oculi millies ſole ipſo lucidiores ſunt?* Num putamus, dum eruditi noſtri tot modis diſſonant, politici tot modis diſcrepant; theologi tot modis diſcordant; aliam in auribus DEI audiri harmoniam, atque qualis auribus noſtris eſſet, quam quis ex balatu ouium, & mugitu boum, & grunnitu porcorum, & ruditu aſinorum, & ſibilatu viperarum &c. ſingulorum iſtorum gregibus in vnum coactis, efficere tentaret? Vae nobis miſeris, ſic ab aeterna harmonia prolapſis! Diſſonantiae noſtrae quales in auribus oculisque DEI.

19. Non ſola autem turpitudo, quae confuſionibus noſtris ineſt, ſed & multiplex interueniens *noxa ac pernicies*, merito nobis horrorem incutere debet. Primum enim in miſeram prorſus conditionem praecipitamur, quicunque a veritate in errores, a libertate in ſeruitutem, a DEO lucis & vitae fonte in tenebras & mortem, prolabimur. Externe oculos habere coecos, aures ſurdas, mutam linguam, pedes claudos &c. calamitoſum eſt: ſed millies magis, ſi cui coeca mens, ſurdum cor, clauda, fracta, rupta, conquaſſata omnia. Qualia profecto ſunt maiori ex parte omnia noſtra, integrum vix quidquam. Corruptelarum noſtrarum noxa. 1. Quod nos ſenſu miſeriae noſtrae priuent.

20. *Accedit, quod plerique nec mala ſua agnoſcere, nec in melius aliquid commutare, vel, optant vel patiuntur.* Nolunt ad lucem aperire oculos, bene ſibi eſſe credunt in tenebris. Nolunt ad DEVM eleuare corda, bene ſibi eſſe putant ſine DEO. Nolunt ordini inter 2. Stuporem inducant.

inter ſe conſtituendo applcare animum: bene ſibi eſſe inter violentias & vincula imaginantur, eheu! multi horum, miſeriis preſſi, luctu & ſuſpiriis vitam vx aegre trahunt: nec tamen meliora anhelant. Plures ne ſentiunt quidem mala ſua, ideoque inter onera exſultant, cruces ſuas adorant, ſupplicia ſua rident.

3. Inſenſum peruerſum agant.

21. *Et quod peius, peruicacia & obſtinatione laborant: vt melioribus, dum offeruntur, reſiſtant etiam.* Peruerſitas quaedam, & conatus vincendi etiam in mala cauſſa, nimis euidens eſt in quibusdam naturis, ſi non integris nationibus aut ſectis. Mendacio quaerunt opprimere veritatem, hypocriſi religionem, vi innocentiam: quid illis facias?

4. Quidquid mali vsque exoritur, potenter propagent.

22. In ſumma, *quicquid in genere humano mali exoritur, inceptum a quocunque, mox radices agit, potenterque vt infelix lolium fruteſcit: nec eradicari facile, aut etiam vllo modo, patitur.* Coepit primus homo, omnium noſtrorum progenitor, *Adam*, illicita appetre, DEO non obſequi, mandata eius transgredi: punitusque fuit mox, ne malum impunitum abiret in exemplum. Nos tamen ſtrenue continuamus: plenus enim eſt ſimillima progenie mundus totus. Coepit *Cain* DEO fucum facere hypocriſi, & punitus fuit: totus tamen mundus hypocritarum & homicidarum plenus eſt. Coepit *prior mundus* commeſſari, perpotare, libidinari, DEVM non curare: puniti ſunt diluuio, perieruntque, at non periit exemplum, imitantur id mundi huius, qui nunc eſt, incolae, perſtrenue. Coepit *Noe* ingurgitare ſe vino, turpique ludibrio & ſcandalo eſſe ſuis, confuſus propterea, nec tamen deſiſtimus nos: ebrioſorum turpitudines ſuas denudantium plena omnia. Coepit *populus a diluuio* aedificare in coelum turrim, h. e. propriis cerebri ſui adinuentionibus ad DEVM quaerere vias. Confuſi ſuut & diſſipati, nos tamen ne ſic etiam per orbem diſiecti, deſiimus aedificare Babel: non ſolum continuando conſpirationes contra DEVM, vel nos inuicem, varias (colonias enim inde duximus omnes, omnesque ſimul ſumti Babylon illa magna ſumus, diſpergenda in aeternum, niſi reſipuerimus adhuc) ſed & ſinguli etiam peculiares intra ſeipſos concipientes minutulas Babylones. Plenus certe confuſionum eſt mundus vniuerſus. Coepit *Nimrod* venari homines, monarchiamque ſibi ſuper gentes conſtituit, quam euertit dominus, ſicut & alius ſequentes: nos tamen non deſinimus ſcandere alii ſuper alios, ad opprimendum quos datur.

Digitized by Google

23. *Auget incommoda, quod hae corruptelae in nos recidant, nos ipſos perdant.* Minimum quidem inter caetera res literaria genus humanum vaſtat, quantum ad externa: quoniam ſapentiae aemulatio bella & ſanguinis diluuia nulla adhucdum produxit, ſicuti ab aemulationibus religionum & politiarum fieri videmus. *Non deſunt* tamen *eruditorum etiam confuſionibus pernicies ſuae.* Nempe dum docti inter ſe digladiantur, indocti ſtupent: dum illi delirant, hi in vertiginem aguntur: ad nutum quippe iſtorum hi verſantur. Atque ſic dum caeci caecorum duces ſunt, quid ſet? Quid autem veritati, de qua altercantur? illam nimis altercando amitti, vetus & verum eſt dictum. Dum enim victoriam alii tantum de aliis quaerunt, ſophiſticationibus plerumque res agitur: poſthabito, quid veritati fiat, modo nos non ſuccumbamus. Sed & qui veras defendunt ſententias, plerumque acerbis in ignorantes inuectiuis rem agunt: vt non aliud quam odium ſui, & quam defendunt veritatis, reportent. — Noxa in ſpecie literariarum confuſionum.

24. *Ex confuſione linguarum venientis noxae caput hoc eſt*, quod dum commune vinculum non habemus, vt corporibus ita animis diſperſi manemus: dumque non penetramus ad inuicem vbique (vti poſſet, ſi eſſemus gens vna, labii vnius) ignoramus nos inuicem pleraeque gentes, noſtraque bona & mala. Vnde fit, vt nec mala commiſerari, & inuicem ſuccurrere, nec bona impertiri ac communicare, valeamus. — Et eius quae in linguis eſt.

25. Magis autem oculos incurrunt *ea damna, quae dominantium aemulationes generi humano attrahunt.* Memorare alia nihil opus: *teterrima illa pernicies, bella, quantas humano generi* (bone DEVS!) *afferunt clades!* Patebit id, ſi vel praeſens hoc bellum, quo quadraginta fere annis infelix flagrauit Europa, intueamur. Quo tot exinanitae vrbes, tot vaſtatae prouinciae, exciſi populi, ſubuerſae florentiſſimae reſpublicae, integraque regna cadauer facta. Nec dum omnino furoris finis: qui ſuperſunt, vt ſe conficiant in id laborant ſtrenue. Quis modus aut finis malorum? — Et politicarum.

26. *Quid autem religioſorum aemulationes? magna furentium, & res ſine fine intricantium pars, illi ipſi ſunt, qui inter DEVM & homines pacis authores, & proxenetae, eſſe debebant.* Calamitoſius vero eſt, quod hi ipſi *religioſi* in infinitum productis, & nodoſiſſime implicatis *controuerſiis*, & doctorum ingenia, & indoctorum conſcientias, ſine fine fatigant: eoque animas, quas deliciis paradiſi implere debebant, angoribus & tormentis implent: vt multi vitae huius per- — Et religioſarum.

pertaeſi, futura incerti, quo ſe vertant neſciant. Nam *quid adverſus haec omnia? vbi? apud quem? veri ac ſolidi ſolatii quaerendum? Non naſci praeſtiterat, quam naſci ad tot miſerias*: tandemque praecipitari in mor sabyſſum, nec ſcire quo vltra.

Miſeriarum finis ne quidem in vitae fine ſperandus.

27. Voluerunt in gentilitate quidam aduerſus calamitates vitae id ſolatio eſſe, *quod exitus vndique pateret*. At vero id aduerſus calamitates aeternas nihil valet: inde enim exitum quis ſperet? & quo? Lamentabilis igitur ſors noſtra, niſi aduerſus tot vitae mortisque praeſentes & futuros terrores ſolidi aliquid, quod intrepide opponamus, inueniatur. O DEVS, DEVS, DEVS, miſerere!

CAPUT VII.

De emendatione rerum humanarum conſultatum fuiſſe a corruptionis initio hucusque.

Conſultare quid ſit? & quo trino modo fiat?

CONſultare, dicuntur homines, cum de rebus nouis recte conſtituendis, aut corruptis reſtituendis, aut amiſſis recuperandis, cogitationes ſuſcipiunt: ſiue (1) apud animum ſuum quisque, (2) ſiue ſermonibus apud amicos reciprocatis, (3) aut etiam deniq; reipſa aliquid, pro euitando aliquo malo, aut obtinẽdo aliquo bono tentantes.

De RR. humanarum emendatione ſemper conſultatur, diuinitus & humanitus.

2. *Trino hoc ſenſu de rerum humanarum emendatione conſultatum ſemper fuiſſe dicimus, h. e. cogitationibus, ſermonibus, moliminibusque variis, ſeriis, indefeſſis, DEI & hominum reſpectu.* Quia nec DEVS prolapſis rebus humanis vnquam defuit, nec homines ſibi ipſis per omnia. Iis tamen quae DEVS in reparationem perditi generis hucusque egit, agitque (quam ab ipſo corruptionis initio errores noſtros viis omnibus emendare quaerat, quamque omnia diuinae prouidentiae opera vnice eo tendant) in alium locum reſeruatis: nunc, quid homines ipſi pro rerum ſuarum emendatione hucusq; tentarint, molitique ſint, perſequamur.

Hominum ſapientum ab omni aeuo molitiones, non aliae fuerunt.

3. Prorſus ſic exiſtimo: *ſi quis omnium hominum ſapientum, piorum, prudentum, qui inde ab exordio rerum humanarum vixerunt, poſſet intueri cogitationes, audire ſermones, legere ſcripta, conſiderare facta, vix aliud illa fuiſſe reperiet, quam morborum generis humani veſtigationes, & reme-*

remediorum aduerſus morbos tentamina varia: quanquam ſucceſſu eatenus ſemper votis minore, vti mox patebit.

4. *Sed nec illa, quae reliqua hominum turba vnquam egit, & hucusque agit, aliud ſunt, quam pro emendatione rerum ſuarum molimina perpetua: etiamſi quid agant non intelligunt.* Scire enim omnis homo aliquid deſiderat; & vt ſciat, quotidie ſcientiam augere, h. e. quotidie aliquid audire, videre, tangere, agere, etiam nouum aliquid excogitare, quaerit: torpere prorſus, vix cuiquam poſſibile eſt. Tum vero pro *libertate*, ſiue comparanda, ſiue tutanda, quid non vulgo tentant? etiam qui ſeruiunt, ſeruitutis excutiendae occaſionibus quam intenti ſunt! *conſcientiae* etiam vt conſulant, nihil non agunt omnes homines. Alii nempe tenerrime eam in obſequio DEI cuſtodiendo, vt eam experiantur pacatam! alii per vim obtundendo, ne experiantur oblatrantem. *Praeterea, quid eſt, quod nemo mortalium ſua ſorte contentus viuit? quod quisque ſemper quiddam, vnde ſibi melius ſit, quaerit?* Affluat aliquis eo vsque bonis quibuscunque, vt aliorum iudicio beatus videatur, ille tamen ſibi ſemper aliquid deeſſe ſentit: ideoque de augendis, vel in melius mutandis, rebus ſuis cogitare non deſinit. Etiam qui ad naturam humanam minus pertinentia ſectantur, opes, honores, voluptates, bonum tamen ſectari ſe ſibi perſuadent, eoque ſolum fine, quia ſe rebus iſtis leuare ſperant, iſtis inhiando, melioris cuiusdam ſtatus deſiderium produnt.

Nec reliquum vulgus aliud (ignarum etiam quid agat) agit.

5. Miſſis tamen vulgaribus iſtis, quae quotidiana ſunt, & quaſi a priuatis priuatim fiunt: quid publice & a viris ſapientibus, expreſſa publicae rerum emendationis intentione, tentatum hucusque fuerit, videamus: primum in *ſapientiae ſtudio*, deinde in *religione*, tandem in *politica prudentia*: addito vbique, quid reperto vno quoque remediorum effectum, aut in melius profectum, ſit.

Catalogus rerum, quae aperto titulo, *pro RERVM EMENDATIONE*, acta ſunt.

I. *In ſapientiae ſtudiis, id eſt philoſophia.*

6. In ſapientiae ſtudio *tentamen primum* hoc fuit: quod viri quidam ingenioſiores rerum contemplationi totos ſe dabant, nihil aliud, aut nihil aeque, per totam vitam acturi, quam vt rerum naturas ſcrutando, cognitionis lumen ſibi & aliis augerent. Nomen his Φιλοσόφων, h. e. *ſapientiae amatorum*, datum: quorum opera humanum ingenium multum profecit, ſcientiaeque & artes inuentae multae

7. At cum non vbique ad rerum medullas penetrarent, aliterque multa poſterioribus obſeruarentur quam prioribus; aut etiam coaeuis haec & illa aliter aliis viſa: enaſcebantur ſubinde nouae hypo-

2. Philoſophorum dogmata fingendi conſuetudo.

hypotheſes, tentaturis num ſic, vel ſic, aut ſic melius, procedere vellet negotium? donec ad infallibiles formas & normas reducerentur omnia, repertaque ſunt multa prioribus meliora. Sed dum ſibi alii ſua deſerere dogmata dedecori ducerent; aut quae recentioris erant inuentionis nihilo viderentur certiora, *enatae ſunt variae philoſophorum familiae, diuiſae iam in ſectas, qualibet illarum ſua defendente placida.* Quae occaſio fuit, partim in veritatem rerum acrius inquirendi, partim tamen rurſum de veritate rerum tam controuerſarum dubitandi, aut etiam tandem in errores varios prolabendi.

3.De dogmatibus diſputationes.

8. Cum ergo nusquam tam clarum, quod res eodem modo oſtenderet omnibus, appareret lumen diſſenſionesque humanas animus moleſte ferret, *ventum eſt ad concertationes de dogmatum, ſeu veritate ſeu veriſimilitudine. Quae fuit origo diſputationum, quibus per tot ſecula omnia eruditorum perſtrepunt*; nonnullo quidem ad eliciendum hic & illic veritatem profectu, minore tamen illo quam vt operae pretium ſit. *Diſputationes enim illae oſtendunt, firmiſſimoq; argumento ſunt, res non intelligi: quia ſi intelligerentur, commonſtrarentur etiam vt videri poſſent.* Et quid indicat vſitata illa diſputationum vehementia, rixae, clamores, odia? Certe non ſolemus videntes caecis iraſci, commiſeraſcere potius. *Res ergo ad propagandum cognitionis lumen non ſatis proportionatae ſunt paleſtricae illae diſputationes.*

4.Collegiatae placidae diſquiſitiones.

9. Mollius fuit inſtitutum eorum philoſophorum, qui blanda ſententiarum collatione vti maluerunt, collegiali opera. Talia enim *ſociata collegia* & apud antiquos in vſu fuerunt (collegia intellige patriarcharum, Aegyptiorum ſacerdotum, Brachmanorum, Magorum, Druidarum, Rabinorum) & ſunt hactenus: nempe *in Italia collegium Lynceorum, in Gallia Roſiorum, in Hiſpania Illuminatorum. in Germania Frugiferorum*, & ſi quae alia ſunt.

5.Profeſſiones publicae ſcholaeque.

10. Alii vt prodeſſent magis, & in publicum, *ſcholas publicas* aperiendi iniuerunt conſilium: quas frequentare, varios ſapientiam profeſſos de rebus quibusuis differentes audire, eoque animos ſcientiae lumine tingere, cuiuis liberum eſſet, adeoque ſolenne, multo multorum profectu. *Hinc Philoſophos Seneca generis humani paedagogos appellandos cenſuit.*

6. Libri in publicum ſcripti.

11. Et vt ad abſentes quoque eruditionis lumen ſpargi poſſet, *inibatur conſilium libros ſcribendi, iisque quicquid pulcrum & memorabile eſſet conſignandi*: ſiue vt in bibliothecis adſeruati quoties vſus poſceret

Digitized by Google

ſceret expromi, ſiue etiam vt transſcriptione multiplicari, & quibuſuis mortalium communicari, poſſent. Quae res ſapientiae ſtudia per varias gentes & linguas ſpargendi occaſionem dedit.

12. *Quod conſilium ab inuenta arte typographica validiſſimam reperit promotionem.* Arte inquam, qua incredibili celeritate & elegantia multiplicari poſſunt; *vt ſe iis ad lubitum inſtruere, nihilque propemodum ignorare, cuiuis in promptu ſit.* Artis enim huius beneficio, quicquid ab omni antiquitate monumentorum ad nos transmiſſum fuit, in lucem protractum eſt: & quicquid noſtri aeui ingenia (antiquis haud minus foecunda) parturiunt, facillime a gente in gentem transmittitur. *Si modo ingratitudo, tantique doni DEI abuſus non vnus, non acceſſiſſet.* Nempe ambitio & auaritia: quae libros (bonos, malos) ſine neceſſitate multiplicauit, ſcholasque & ingenia diluuii cuiusdam inſtar inundat & adobruit: vt quanta prius librorum fuit fames, tantum iam inſecutum ſit faſtidium. Accedit *hominum ſocordia, libros propter indices coëmentium:* quibus dum ſe in omni caſu iuuari, & quod vſus poſcit reperire poſſe, confidunt, animum ſcientia rerum inſtruere non curant. Vnde fit, vt ſeculum hoc libros habeat doctos, viros non item: cumque antiqui ſapientiam geſtarint in pectore, nos geſtemus in chartis.

7. Libros celerrime transſcribendi ars Typographica.

13. Iſtis tamen, quantumuis variis moliminibus, nondum omnem ſapientiam ab antiquis ad nos deriuatam fuiſſe indicio porro eſſe poteſt, proximo hoc ſeculo indefeſſa tot ſcripturientium diligentia, nouosque iſtos libros legere deſiderantium ardor: qualiter nullo ante hac ſeculo contigit. Fatendumque eſt, multa in hisce recentibus libris interdum detegi, quae ignorata fuerunt ante. Nonne ergo tam ſcripturientes iſti quam lecturientes publice fateri videntur, illaquae ante hac exſtitere, haud ſufficere? omninoque melius commodiusque aliquid quaerendum reſtare? vt taceam iactantiam nonnullorum de arcana circa has vel illas artes ſcientia: quam ſeu vere habeant, ſeu vane iactent, argumentum tamen eſt vulgo nota vulgaria eſſe; nec rebus, aut humanae auiditati, ſatisfacere.

8. Libros novos ſcribendi & legendi ardor, eatenus inexplebilis, imperfectionis rei literariae teſtis.

14. Agmen tamen horum omnium claudunt, qui noſtra demum aetate numero bene multo paſſim prodiere, *didactici.* Hi ſcilicet anxio moleſtiſſimoque labore *viam excogitare, ac monſtrare,* *conati ſunt, quomodo inſcitia e rudiorum mentibus tolli, ſcholarum errata corrigi, ſcholaſticaeque cruces minui; contra eruditio plenior & ſolidior leuiori negotio, minorique tam docentium quam diſcentium faſtidio,* *com-*

9. Sicut & noua didacticorum molimina.

Digitized by Google

comparari debeat. Pro quo obtinendo ſcopo alius hanc, alius aliam rationem, vti diſpari ingenio aut diligentia, ita diſpari quoque ſucceſſu, iniuit. Omnes quidem laude ſua digni, pro ſuo quisq; tentamine; at erratis iſtis funditus amouendis nondum pares ſufficientesque deprehenſi. *Mundus enim tenebris ac barbarie fere eadem, vti ſemper adhuc, laborat: totque ſapientiae theſauri & infundibula apud plerosque ſine vſu ſunt.*

II. *In religione quid hucusque tentatum.* 1. Coetus ſacri publici.

15. Pro emendando religionis ſtatu tentata quoque iam ſunt varia. Et *primo* obſeruatur ab omni antiquitate, *per omnes gentes receptus iam, feſtis diebus coetus ſacros cogendi mos*: vbi congreſſa multitudo de Numinis cultu deuote exhibendo, verbis & exemplis docetur. Sed & intermiſſum id rurſum eſt paſſim gentium: & vbi retinetur, vix vsquam pro aeternae Maieſtatis dignitate res tractatur.

2. Ceremoniae ſacrae variae.

16. Vt tamen decor tam ſanctae rei non deeſſet, eſſet autem vnde homines tam allicerentur ad coetus ſacros, quam detinerentur in attentione, *inſtituti ſunt diuinitus (aut etiam adinuenti humanitus) varii ritus ſacri, ſenſus captiuantes, animosque ad hoc agendum, quod agitur, excitantes.* Sed & illa omnia partim obſoleſcere, partim in ſuperſtitiones degenerare conſueuerunt: vt alii in aliis videmus, & culpamus.

3. Ordines ſacri varii.

17. Cum ne ſic quidem ad religioſam mentem traduci poſſent omnes, turbaque hominum & ceremoniarum turbaret potius quam foueret, puriorem animarum zelum: factum eſt paſſim gentium & ſeculorum, vt magis pii & deuoti in peculiares quosdam ordines, aut ſocietates, coaleſcerent, ſtrictioribus quibusdam legibus, ceremoniis, exercitiis, ad ſerio ac deuote ſeruiendum DEO inter ſe obligati, exemplisq; mutuis ſeſe inuicem excitantes.

4. Sectae variae.

18. Quin &, ſi corruptus viſus fuit, totus religionis ſtatus, nec emendandi eius ex toto ſpes eſſet, a toto eccleſiae coetu ſeſe ſeparandi, peculiaresque coetus, & peculiares religiones, conſtituendi, apud Iudaeos, Chriſtianos, Mahomedanos exempla habemus. *Vnde ſchiſmata & ſectae, hereſesque inter illos exortae.* Tam impotens eſt animis humanis, DEO quam puriſſime ſeruiendi, deſiderium; tam inſuperabilis veriora & meliora videndi, aliisque commonſtrandi, aut etiam commonſtrantibus obſequendi, cupido.

5. Religionum indifferentia.

19. Romani olim omnes omnium DEORVM dearumque religiones, quos & quas apud vllam gentem reperiſſent, in ſuam rempublicam recipiebant: aberrare ſe ſic a vero veri DEI cultu, quis-

Digitized by Google

quisquis eſſet, non poſſe rari. Ideoque *omnibus ac ſingulis aedificabant templa, tandem & vnum omnibus, πάνθειον dictum: ſicuti & Athenienſes altare, IGNOTO DEO.* Sed confuſio fuit veri DEI cum idolis, religionisque purae cum ſpuriis; cum nec DEVS verus niſi vnus; nec religio vera niſi vna, eſſe poſſit; quia verum plus vno eſſe non poteſt.

6. Religionum intolerantia.

20. Contrarium huic nonnulli inſiſtere tentarunt viam; *religionem niſi vnam, nempe ſuam, non tolerando.* Cum enim numinis colendi viam, quam ſequebantur ipſi, ſolam crederent legitimam: (id autem quis non credit?) putabant ſe DEO praeſtare cultum, ſi hanc propagarent vnam; reliquas, tanquam numini inuiſas, abolerent. Quo zelo hucusque videmus flagrare pleroſque, vt omnes a ſe diſſentientes religiones extirpari poſſe perquam optent; manus etiam, ſi occaſiones viresque ſinunt, non illubentes operi admouentes. Sed zelus hic non eſt ſecundum ſcientiam: nec enim tali exemplo praeit DEVS, qui tolerat omnes.

7. Religionum omnium abnegatio.

21. Reperti tandem ſunt, qui ob tot tantasque in religione confuſiones horrore correpti, *conſcientiae tranquillitatem in ipſa irreligioſitate quaerere attentarunt, h. e. in Numinis abnegatione*: experiri volentes, an vel ſic meliuſcule poſſit eſſe animo, ſi amoueatur is, quem alioqui in aeternum trepidare neceſſum eſſet. Extrema quidem haec iſtorum dementia eſt, ex eodem tamen quo caetera illa fonte promanat. Numinis ſenſu: a cuius pauore liberare ſeſe quaerunt.

Quo omnia iſta profectu.

22. Ita videmus, quam nihil intentatum relinquatur pro excolendo numinis commercio, tranquillandisque conſcientiis. *Profectumque aliquid ſaltem eſſe, hoc teſtimonio ſit, quod quae adeo olim inualuerat inſania, πολύθεια*(multorum Deorum cultus) *iam DEI ope ſublata eſt.* Quotquot enim nunc orbem terrarum incolimus, vnum adoramus DEVM, coeli & terrae creatorem; vsque ad paucos adhuc ſuperſtites, qui quid adorent neſciunt. Quos o illuminet iam quoque aeterna lux! nobisque caeteris lucidiorem in dies ſui concedat conſpectum, vt videamus talem qualis eſt, & illi ſeruiamus ſicvti beneplacitum eſt ſibi.

III. *Pro cohabitationis pace quid tentatum.*

I. Societatum fundatio.

23. *Videamus iam quid pro obtinenda in genere humano pace & concordia tentatum ſit, quam varie, & quo ſucceſſu? primum medium fuit, ſocietatum fundatio; vbi plures coaleſcunt, vt in vnum corpus membra, regenda tamen a capite vno, ordinis cauſſa.* Talis ſocietatis primitus fuit domeſtica, in vna familia; deinde plurium familiarum, in v-

Digitized by Google

no vico: tum plurium vicorum in vna ciuitate: tandem plurium ciuitatum in vna regione, aut regionum in regno vno: cuiusmodi ſubordinatio fundamentum eſt omnis boni ordinis, omnibus in rebus: per ſe tamen, ſine aliis vinculis, non ſatis firmum ad cohibendum exorbitationes.

2. Legum vincula.

24. *Ventum ergo ad leges hominibus ferendas, vt quisquis ſuo loco munia ſua non ignorans, ex praeſcripto regulariter viuere conſueſceret.* Quod vt ordini externe conſeruando non inidoneum eſt medium, ita internas tollendi ataxias vim prorſus habet nullam: quia natura humana concreatae ſibi libertatis memor, nihil aegrius quam legibus conſtringi, tolerat. *Nitimur* (potius) *in vetitum ſemper, cupimusque negata*: quia noſtrae ſpontis eſſe cupimus.

3. In exorbitantes inuectiuae.

25. *Venerunt ergo poteſtatibus auxilio ſapientes, philoſophi & poetae;* exprobrantes turpitudinem, ſi animal rationale nolit duci, ſed impetu bruto agi. Hinc *Diogenes* in ipſo meridie Athenis, cum accenſa lucerna per mediam hominum turbam diſcurſans, homines ſe quaerere dictitabat: confundere ſic brutalitatem vulgi, & ad aliquam ſui cognitionem permouere, quaeritans. Hinc *Heraclitus* ſuſpiriis, lacrymis, lamentisque perpetuis humanas ſtultitias perpetuo deflebat. *Democritus* vice verſa ad cuiusuis hominis conſpectum ridens, omnes vanos & irriſione dignos eſſe teſtabatur. Aliique alia ſimili ſenſu factitarunt, praeſertim *poetae comici, tragici, & ſatyrici*; qui iam laudando, encomiaquae humanae naturae, & ideas, ſcribendo; iam vituperando & mordendo, exitusq; ſceleſtorum horrendos praemonſtrando, virtutum & vitiorum exempla, praemia ac poenas, conuocato ad publica ſpectacula populo exhibebant. Sed confuſiones querelis, aut fletu, aut riſu (ſi ad remedia non veniatur) non tolli, res ipſa docuit: plerisque hominum pro ſtoliditate ſua ſapientum illorum aeque fletum ac riſum irridentibus.

4. Philoſophia practica, ſeu moralis.

26. *Quaeſitum ergo laboranti humanae naturae conſiliis bonis ſubuenire; vnde philoſophiae ſtudium* (rerum fines veſtigans, & ad fines media diſponens) *enatum.* Quanquam autem ingentibus euecta fuerit laudibus *philoſophia*: quod eſſet *animi medicina, vitae dux, virtutum indagatrix, vitiorum expultrix, ad beatitudinem lux, & quae hominem DEO parem faceret* &c. id tamen & paucis, & parum profuit, plerisque nec voces ipſas exaudientibus, nec rem intelligentibus.

27. Con-

27. *Conſtitutae itaque legum transgreſſoribus poenae, irrogataeque:* quia ſine his indomita eſſet malorum licentia; neque conſiſtere poſſet vlla humana ſocietas in vlla gente. Nec tamen vel ſic etiam omnis malignitas & violentia reprimi, nedum tolli, poſſunt: quod carceres, cippi, patibula, ſimiliaque maleficos & maleficia refrenandi inſtrumenta, vix vnquam otioſa, ſatis teſtantur. 5. Transgreſſoribus conſtitutae poenae.

28. *Cum ſic etiam vacillarent omnia, tentatae ſunt variae regiminis formae: iam vni permittendo totius reipublicae arbitrium, iam pluribus ſelectis, iam omnibus promiſcue.* Sed ſingulas haſce gubernandi formas (*Monarchicam, Ariſtocraticam, Democraticam*) ſua ſecum ferre incommoda, ordiniſque ſuo modo ſoluere repagula, deprehenſum eſt. Nempe quia vbique ſe aliquid admiſcet violentiae: innatus autem menti humanae libertatis amor vsque adeo expugnari non poteſt, vt vbicunque ſe circumueniri & conſtringi (ſeu vnius ſeu plurium conceſſae poteſtatis abuſu) ſentit, non quaerere exitum, qua datur, impoſſibile ſit. 6. Regiminis tentatae diverſae formae.

29 *Etiam vt alii ab aliis tutiores eſſe poſſent, coeptum eſt foederibus ſeſe copulare, primum quidem reges cum ſubditis ſuis*, & vice verſa, legibus certis, *tum vicinae ciuitates, regiones, regna.* Si autem violari foedus altera pars ſentiret, nec emendari querelis & expoſtulationibus res poſſet: bellis vlciſci iniurias, ſeque reſtituere libertati, quaeſitum. 7. Foederum vſus.

30. Sed & aliud minus violentum diſcordiarum remedium tentatum eſt, *reductio* nempe *plurium terrarum ſub ſceptrum vnum:* vt diſſidiorum praeuenirentur occaſiones. Inde regnorum minorum coniunctiones, *vsque ad tentamen, omnia mundi regna ſub vnum reducendi caput.* At nec id ſatis feliciter ſucceſſit vnquam, a tot monarchis & nationibus toties tentatum. Nec enim vnum hominem ſufficere omnibus poſſibile: adminiſtratio, etiam in monarchico ſtatu, committenda eſt pluribus. Qui aut ambitioſi ſunt, regnareque malunt quam miniſtrare, & contra dominos ſuos inſurgentes, eos regnis exuunt (vti non ſemel factum) aut mercenariorum inſtar perfunctorie res agunt, auaritiaeque ſuae aut libidini indulgent. Vnde populorum impatientia, murmura, tandem tumultuationes, ſeditiones, bella, regnorum ruinae, & ex recollectis ruinis noua rurſum minutiora regna. 8. Reductio poteſtatum ſub caput vnum.

31. Hoc igitur iſtis regnorum & rerumpublicarum colliſionibus profectum eſt; vt tametſi mundus toties iam ſanguinis diluvio, deſolationeſque horrendas, paſſus ſit, cauſae tamen bellorum per- Cauſae nihilominus tamen bellorum perſtant ſemper.

Digitized by Google

perſtent: dum alii aliorum libertati inſidiari, & hi rurſum pro libertate ſua excubare, & ſic leuiſſima occaſione ad certamina & caedes redire, non intermittunt.

Imo confuſiones in dies augentur magis.

32. Videmus ergo, tametſi mille modis tentetur religio, mille modis politia, mille modis literatura, ſeu ſcientiarum ſtatus: nihil tamen reperiri, quod omnibus ſufficiat. Laudant quidem plerique ſua, ſibique in illis complacent: at reuera vix quisquam eſt ſine ſcrupulis conſcientiae, aut periculo ſtatus ſui. Alii vero in aliis quid non monſtroſi videmus? Imo non ſolum nihil remediis inſigniter profectum eſt, creuerunt magis mala ſub ipſis remediis. Sectae dum ſe inuicem exſtinguere quaerunt, non exſtinctae ſunt, ſed auctae. Hoſtilitates dum ſe expugnare quaerunt, non ſublatae, ſed radicatae. Res literaria quo plures accurrunt, eo redditur intricatior. *Ita prius morbis laboratum eſt, poſt remediis, nunc vtroque. Nec enim iam vel morbos noſtros, vel remedia, ferre poſſumus.*

Oſtenditur id exemplo medicinae.

33. Exemplis pateat, quam remedia hactenus quaeſita morbos nonniſi auxerint. *Non poſtrema ſcientiae humanae pars eſt medicina: quae quomodo creuerit, & quid profecerit, videamus!* Antiquis hominibus morborum remedium vnicum fuit, *vitae frugalitas*: a qua cum paulatim ad delicias, & inde in intemperiem, deflecteretur, eruperunt morbi, hi & illi. Quaeſita his remedia, repertaque ruditer primum, ſufficienter tamen. *Cum morbis deinde creuit ars, & cum arte morbi:* vt infinitum quid factum ſit vtrumque. Morbis enim obluctatur ars, quotquot poteſt modis: artique rurſum morbi. Quia dum ars corpora humana afficit varietate infinita: infinita elicit & excitat in corporibus latitantia (alias ſeſe vix exſertura) morborum ſemina: hominesque ipſi, dum confugio medicinae freti, in omnem intemperantiam ruunt, omnem in ſe tartari vim commouent, ſtragesque valetudinis edunt infinitas: quibus tandem omnis medicinae vis ſuccumbit. *Vt iam feliciſſimi videantur, qui medicinam ignorant, nec ea vtuntur:* ac, ne vti opus habeant, temperantia praecauent.

Et iurisprudentiae.

34 *Similiter ſe res habet in adminiſtranda iuſtitiae ratione, vbi leges legumque interpretationes in tantum creuerunt, vt praxis facta ſit, & difficilis ſupra modum, & lubrica, & periculoſa, paſſim denique peruerſa. Quod facit, vt praeſtare videatur ignorari omnia, & ad ſolius naturalis iuris dictamen componi omnia.* Oſtendunt id exempla regiminis in gentibus minime cultis, pro barbaris licet a nobis reliquis habitis: qui dum interuenientes lites ex aequo & bono inter ſe dirimunt,

&

Digitized by Google

& minus rixarum habent, & quietius ſua poſſident.

35. *Idem iudicium de ſapientiae ſtudiis, philoſophia, obtinet:* multiplicata eſſe, & in millies millenas minutias diſſecta, de rebus quibusuis minoribus (*maiora enim rerum vulgaris philoſophia ignorat adhuc*) opinamenta, ſubtilitatibusque ſpinoſis tam intricata omnia, vt quisquis ſe iſtis immergit, vertigine non corripi, (ſeu ſenſuum, ſeu phantaſiae) vix poſſibile ſit. *Vt propemodum ignorare praeſtet omnia, quam opinionibus infinitis infinite diſtrahi: & pro ſcientiae luce opinionum tantum habere fumos.* Et philoſophiae.

36. *De religionis cultu, theologia, non aliud itidem pronuntiare veritas permittit, quam eſſe opinionum de DEO, rebusque diuinis, interminabile chaos:* ſiue quidem tot religiones, quas vbique per orbem videre eſt, cum inuicem conferamus, ſiue vnamquamque in ſeipſa conſideremus. Nam ſi velimus inſpectare omnes, quis numerare? ſi ſingulas, quis penetrare, poterit? Rudiſſimae illarum nihil ſunt niſi tenebrarum abyſſus, non tam inanitate ſua, quam monſtroſiſſimis de DEO, rebusque diuinis conceptibus, horribiles. Contra quae cultiſſimae videri volunt religiones, theologiam ſuam in tot millenas habent diſſectam quaeſtiones, dubitationes, controverſias, & ſine fine caſus & lites; vt nec vllum ingenium ſubtilitatibus omnibus comprehendendis; nec vlla conſcientia ſcrupulis omnibus (qui quo plus quis iſtis ſcrutandis ſe occupat, eo plures enaſcuntur) concoquendis, ſufficiat. Vt non immerito nonnullorum tot infinitis ſcopulis alliſae, tot infinitis angoribus excruciatae mentes, in eam veniant opinionem: *praeſtare ignorari omnes factioſas rixoſasque religiones, vnumque tacitum & occultum mentis cum numine coli commercium.* Et denique theologiae.

Caput VIII.

De rerum humanarum emendatione an porro conſultandum videatur? & quare id vrgendum?

A Deo inualuiſſe mala noſtra, vt remedio vix amplius videatur locus (poſtquam tentata etiam remedia in perniciem vertunt) eſt cur indoleamus omnes. Sed an & manus remittemus omnes? abſit! medicinam ceſſare non Malis non cedendum: quia

Digitized by Google

non conuenit, non ceſſante morbo: inſtare potius, & variare, iuxta illud Poetae,

Et quoniam variant morbi, variabimus artes:
Mille mali ſpecies, mille ſalutis erunt.

1. Morbi etiam aetate langueſcunt.

Felix quandoque medicus in morbum declinantem incidit, qui ante validioribus remediis cedere refractarius, lenioribus poſt cedit. *Quis ergo ſcit, annon noſtris tam diuturnis malis tempus ipſum aliquod ferat auxilium?* certe quibusdam iuuenilibus morbis ipſa ſenectus remedio eſt.

2. Radices in nobis boni corruptæ licet, non tamen ſublatae ſunt.

2. *Res humanae corruptae ſint licet, ſublatae tamen non ſunt: quia etiam ſub errorum, vitiorum, confuſionumque fermento remanet diuini operis maſſa.* Adeſt deſiderium ſciendi, ſenſus numinis colendi, amor quiete agendi. Reparari haec, aut denuo creari, opus non eſt: ſed reconcinnari, & intra cancellos ſuos reduci, DEI opera, ne exorbitent. *Nec obſtat, quod inſtinctus ad bonum ſint hebetati, notitiae ad verum obſcuratae, facultates ad operandum debilitatae:* quippe omnia iſta in ipſa corruptione naturam ſuam exſerunt, aberrando etiam ſcopum petunt, praeualente operae DEI admiſta corruptione. Quid enim? admittunt homines mala? non certe, niſi ſub ſpecie alicuius boni. Amplectuntur falſa? non aliter quam ſub ſpecie veri. Declinant facienda? non profecto, niſi ſub ſpecie impoſſibilis, aut difficilis, aut inutilis. Detrahantur ergo rebus laruae, vt quid vere verum, vere bonum, vere posſibile, facile, vtile ſit, vere videant: qui nunc non videndo decipiuntur, videndo non decipi, eoque ſingulae facultates obiecta ſua vera, vere perſequi, gaudebunt.

3. Potenter adhuc in nobis aberrent licet, operantur.

3. *Nec adeſſet tantum hominibus, ſed potenter adeſſe facultatibus iſtas, hoc oſtendit: quod dum illis vti neſcimus, in infinitos errores, vitia, temeritates, & inde caſus, nos impellant potius quam vt otioſae ſint.* Malunt nempe homines errare, quam nihil opinari; & eligere mala, quam nihil ambire; & operari praua, quam torpere. Quidni ergo ſpes ſit, ſi prouideatur, vt tam auide pabula ſua quaerentibus offerantur vere: vera, bona, facilia, emendatiores prodituras actiones? plane ſperandum, ſi offerantur intellectui nonniſi vera obiecta, *notiones communes* praeſto affuturas, quae adſentiantur: ſi voluntati nonniſi vera bona, *inſtinctum communem* vere affuturum, qui affiliat & rapiat: *ſi facultatibus operatiuis*, nonniſi agibilia legitima, ipſum harmoniae amorem pulchre quam monſtroſe operandum eſſe mox cuique ſuaſurum. Nam profecto tam impoten-

potentet quaerit natura humana perfici, vt ſi quid veri, boni, poſſibilis, alios videat conſequi, ſe deſperet poſſe aſſequi, inuidia ac moerore ſe conficiat. Gaudet nempe quisque ea ſcire, quae circa ſe ſunt, & ſe concernunt. Gaudet ſe & ſua regere, eoque ſibi omnia ad nutum ſuccedere. Gaudet denique Numen habere propitium, illiusque fauore beatus eſſe, hic & in aeternum. Mallet non eſſe, quam ſibi male eſſe. Dum igitur aliquando ſe iſta non adſequi, quibus fruuntur alii, videt, rugitur, dolet, triſtatur, ad deſperationem vsque.

4. *Si ergo hominibus oſtendi poſſet omne ſuum bonum: non ferri ad illud, imo non rapi, impoſſibile foret.* Nempe ſi particulare quoduis bonum homines ad ſe rapit, quidni totum bonum? (plus efficere poſſe ignem quam ſcintillam, mare quam guttam, montem quam puluiſculum, neceſſe eſt.) Nunc homines non vident omne ſuum bonum, quia non vident omnes ſuos fines, praeſertim vltimos: & quia non diſtinguunt inter vera bona, & apparenter bona: & quia in bonis etiam gradus non attendunt, vt inter bona & meliora, & optima, electionem ſciant. Et tamen quod quis videt, & quantum videt, tantum conſectatur. Spes igitur eſt: ſi videant omnia, & videant citra errorem, electuros potius meliora quam deteriora.

Si modo hominibus vere oſtendatur verum ſuum bonum.

5. *Tum ſi hominibus oſtendantur ad omne bonum ſuum media prorſus certa; tot illae aberrationes, ob quas votis ſuis excidunt miſeri, abeſſe profecto poſſent. Errores quippe hominum omnes in connectionibus fere ſunt: quod media finibus applicare neſciunt.* Hinc eſt quod aut non applicant, aut male applicant, aut non conſtanter: & ſic a finibus & votis aberrant ſuis.

Et vera ad illud media.

6. *Si denique hominibus ab impedimentis ſoluantur omnes ſuae facultates, vt quod volunt, & ſciunt, etiam ſe poſſe ſciant: progreſſuros ad optimos fines ſuos, ſpes eſt.* Et per conſequens, ſi inſtinctus communes, & notiones communes, in ordinatum diductae ſint (in conſpectu mentium) ſyntagma, aliam prodituram rerum faciem, optatum nempe animorum, voluntatum, & actionum conſenſum.

Facultatesque mali aſſuetudine ligatae ſoluantur.

7. Id autem inde; *quia communes inſtinctus* quid omnes velle debeamus, ne diſcordemus voluntate, docerent nos. Et *communes notiones* quomodo res in fundamento intelligendae ſint, ne diſſentiamus intellectu, inſtruerent nos. Communes vero facultates quid operari omnes conueniat, ne diſſonemus ſtudiis, oſtenderent nobis. Atque ita *ſi ex communibus fontibus ſaperemus, amaremus*

Ex iisdem fontibus iidem promanant riuuli.

Digitized by Google

mus, ageremus, omnes: haberi poſſet vna, vera, bona, catholica, omnibus ſufficiens, Philoſophia, Religio, Politia.

Demonſtratur id exemplo cuiusque haec legentis.

8. Adiuro te qui legis haec, examina teipſum: annon ſi philoſophandum tibi ſit, optes te veras per omnia rerum rationes adſequi poſſe? vt hallucineris nusquam, penetres vbique, peruideasq; omnia quae ſunt, ita vt ſunt, cauſſasq; cur ita ſint, vere? Tum *ſi religio tibi colenda eſt; annon verum numen malis quam falſum?* veroque potius quam falſo, nihil tibi profuturo, Numen potius contra te irritaturo, colere cultu? denique ſi *regnandum tibi ſit, annon optes ſecuram tibi maieſtatem, quietaq; omnia potius, quam turbata?* ſi talia in te reperis, ex teipſo genus humanum aeſtima; communeque pro communi felicitate votum certo collige. Nam quod tu optare ſcis, in bonum tibi: non optare non poteſt ſibi quisquis ſanae mentis eſt. Ex te igitur vno deſideria cognoſce omnium!

Et omnium quaerentium,

9. Sed & circumſpecta alios, *pro communi bono communia iam eſſe omnium ſtudia & conatus videbis*: tametſi, quod iam quaerunt, inuenire nondum ſciant. Emicant enim e lucidioribus animis fulgoris diuini reliquiae in nobis ſcintillulae, confuſionumque tenebras diſcutere magis magisque quaerunt. Quis ſperare prohibebit, fore vt tandem e iunctis illis, & in flammam coëuntibus ſcintillis, ipſa clara ſcientiae verae, virtutis verae, potentiaeque verae, oriatur lux?

ſeu lucidam philoſophiam,

10. *Quaerunt enim permulti lucem, accenduntque alii poſt alios variae ſcientiae lampadas: vt velut infinitas iam habeamus accenſas, ſatisque veritatis luce flammantes, faces.* Modus tantum inueniatur, quomodo faces iungantur omnes, vt ex omnibus lucibus fiat lux vna; lumen erit prorſus magnum.

ſeu perfectam religionem,

11. Quaerunt alii religionem aliquam perfectam, eoque fine excogitant etiam alias poſt alias. Si dederit DEVS, vt veram videant omnes (qua grate omnibus colatur omnium DEVS, benedictionemque ſuam ſuper omnes effundat) non acceptare eam non poterunt. Si (inquam) veram, & vnam ſolam perfectam, DEVM colendi rationem, videndo videbunt omnes.

ſeu tranquillam politiam.

12. *Quaerit denique mundus pacem & tranquillitatem, quaerendoque ſe fatigat, imo conficit.* Omnia enim bella nonniſi pro pace geruntur: dum aut pacatas ſibi monarchias, regna, dominia, quaerunt, qui alios bello ſubiugant; aut ſartam tectam libertatem, qui ſe defendunt: hi & illi vi & armis, dum aliter ſe & ſua tutari non poſſe contendunt, rem gerentes. Quid ergo ſi mollioribus viis

DEVS

Digitized by Google

DEVS veram, certam, ſecuram, omnibus communem, oſtendat pacem? non ſperandum vt eam amplexu dignentur omnes, putabimus? Sperabimus certe, fore vt omnes homines incipiant eſſe ſui reges: reges autem regum reges; ſapienter, blande, potenter, DEI loco adminiſtraturi mundum.

Auget ſpem inter ſectas vbique vigens, odium.

13. *Auget redigendi aliquando in harmoniarum mundi ſpem, illud ipſum atrox odium: quo ſeſe inuicem ſectae omnes in religionibus, philoſophiis, politiisque proſequuntur.* Vnde enim illud niſi ex amore vnitatis, veritatis, bonitatis, profluit? Vnitas nempe principium eſt omnis entis: quia partium coadunatione fit, earundemque complexu mutuo conſeruatur. Hinc eſt, quod dum vnitas vera eſt, bene ſibi eſſe ſentit omnis res. Et per conſequens a diſunione quia venit diſtractio, & inde corruptio, prouenit etiam anxietas & dolor. Vnionem ergo quia rumpere videtur, quisquis nobiscum non facit, odio dignus habetur. Sed quamdiu non eodem modo res intelligimus, tam diu fieri non poteſt quin quemadmodum intellectu, ita voluntate, & dehinc ſtudiis, ab inuicem abeamus: eoque metus & formidinis, odiorumque & dolorum, alii aliis cauſſa ſimus. Dolorem vero cum fugiat omnis natura, amore autem oblectetur, ſpes eſt vt detectis vnionis verae (& hinc veritatis ac pacis) fundamentis veris, aſſiliant cum gaudio, odiaque mutua in amores mutuos lubentes commutent. Nec aliud reſtat in praeſens, niſi vt impetremus a DEO placidae diſquiſitionis propoſitum, dicentes alii ad alios: *iudicium eligamus nobis, & inter nos videamus; quid ſit melius!* Iob. XXXIV. 4.

Et mundi in vnitatem ſeſe recolligendi ſtudium.

14. Voluntatem itaque in harmoniam redeundi (cum rebus, cum inuicem, cum DEO) ipſi humanae naturae non deeſſe videntes, *hominibus aliquando perſuaderi poſſe vt faciant, ad quod vltro propendent, cur dubitemus?* Praeſertim cum per ipſam quoque rerum naturam id ipſum, quod vt fiat ſuademus, fieri poſſit. *Mundus namque vnus eſt naturaliter; quidni & moraliter fiat?* Equidem Europa ab Aſia, Aſia ab Africa, Africa ab America; regna item & prouinciae aliae ab aliis, montibus & vallibus, fluuiis & maribus, diſterminantur: vt non omnes commeare queamus ad inuicem. Communis interim mater terra omnes geſtat & nutrit: aer & venti omnes transſpirant & vegetant; idem coelum omnes tegit; idem ſol cum ſideribus reliquis omnes circumeunt, & per vices luſtrant: vt communi habitaculo omnes vti, communique ſpiritu foueri, palam ſit. Conciues igitur vnius mundi cum ſimus omnes, in vnam

Digitized by Google

rempublicam, ſub eaſdemque leges, coire quid prohibet? Fuit, cum per agros viuerent diſperſi mortales, a mutuis commerciis ſecluſi: faciebat quiſque quod bonum viſum fuit in oculis ſuis. Cogitabat nempe quilibet figmenta ſua, loquebatur quiſque idioma ſuum cum ſuis, egit cum ſuis quod voluit: hinc in tantam diuerſitatem abierunt figmenta, linguae, opera mortalium. Sed poſtquam inhabitare oppida & vrbes, colligereque ſe in ſocietates, & colligare legibus coeperunt: coeperunt quoque multa, prius varie diſcerpta, coire. Familiae in ciuitates, ciuitates in regna, regna minora in maiora. Poſtquam igitur vnus ille mundi conditor & dominator, DEVS, in dies mundum ſibi ipſi magis patentem, & vndique peruium, facere non deſiſtit: quid ſperare prohibet fore tandem, vt omnes fiamus vnus, bene ordinatus, iiſdemque earundem ſcientiarum, legum, religioniſque verae vinculis bene colligatus, coetus? certe quaecunque ſparſa in numeros, & numeri quicunque ſparſi in ſummas, colligi poſſunt, etiam in ſummarum ſummam venire nihil prohibet.

Et humanae naturae identitas.

15. *Natura etiam humana vna eademque eſt omnibus, quorumcumq; terrae climatum habitatoribus: ſenſuum, ratiocinationis, voluntatis & appetituum, facultatumque operatiuarum, idem apparatus omnibus: res rerumque apparentiae, actiones & paſſiones, eaedem: DEVS idem. Subeſſe & praeeſſe, ordinis cauſa, mos receptus omnibus.* In omnibus autem illis omnes optant idem, nempe optimum. Faeterent profecto omnibus errores omnes, ſi clare ſatis oſtendere ſciremus omnibus veritates omnes. Faeteret religio falſa, ſi oſtendere nouerimus veram. Faeterent tyrannis, omniſque violentia, ſi libertatis verae guſtum verum dare poſſemus omnibus. Vt plane nihil reſtet, niſi vt quod volumus & poſſumus omnes, ſciamus quoque omnes.

Et conſideratio diuinae, in bonum tandem exitum omnia diſponentis prouidentiae.

16. Tandem *melioris aliquando rerum ſtatus ſpem fulcit diuinae bonitatis conſideratio:* qui ſibi, non ſatanae, genus humanum condidit: tolerare igitur impoſturas non ſemper poterit. *Et ſapientiae*: quae gradatim opera ſua perficere, aliena deſtruere, gaudet. Perficiet itaque opus ſapientiae ſuae in nobis, deſtruet ſatanae verſutias, ne metuamus. Et quia eſt *optimus*, permittere mala nollet niſi fine optimo: nempe, vt occaſione mali ſemper emergat aliquid boni, ad ſummum vsque. Sic itaque ille moderabitur omnia, vt fabulam a creaturis ſuis male coeptam (aut certe ſapienter a ſe coeptam, a creaturis irrationabiliter agentibus interturbatam) in optimam deducat cataſtrophen. Eum igitur tam infelici

felici mundanae fabulae felicem impoſiturum cataſtrophen confidamus?

Et ſeculi in melius ſe jam transformantis molimina.

17. *Praeſertim cum ſe in magnam quandam mutationem euidenter iam diſponant omnia.* Nunquam certe ab orbe condito tantus fuit multorum in emendandis rebus feruor, bono cum ſucceſſu paſſim: quidni ſperemus reliqua? vt tandem in conſpectum veniat totum, quod a tam diuerſis, tam ſolicite, per partes elaborari curat occulta omnium architectatrix, prouidentia Dei? Non externus ſane architectus conſiliorum ſuorum rationem detegere ſolet operariis: ex partium tamen apparatu de futuri operis magnificentia iudicari ſolet. Nec igitur nos errauerimus, ſi ſapientiſſimum DEVM (qui fruſtra nihil agere poteſt) ſpiritum publicum non excitare niſi in vſum publicum, colligerimus: conatibusque piis pro eccleſiae ſalute, & incrementis gloriae DEI, obſtetricaturam ipſam DEI manum.

Promouendũ ergo hoc regenerandi ſeculi opus animoſe.

18. *Haec ergo ſpes ſi nos habet, eia venturi boni ſcrutemur vias!* promouendoque commune generis humani bonum, adminiſtri ſimus diuinae bonitatis! Imo vero, ſi vlla in nobis eſt numinis veneratio, ea non tam ſuadere nobis, quam cogere nos debet, vt vindicias gloriae DEI meditari, quavsquam poſſibile, non intermittamus. Si non aliud profecturi: certe vt coelum & terram, angelos & homines, DEVMque ipſum, teſtes habeamus, dolere nobis quod ataxiis noſtris paternum eius cor tantopere contriſtemus, nos miſerae creaturae. Eamus itaque, & confringendi compedes ſatanae, nosque in libertatem ad quam conditi ſumus aſſerendi, modos viasque veſtigemus! DEVM, vt veras oſtendat, humiliter precati.

Scrupuli tamẽ prius tollendi.

19. Verum enim vero tollendi videntur ſcrupuli, ſubnaſci hic quibusdam conſcientiis (noſtrae etiam antehac) ſoliti. *Tale hoc propoſitum, emendandi res humanas vniuerſaliter, annon ſupra humanum quid ſit? Annon ſic temere aliquid ab homine, quod ſoli DEO relinquendum ſit, attentetur?* Videndum id eſt: vt ſi non prohiberi nos talibus auſis conſcientiis noſtris patuerit, rem tanto confidentius aggrediamur, miniſterialem ea re operam commodaturi DEO: ſi forſan ea vti, viisque, quas videre dabit ſapientia eius, omnipotentia eius explanatis, ad finem tanti deſiderii facilius, celeriusque nos promouere bonitati ipſius placeat?

I. *An talia tentare homini liceat.*

20. *Licere autem nobis ſalua conſcientia, imo per conſcientiam nos teneri, emendationis quaerere vias oſtendunt ſequentia. Primum: in res*

Reſp. Licet, (1) Quia in res ſuas cuiq; ius poteſtasq; eſt.

gle

quae poteſtati cuiusque ſubiectae ſunt, ius ſuum vſurpare (h.e. res ſuas ad ſuos vſus accommodare, ſi quid in illis corruptum emendare, & ad quamuis neceſſitatem transformare) *iure naturae cuiuis licet.* At res noſtrae, noſtrae ſunt: non tantum inferiores illae, dominio noſtro ſubiectae: (terra, lapides, metalla, plantae, animalia:) ſed & quae nobis de ſuo liberaliter adiecit creator, *intellectus* veri, *voluntas* boni, proſequendique omnia concupita *facultas.* Omnia inquam noſtra ſunt, nobis data, noſtraeque cuſtodiae concredita. Quae ſi non cuſtodiuimus fideliter, corrumpique ſiuimus, emendare ius fasque eſt: DEO non tantum id non prohibente, ſed congratulante, ſi dona ſua non ſemper a nobis diſpergi, aliquando etiam recolligi, & reuerenter haberi, videat.

(2) Quia deperdita ſua quaerere, prohiberi nemo poteſt.

21. *Deinde, deperdita ſua quaerere naturae iure cuiuis licet.* At nobis omnibus deperdita ſunt, *rerum ordo, animorum conſenſio, conſcientiae tranquillitas: plerique etiam DEVM, & nos ipſos, adeoque omnia, amiſimus.* An ergo quaerere amiſſa prohibere quisquam poterit? *Res* DEVS nobis creauit; *Nos* nobis ſociauit? *Se* nobis dedit. Eſt autem DEVS quem benignitatis ſuae non poenitet: quia eſſentialiter bonus cum ſit, non mutatur, neque decreta ſua mutat, neque data reuocat, neque cuiquam quidquam ſui negat, ſi ſint qui quaerant, & petant, & pulſent. Quaeramus ergo amiſſa bona! petamus rurſum nobis ob culpas noſtras ſubtracta! pulſemus vt nobis aperiantur occluſa! hac via ituri, obuium certo habebimus DEVM, ſua nobis offerentem, noſtra reddentem!

(3) Quia errorem agnoſcenti de reditu cogitare integrum eſt.

22. Cogitandum & hoc. *Quicunque de via deerrauerit, redire in viam* (nedum de redeundo cogitare) *non prohibetur, obligatur potius: quo negotium, ob quod viam ingreſſus, maius, eo magis; & quo periculoſiora ſunt illa, in quae incidit, auia.* Atqui nos omnes a rerum luce, a DEO animorum duce, ab angelorum comitatu; interque nos ipſos a concordia, enormiter aberrauimus; inque horrende periculoſa corporis & animae praecipitia prolapſi ſumus. De redeundo igitur cogitationes ſuſcipere, quomodo nos prohibere poſſit benigniſſimus ille DEVS? qui noſtri commiſeratione ipſemet nos inclamat, pericula oſtendit, reuerti iubet, reuertique tergiverſantes variis caſtigationibus ſubmonere non intermittit. (Omnes quippe calamitates vitae, nihil ſunt niſi manus DEI nos errorum admonens.) Niſi ergo erroribus addere volumus blaſphemiam, de DEO aliter quam quod velit, optet, offerat, ſalutem noſtram

ſtram, cogitare caueamus: & ad eum a quo aberrauimus, & qui nos flagellis etiam ſuis ad ſe reuocat, redire feſtinemus.

23. Porro, *Quaecunque licet optare & quaerere, eorundem ſimul rationes, quomodo fiant, intelligere, & vt intelligantur ſcrutari, licet:* quia DEVS quemadmodum irrationale nihil nobis mandat, ita irrationabiliter nos aliquid operari non poſtulat, imo non vult. Omnia vero quae vniuerſalis lucis beneficio vniuerſalem ſortitura effectum ſperantur, ea ſigillatim iam nunc nobis iniuncta eſſe, ac proinde rationes eorum nos intelligere teneri, certum eſt. Certum ergo etiam, nos iunctorum rationes intelligere non prohiberi. Exempli gratia. *Tenemur nunc iam omnes vera & bona quaeque quemque docere, falſa & praua dedocere, illiusque rei occaſiones certas noſſe. Quid ergo modum quaerere prohibet, quo omnes, omnibus, omni occaſione, vera & bona demonſtrare, a falſis & prauis potenter deterrere, valeamus? Tenemur iam nunc Chriſtiani, quisque pro ſe, regnum Chriſti ampliari, diaboli deſtruere: quidni ergo & viam quaerere, quomodo ad idem nobiscum agendum perſuadeamus omnes? Tenemur ſectari pacem cum omnibus: quidni ergo & aliis monſtrare pacis omnes, & omnibus ſi poſſumus, vias?* Atque ſi veritati e tenebris eruendae, vel a contradictionibus propugnandae, hactenus liberis ingeniis vacare libuit; quidni veritati erutae, ac defenſae, iam etiam per omnia diffundendae vacare liceat? quod ſi bona pace DEI (qui veritas eſt, & a nemine veritatem ignorari vult) licet: quidni quoque veritatem ſic omnibus in conſpectum ponendi quaerere vias? Pendent illa ab inuicem, nec diuelli poſſunt.

(4) Quia quod optare licet, ambire licet.

24. Summa: *quae extra nos ſunt & fiunt, illa ſine cura noſtra fiunt* (Iob. XXXVIII. 4. 12. 21. &c.) *Quae autem noſtrum in vſum deſtinantur, fiunt & diſponuntur non ſine nobis.* Ex. gr. Formatio noſtri prima in matris vtero ſine nobis fieri videtur: nec tamen ſine cooperatione ſpiritus noſtri a parentibus in nos transfuſi, & in maſſa ſua ſeſe agitantis, habitaculumque ſibi efformantis. Dum naſcitur infans, DEI & matris opus eſt: foetum tamen ipſum cooperari, exitumque quaerere & inuenire; obſtetricem denique & adſtantes, miniſtrando nihil non agere, oportet. Multo vero magis, quae ad vlteriorem nati formaturam, corporis & animae reſpectu, requiruntur, humana ope peragi patet. Vita enim ipſa vtut DEI donum eſt, beneficio tamen alimentorum (ad quae paranda, & reparanda, noſtra manu; & ad coctionem viſcerum noſtrorum operatione, opus eſt) continuatur. Ægro valetudinem

(5) Quia quae hominibus DEVS dat petentibus quaerentibus, pulſantibus dat.

Digitized by Google

DEVS reſtituit; ſed Medici & medicinae ope. Creato homini ſine homine parauit, quaecunque ad tuendum fêlicitatis ſtatum erant neceſſaria; ſed mox tueri ſibi ipſemet iuſſus fuit. Noacho interitum effugiendi commonſtrauit medium, Arcam: ſed quam ipſemet ſibi exſtruere neceſſe habuit. Traduxit Iſraelitas per mare rubrum, ſed illos feſtinare per noctem quoque ipſam oportuit. Induxit in promiſſam terram: ſed quem illi hoſtibus eripere neceſſe habuerunt. Dedit Dauidi regnum: ſed pro quo adipiſcendo eum multa prius agere ac pati neceſſe fuit. Miſit euangelium in orbem; ſed deſtinatos ad id apoſtolos, vt conuertendi gentes inſtrumentum eſſent aptum DEO, conuocari, exerceri, praeparari, & inſtrui oportuit: qui ſe ideo *cooperarios DEI* vocabant (2. Cor.III.)Ergo & vltima vniuerſalis euangelii praedicatio, gentiumq; conuerſio, cooperarios requiret. Nuptias parat magnus rex magnas, Filio ſuo: opus ergo non tantum qui exeant inuitatum populos, ſed etiam qui domi apparatum inſtruant, venturos excepturi.

(6) Quia etiam generationem noſtri non ſine cooperatione noſtra peragere ſolenne DEO eſt.

25. Ita ergo *DEVS, quanquam vltimam Eccleſiae propagationem partum ſuum appellat* (Ieſ. XLVI, 7. 8. 9.) *media tamen profecto non excludet.* Atque ſi partus, ſeu foetus ille noua ſic luce veſtiendus, nos ipſi ſumus, tempusque παλιγγενεσίας adeſſe ſentimus, connitamur DEO! ſi adminiſtri ſumus eorum qui renaſci debent, obſtetricemur gnauiter; faſcias, cunas, alimenta & fomenta, miniſtrantes alacriter. Ita implebimus voluntatem DEI, qui ſecundum abſolutam potentiam mox primo mundi ſeculo perfectam donare poterat ſapientiam, ſicut & cuiuis recens edito infanti poſſet: ſecundum tamen ordinarium ſapientiae proceſſum nec hoc nec illud fecit; quia ſapientiae eſt *gradatim ire, ſaltum non admittere.* Vnde ſequitur, ſicut hominum ſinguli, DEO quidem ſapientiam non dante, ſapientiam ſibi accipere non poſſunt; ſi tamen cum aetatis proceſſu ſapientiae augmenta volunt, laborem & prudentiam adhibere oportere, non otioſos & inertes, dum per ſomnum influat, exſpectare: ita humanum genus, ſi matura nunc iam aetate matura imbuendum eſt ſapientia, cura omni pro ea re ſolutum ſe non ſomniabit. Expectare enim miracula, quamdiu media (qualia qualia tandem) non deſunt, DEVM tentare eſt.

II. *Annon haec ſupra vires noſtras?*

26. Dixerit quis: *omnipotentiae DEI eſſe opus, non humanae imbecillitatis, omnium conuerſionem moliri?* reſp. DEVS vtique eſt qui operatur omnia in omnibus: ſine quo vt creatura omnis nihil eſt, ita

ita & nihil ſine illo poteſt niſi errare, labi, interire. At conſtat DEVM ab ipſa prima creatione nihil in creaturis per ſe immediate agere, omnia per creaturas ipſas; potiſſimum autem *creaturam quamlibet regere per ſemetipſam.* Ideo enim cuilibet amorem ſui, & ſui conſeruandi ſtudium, & eo ſpectantia quaerendi ſolertiam, indidit. Animalibus certe DEVS dat eſcam: ſed quam quaerere ipſamet neceſſe habent. Auiculis parat nidos, ſed per ipſas auiculas: vulpibus foueas, ſed per ipſam, quam vulpinae naturae indidit, ſolertiam &c. An ergo homini mente ſagaci inſtructo, ad omnia caetera curioſo, & cui circa ſalutis ſuae curam inprimis vigilanti eſſe DEVS mandauit, conueniet, vt cura ſui a ſe abiecta DEO inſultet? Atqui ordinaria DEI circa hominem prouidentia non aliter ſe exſerit, niſi vt homo DEO fiſus mediis vtatur; & mediis vſus, DEO fidat. Licet aegro orare, *Domine ſana me*: ſed & licet, adeoque neceſſe eſt, (niſi tentare velit DEVM) medicamentis vti. Licet orare, *panem noſtrum da nobis*: ſed & licet, adeoque neceſſe eſt (niſi tentas DEVM) pro acquirendo pane laborare. In ſumma, *omnia vtrumque hoc oſtendant: & hominem nihil poſſe ſine DEO, & DEVM nihil velle ſine homine, in iis quae ad hominem*, vt paulo ante dictum. Ne igitur contemnamus conſilinm DEI aduerſus nosmetipſos: ſed pro rebus ad ſalutem neceſſariis & oremus, & laboremus, gnauiter!

III. *Annon extra ſphaeram mandatae nobis de nobis ſolicitudinis?*

27. Poſſet denuo quis: *vera haec ſunt de ſalute propria, curam ſui requiri ab vnoquoque. At pro orbis ſalute ſolicitum eſſe velle non noſtrum eſt, ſuperiorem iſta requirunt curam:* quemadmodum prouerbio dicimus, *quisquis pro ſe, Deus pro omnibus.* Reſp. Si vt prouerbium hoc modeſtiae cauſſa vſurpari videatur; non tamen certe ſatis pie vſurpatur, hic autem impertinenter. Potius, ſi DEO omnium cura eſt, nobis quoque eſſe debet: quia imago DEI ſumus. Accede, qui haec legis ad ſpeculum: imaginem tui videbis talem, qualis ipſe es: & hoc idem agentem quod tu agis. Rubes tu? illa quoque. Palles? illa itidem. Auertis te? & illa a te. Rides? ridet. Lacrymaris? lacrymatur. Tractas aliquid? & illa. Ponis? illa quoque &c. Hoc tibi documento ſit, quid te viui DEI imaginem viuam deceat, o homo! vides illum eſſe bonum? eſſe quoque labora. Vides bonitatis ſuae communicatiuum? eſto idem. Vides ad communionem bonorum ſuorum inuitantem? fac ſimiliter. Vides pro auertenda a creaturis ſuis pernicie nihil non agentem? tibi idem agendum crede: aut imaginem DEI te

non

Digitized by Google

non eſſe, ſed imaginis cadauer, cogita. Nihil proinde reſtat, niſi quia DEVS omnium hominum emendationem, eoque ſalutem, quaerit, vt quaeramus nos quoque, pie, ſerio, conſtanter, donec inueniatur.

IV. *Annon arrogans, tam inſolens quid tentare?*

28. *Nimium eſt dicet quis, ſapientiam ſibi, reformandi totius mundi tribuere?* reſpondeo. *Omnes hoc faciunt qui in publicum ſcribunt: modo tantum differimus, & applicatione.* Ex. gr. Qui ſcribit Logicam, Ethicam, Phyſicam, Hiſtoriam &c. ad quid ſcribit? an vt lumen inferat mentibus? vtique. Sed quibus mentibus? quibuscunque. Omnibus enim conuenit talia ſcire, ſi velint. Vniformes enim ſunt hominum mentes: vnam ſi noris, omnes noris. Ergo *quisquis aliquid ſapienter ſcribit, reuera omnibus ſcribit. Nos ergo nihil vltra alios, praeter applicandi modum:* quod putemus quaerendas omnino rationes, per quas quicquid DEVS in commune bonum humani generis deſtinauit, & offert, & quicquid a ſapientibus reſeratum eſt, commune fiat. Quid hic inſolens?

V. *Annon metus ſubſit vani, ſicut hucusque conatus?* Reſp. Non ſubeſt, quia cauſae negati eatenus ſucceſſus non iam ignorantur.

29. *Ad ſpem denique tam indulgentiae diuinae, quam boni ſucceſſus* (ſi hic gnaui fuerimus) *accedit ipſa cauſarum* (cur hactenus tentata errorum humanorum remedia parum proceſſerint) *iam tandem diuina bonitate detecta ratio.* Quas ſi vere deprehenderimus, remedii principium vere in manu habebimus: ſicuti medicus vbi morbi radices videt veras, verum opponere ſe poſſe morbo pellendo remedium confidit. Quidni ergo confidamus nos quoque errorum poſſe reperire remedia: ſi totius mundi, omniumque retro ſeculorum, erroribus adiuti, non errare tandem didicerimus? videmus certe iam, *vnde aberratum* ſit. Videmus ergo ſimul, quo redeundum ſit. Videmus, *quae media hactenus inutiliter fuerint tentata*: videre ergo ſimul poſſumus quae amplius non tentari, ſed illis oppoſita, oporteat. *Tandem enim aliquando ad errorum etiam fundum veniri neceſſum eſt.*

Cum medicis igitur deprehenſa verius morbi cauſa denuo res aggrediunda.

30. Solent certe medici per ipſos errores, ſuos & alienos, proficere; vt medicationem hac, illa, iſta via non procedere videntes, *aliis tandem, etiam contrariis, tentent idem: atque tum ſaluberrima ſaepe reperiunt conſilia, quibus vel deſperata mala expugnant.* Hoc vt nobis noſtro in propoſito ſperare cum Deo liceat, libeat iam audire, quam pulchrum quiddam, & boni ſucceſſus praegrandem ſecum ferens ſpem, tentandum reſtet.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Emendationem rerum humanarum tentari oportere, ſi tentanda eſt, viis nondum tentatis, prorſus catholicis: nempe via vnitatis, ſimplicitatis, ſpontaneitatis.

IN harmoniam reducendi homines, humanasque res omnes, viam nondum tentatam, eam tamen facilem, amoenam, patentem, oſtendit DEVS triplicem; *viam vnitatis, viam ſimplicitatis, viamque ſpontaneitatis.* Quas ſi recte habuerimus explanatas, illisque inſtiterimus recte, tam impoſſibile videtur omnes nos, & omnia noſtra, non deſideratum illum attingere harmoniae terminum, quam impoſſibile eſt aliquem per viam communem, qua omnes incedunt, euntem, non eodem quo caeteri veniunt venire.

Via emendationis nondum tentata triplex: 1. Vnitatis. 2. Simplicitatis. 3. Spontaneitatis.

2. Fruſtra vero quis ſuſpicetur, aliquid hic viae nouae, aut miraculoſae, iactari. Vetus eſt, generi humano coaeua, & quam DEVS ſemper hominibus oſtendit, eaque in conſpectu noſtro ſemper ipſe vtitur: ſed homines in illa obſeruanda parum attenti, nec viderunt eam diſtincte ſatis, nec ingreſſi vnquam ſunt ex toto, per ſua dilapſi diuerticula. Videamus iſta propius, primum ſingula, mox coniunctim.

A DEO quidem nobis monſtrata, a nobis vero nunquam ſerio tentata.

3. *Vnum* vocamus, *quod omnibus ſuis partibus inter ſe connexis ita cohaeret, vt moto ipſo toto, moueantur omnia eius.* Qualiter ſol in coelo vnus eſt, radiis licet infinitis coruſcans. Omnes enim ei cohaerent, mundoque lucem omnes ſimul miniſtrant. *Vnitati huic opponitur multiplicitas:* vbi res diſiunctae ſunt, nec cohaerent, ideo nec ſe mutuo mouent, aut trahunt, aut afficiunt. Qualiter accenſi apud nos ignes per diuerſa loca diuerſi ſunt, nec ſe inuicem participant.

Vnum & vnitas quid?

4. *Simplex* autem vocamus, *quod ex pluribus intra ſe compoſitum non eſt: ideoque ſibi vndique ſimile, ſeipſo contentum, inuariabile.* Vti eſt ſplendor ſolis, a proprio fonte veniens, ideoque inexſtinguibilis. *Compoſitum* contra, in quo ſe plura miſcent: ideoque ſui diſſimile, variabile, inconſtans. Vt flamma ignis noſtri, pinguedine ligno-

Simplex & ſimplicitas quid?

Digitized by Google

rum alteriuſve materiae ſuſtentata: ideoque ſeipſa non contenta pabula extra ſe quaerens, ac per conſequens diſſipabilis, h.e. exſtinguibilis.

Spontaneum & ſpontaneitas quid?

5. *Spontaneum* denique eſt, *quod ſua ſponte, h.e. libere, propriaque inclinatione, aut fit, aut operatur.* Vt cum flamma ſurſum fertur, radios vero in circuitum ejaculatur. Opponitur huic *coactum*: quod non ſuo, ſed alieno aliquo motu fieri, aliquidue agere, impellitur: vt cum lapis ſurſum proiicitur.

Ad vnitatem, ſimplicitatem, ſpontaneitatemque redire, quid?

6. *Patere iam aliquantulum poteſt, quid in praeſenti propoſito per vnitatis, ſimplicitatis, & ſpontaneitatis viam intelligamus.* Senſus eſt: *redeundum nobis eſſe a multiplicitate, in quam dilapſi ſumus, ad vnitatem:* h.e. ab infinitis partium ſtudiis, quibus infinito diſtrahimur, ad vnam communem communis ſalutis curam. *Redeundum item a perplexitatibus variis, quibus intricamur, ad concreatam nobis & rebus ſimplicitatem. A violentiis denique, quibus omnia noſtra impleuimus, ad congenitam libertatem.* Certe enim ſi omnia noſtra eſſent ſimplicia, ſine nodis & tricis; & omnia blanda, ad ſe vltro inuitantia, ſine terriculamentis; & omnia denique in communem vſum directa, vtque poſſint ab omnibus participari ſapienter omnibus attemperata: quam longe alia eſſet rerum noſtrarum facies quis non videt?

Tria hic obſeruanda maximi momenti.

7. Plenius tamen explicandum eſt: *Primum,* quomodo illam vnionem, illam ſimplicitatem, illamque ſpontaneitatem, DEVS in nobis & rebus fundauerit: quomodoque exemplis perpetuis, ita eſſe procedendum, oſtendat (a §. 8. ad 18.) *Secundo,* quomodo nos has vias & amiſerimus pridem, & in illas regreſſi non ſimus hactenus (a §. 19 ad 21.) *Tertio,* quomodo tandem regrediendum ſit, ſi vnquam meliorem rerum ſtatum optamus (a §. 22. ad finem.)

I.
Quomodo tria illa in nobis fundauerit DEVS.

8. *Vnitas, & dehinc vnio & communio, diuinitatis imago eſt.* DEVS enim vnum quid eſt, & tamen omnia eſt: omnia eſt, & tamen vnum eſt. Vnum eſt eſſentia, omnia virtutibus: quia radices, ideas, virtutes omnium, in ſe vno continet. Quas cum extra ſe porrexiſſet, rerumque omnem multitudinem diſpandiſſet, omnia tamen connexuit ordine vno: vt in toto vniuerſo nihil non toti ſuo cohaereat, illique ſeruiat. Sed miſſa nunc machina mundi: quam ſibi inuicem ipſos homines adunauerit rerum ſator conſideremus!

Vnionis in nobis poſita fundamenta tria.
1. Habitaculi vnitas.

9. *Fundamenta vniuerſalis inter homines vnionis & communionis, vt poneret immota DEVS, haec fecit. Formauit omnes ex vna eademque materia. Impreſſit omnibus idem eiuſdem imaginis ſuae ſigillum. Exſtruxit commune omnibus habitaculum, mundum. Subſtrauit omnibus vnum*

Digitized by Google

commune pauimentum, *terram*. *Superſtruxit communi habitaculo commune tectum*, *coelum*. Ad ſuſtentandam vitam ordinauit eadem omnibus media, terrae prouentus. Ad obeundum idonee actiones, praebet omnibus idem lumen: quod in coelo, communi proſpectu, ſuſpenſum, oriri quotidie facit omnibus ſimul, ad vrgendum coniunctim labores; rurſumque abireomnibus ſimul, ad capiendam coniunctim quietem.

10. *Maioris conſiderationis eſt, quod cum potuiſſet omnes homines creare ſimul, ſicut creauit angelos vnumquemque ſeorſim, ex ſe & ſibi exiſtentem: ille creauit vnicum, tanquam ſtirpem, moxque reliquos, tanquam eiusdem ſtirpis ramos*, ex illa vna radice progerminare iuſſit: apertiſſimo voluntatis ſuae, de arctiſſima inter omnes vnione & communione, indicio. Ita enim *reuera inter nos coniunctiores ſumus, quam angeli inter ſe*: cum illi ſint tanquam diuerſae plantae coeleſtis paradiſi, quaelibet ſeorſim ſtans, ſuis propriis radicibus nixa: nos vt vnius eiusdemque arboris rami, vna radice omnes nixi, ex eaque haurientes vitam & omnia. De eadem enim natura quae primo illi concreata eſt, participamus omnes totam naturam integre: ſicut quilibet arboris ramus, frondes, foliaque ſingula, de tota arboris natura participant. Quae ſanguinis & naturae identitas perfectae cuiusdam neceſſitudinem infert vnionis, & communionis. 2. Stirpis vnitas.

11. Accedit: *quod vtut nos creator noſter per faciem terrae diſperſit, montibusque, ſiluis, hominibus, maribus diſterminauit, tranſitus tamen patentes & liberos vbique reliquit*? vt iam in alterum quoq; orbis hemiſphaerium (nauigationis beneficio) aditum patere videamus. *Et licet etiam ſeculorum interuallis nos ab inuicem ſeiunxit* (dum nonniſi alios poſt alios in theatrum prodire, rurſumque in abſconditum redire, voluit.) ſic tamen etiam commercii mutui aperuit viam, ſcripturae beneficio, quo nos neceſſaria quaeque poſteris noſtris tradere; illi vero tanquam nobiscum viuerent noſtra intueri, ſuos in vſus vertere, tandemque ad poſteros rurſum ſuos noſtra illa & ſua transmittere, poſſunt. *Sic DEVS, ecce, qui vnus eſt OMNIA, nos imaginem ſuam OMNES eſſe vult VNVM.* Veniamus ad ſimplicitatem! 3. Diſtantium copulandorum detecta ratio.

12. *Simplicitas veſtigium DEI*, recte dictum eſt. *Ille enim vt in ſe ſimpliciſſimus eſt*, nullisque ex partibus compoſitus (pura potentia, pura ſapientia, pura bonitas) *ita opera eius ſimpliciſſima ſunt, eius & noſtri reſpectu. Ipſius*; nihil enim cogitat, vult, operatur, cum ali- *Simplicitatis fundamentum in DEO.*

 qua

Digitized by Google

qua difficultate, obſtaculis, niſu, lucta, ſed ſimplici intuitu videt omnia quae ſunt, ſine hallucinatione; ſimplici voluntate vult omnia quae vult, ſine haeſitatione; ſimplici nutu operatur omnia quae operatur, ſine inſtrumentorum apparatu. Ipſe enim ſibi eſt oculus, manus, os, cor, omnia. *Noſtri reſpectu opera DEI ſimplicia ſunt*: quia quas ſemel rebus (ſecundum praeuiſas ab aeterno ideas) impreſſit formas, eas nec tollit nec variat. Eadem ſcilicet eſt natura bouis, aquilae, delphini, pomi, roſae, ferri, auri &c. nunc, quae ab initio: eadem hic, quae alibi. Tametſi enim in diuerſas ſpecies, ſeu gradus, res diductae ſint: vti tamen diductae ſunt ita manent, ita conſeruantur. Vagum & incertum in operibus DEI nihil inuenit mens humana, tametſi interdum affingat; ſibi ea ratione, non DEO & operibus eius, illudens.

Inde translatum in nos imaginem DEI.

13. Et quia ipſe quoque homo DEI opus eſt, adeoque vltimum, h. e. perfectiſſimum: *certum eſt in homine ſimplicitatis DEI non veſtigium duntaxat, ſed imaginem exſtare, h. e. hominem ita eſſe factum, vt aliunde quam minimum pendeat, ſibi ipſe* poſt (DEVM) *ſufficiens*. Nempe DEVS, vt ſciat aliquid, non opus habet alieno oculo, aure, lingua, h. e. relatione ſeu narratione, ipſe videt omnia. Ergo veriſimile eſt, *hominem quoq; ſic eſſe factum, vt oculum intellectus intra ſe habeat, quo contempletur, & contemplando diiudicet, omnia; non vero iudicio de rebus pendeat aliunde*. Similiter DEVS, vt velit aliquid non opus habet aliena ſuaſione, multo minus mandatis, aut imperio: quia ipſe ſibi & omnibus pondus eſt, ad ea quae vult per ſe inclinat liberrime. Veriſimile igitur eſt *hominem quoque ſic factum, vt quae vult libere velit, cogi nolit, habens ſuas inclinationes, & inſtinctus in ſe, tanquam additâ rationali naturae pondera, quae voluntatem ad obiecta ſua trahant*. Denique ſicut DEVS ad edendum opera ſua omnipotentiam ſuam in ſe habet, externis auxiliis non egens: ita veriſimile eſt *homini datas internas vires, quibus ea quae naturae ſuae conueniunt efficiat, h. e. quae intelligit & vult exſequatur*.

Animae noſtrae ſimplicitas ad tria maxima ſufficiens *intellectionem, Volitionem, operationemque omnium rerum*.

14. Et vero *videamus animae noſtrae* (qua potiſſimum homines ſumus) ſtructuram, apparatum illum inueniemus. Conſtat enim anima noſtra *facultate trina, intellectiua, volitiua, poteſtatiua. Facultas intellectiua eſt mens*, internum illud rerum ſpeculum: in quod quicquid per ſenſuũ canales infertur, figitur, ibiq; reſplendet. *Facultas volitiua eſt ipſa voluntas*, intima illa actionũ arbitra, libere ſe rebus obuertens aut ab illis auertens. *Facultas poteſtatiua eſt ipſa vis hominis*, ea quae intelligit & vult exſequendi. *Quae tria infinitae ſunt capa-*

Digitized by Google

capacitatis: quia mens infinita cogitare, voluntas infinita appetere, facultas infinita machinari (aliud ex alio) poteſt, & ſolet. Tam euidenter trinum infinitudinis ſuae (omni ſcientiae, omnivolentiae, omnipotentiaeque) characterem animae noſtrae impreſſit DEVS! Sed & ſimplicitatis ſimul, iisdem in rebus. *Ecce enim vnicum mentis ſpeculum omnibus rebus ſufficit!* imo quo ſimplicius, acceſſoriisque minus oneratum, eo melius & purius. Sicut *& voluntas vna omnibus deſiderabilibus*, quae in tempore & aeternitate inueniri poſſunt, *ſufficit*: quoque fuerit ſimplicior, impertinentibus non diſtracta, eo melius. Tandem & *facultates naturales omnibus agibilibus ſufficiunt*: quo ſimpliciores & puriores, eo melius. (Nemo enim excogitauerit in aeternum, quomodo melius conſtrui, aut locari, poſſit hominis oculus, auris, manus, & reliqua omnia.

15. *Non tamen ſatis viſum fuit, virtutibus illis animam inſtrui: additae ſunt normae, ſeu directoria, intellectum, voluntatem, actionesq; a noxiis erroribus praemunientia.* Nempe, ne intellectus rerum veritatem veſtigans a falſis; voluntas rerum bonitatem perſequens a malis; vis exſequutiua in opera ſe effundens a mendis, obruatur; & pro legitimo conceptu, amplexu, effectu, conceptuum, amplexuum, effectuum monſtra producat. Habet itaque mens noſtra intra ſemetipſam *dictamina quaedam intima, ceu luces innatas*: ſecundum quas omnia cogitare celerrime diiudicat, veraque a falſis diſcernit. Quae quia omni homini inſunt, *communes notitiae* dicuntur. Habet & voluntas *dictamina* ſua, ſeu *libramina*, veluti pondera quaedam innata: quibus ad bonum, vbiubi oblatum, mox impellitur, a malo vero repellitur. Haec rurſum quia omni homini inſunt, *communes inſtinctus* dicuntur. Habet deniq; vis *exſequutiua ſua organa*, ſibi & actionibus ſuis bene proportionata: per quae, quicquid intelligit & vult, ſcite etiam operari poteſt. Et haec quia rurſum omni homini inſunt, *communes facultates* dici merentur.

Additae his normae, communes notitiae, communes inſtinctus, communesque facultates.

16. *Haec tria ſunt ſimpliciſſima illa, & tamen ſufficientiſſima, omnis verae ratiocinationis, omnis bonae volitionis, omnis efficacis operationis, ab ipſo creatore DEO in nobis omnibus poſita fundamenta: vniuerſalis inter omnes conſenſus & concordiae, ſi nos intra concellos noſtros continemus, baſes.* Communes enim notitiae ad menſuranda omnia intelligibilia; communes inſtinctus ad regulanda omnia volibilia; communes facultates ad moderanda omnia agibilia, ſufficiunt; *DEO ſic hominem ad fines ſuos ſufficientibus inſtruente mediis.*

Haec tria quia omnibus eodem modo inſunt, & ad omnia ſufficiunt.

N. B.

Digitized by Google

Vniuerſalis igitur emendationis radices intra nos habemus.

17. Vnde duo ſequuntur: *primo* de notitiis communibus, tanquam particularum notitiarum normis, recte dixiſſe Auguſtinum: *nemo iudicat de illis, ſed per illas.* Recteque de communibus inſtinctibus dici poſſe; *nemo inſtigatur ad illos, ſed per illos.* Et de communibus potentiis, ſeu facultatibus: *nemo parat ſibi illas, ſed alia per illas. Secundo ſequitur*: ſi omnes *omnia vera vere* iudicaremus *per illa*; & ad *omnia bona bene* inſtigaremur per illa; eosdem fore omnium hominum de obiectis iisdem ſenſus, eosdem erga eadem affectus, eadem circa eadem ſtudia: id eſt, harmoniam inter homines, pacem, & concordiam. Quia DEVS primas illas, puras & ſimplices, normas ſimiliter indidit omnibus hominibus. Inde enim eſt, quod *quicquid omnes eodem modo naturaliter ſentiunt, indubie verum eſt. Quicquid omnes eodem modo naturaliter appetunt, indubie bonum eſt. Ad quicquid omnes naturalia organa habent, indubie poſſibile eſt.*

Spontaneitas, ſeu libertas, diuinus in nobis character.

18. *Veniamus ad ſpontaneitatem*, de qua merito pronuntiamus magnum illud, *libertas diuinitatis character.* DEVS enim cum ſuperiorem non habeat eſſentia, nec habet a quo dependeat voluntate. Et quia nec potentior illo eſt: nec ergo vnde potentia eius ligari aut impediri poſſit, eſt. Liber itaque ſibi eſt, facit quicquid vult. *Quem eundem characterem ideo imagini ſuae, homini, impreſſit, vt in variis, liberisque illius, tanquam ectypi ſui, actionibus, ſeipſum tanquam archetypum ſpectaret, oblectationemque haberet.* Subiecit ergo illi omnia: (nempe non creaturas tantum inferiores, ſed & corpus proprium, animamque;) *vt in manu ſua haberet quid facere vellet, & quomodo: ſi bene, ſuo bono; ſi male, ſuo malo.* Vt tamen bene cogitare, velle, operari queat, monet eum,, docet, hortatur; ſed non cogit. Vt non male, dedocet, dehortatur, deterret, non tamen vi cohibet: quia obſequii ſpontaneitatem tollere, & arbitrii libertatam ſemel datam deſtruere (h. e. ex homine facere non hominem) non vult. Hinc eſt, quod vbi res male aguntur, culpam a ſe amouet, iraſcitur, caſtigat, punit: (quippe dederat homini, vnde bona velle, vera noſſe, facienda poſſe, poſſet:) vbi autem bene, hominibus id quoque tribuit, laudat, de re bene geſta gratulatur, praemia promittit, redditque. *Et quemadmodum ipſe vim humanae naturae non infert, ita ſi aliunde inferatur admodum aegre fert.* Quod ex eo patet: quia contra infirmiorum a potentioribus oppreſſiones tam crebro proteſtatur, rationabilem & placidam cohabitationem ab omnibus requirens.

19. Ita

19. Ita videmus, quam aperte DEVS nobis & actionibus noſtris vnitatis, ſimplicitatis, ſpontaneitatisque commendet viam! *Sed quam male illa commendata fuerit nobis hactenus, res loquitur. Et primumquidem, quantum ad vnionis & communionis, h. e. vniuerſalitatis viam, vix vsquam apud nos ſatis iuſta eius veſtigia.* Fruſtillata & lacera ſunt omnia, in doctrinis, religione, rerum & actionum (politico & oeconomico, & quocunque alio) ordine. Vix vsquam ſatis res cohaerent: vix vllum eſt regnum, eccleſia, ſchola, domus, animus, vbi ad inſtar machinae automatae omnia omnibus tam commenſurata ſint, vt nil ab aliis impediri, ſingula ſingulis iuuari, neceſſe habeant. Cauſſa eſt: *vix vsquam in commune laboramus, partium ſtudia vbique obtinent.* Non opus eſt gentium, linguarum, religionum, philoſophiarum, rerumpublicarum, allegare diſſidia; quot capita tot ſenſus, tot voluntates, tot ſtudia diuerſa. Quisque ſe ſapere ſolum putat (aut ſi multum praeſtat, ſuos,) delirare caeteros. Quisque bene eſſe vult, & laborat, ſibi tantum (aut ſane ſuis:) caeterorum nulla cura. Inuidia potius, & metus, ne quid praeripiant ſibi. Praeripit enim quisquis poteſt: tanquam hic eſſemus in ludo, vbi in direptionem bona proiiciantur. Imo pro augendis commodis ſuis nemo vel ſanguini alterius parcit: homo hominem, ſocietas ſocietatem, populus populum, depaſcit ac depraedatur. II. Quomodo abberrauerimus nos omnes. 1. *Ab vnionis & communionis via.*

20. *Aberrauimus & a ſimplicitatis via enormiter, totum humanum genus.* Quod obſeruans Hebraeorum ſapiens dixit: *hoc inueni, quod hominem DEVS rectum fecit, ſed ipſe ſe infinitis miſcuit quaeſtionibus* (Eccleſ. VII. 30.) *Nempe non acquieſcunt homines a DEO inditis notitiis*, fingunt ſibi particularia phantaſmata infinita: & dum quisque id quod opinatur eſſe credit verum, vult alios credere idem: diſſeminatque opiniones ſuas, & alius rurſum ſuas! & ſic diſſenſiones diſſenſionibus cumulantur ſine fine. Item, *dum non acquieſcunt communibus inſtinctibus* (h. e. veris illis bonis, ad quae DEVS & conſcientia impellunt) fingunt ſibi particularia quaedam bona, monſtroſiſſimo ſaepe appetitu, & plerumque ad interitum intendente: in quibus rurſum diſſidia & contentiones. (Quia dum ab vno & ſimplici diſceditur, terminos inuenire difficile eſt.) Denique *dum non acquieſcimus menſura virium noſtrarum, facultatum ſcilicet a DEO nobis aſſignatarum, ſed tentamus alia quaeuis, ſecundum phantaſmatum deliria: ſit, vt temeraria, vana, ſucceſſu caſſa, pleraque mortalium ſint conamina.* Ita per deſeretionem communis illius, 2. *A ſimplicitatis via.*

Digitized by Google

a DEO omnibus praeſcriptae, ſimpliciſſimae viae, in multiuia dilapſi, diſſenſiones experimur mentium, voluntatum, ſtudiorumque & actionum, infinita varietate. *Ita quilibet aedificat minutam ſuam Babylonem* (quanquam alii aliis maiorem) *omnes autem ſimul magnam illam*, quae eſt teterrimarum confuſionum abyſſus, interminabileque chaos.

3. *A libertatis Via.*

21. Vnde & *libertas amiſſa: violenter, coacte, ſeruiliter, pleraq; fiunt in ſcholis, templis, foro.* In ſcholis certe, & vbicunque docemus alii alios, & diſcimus alii ab aliis, raro ſua ſponte influere ſentimus rerum intellectum. Quia doctrinae non ex innatis notitiis, per lucis canales rectos, fluunt: ſed ex collectis aliunde opinionum lacunis, per methodi durae flexuoſos tubos, vi intruduntur. Vnde fit, vt aſſenſum in plerisque nonniſi precario obtineamus, aut ſuaſionibus eliciamus, vel extorqueamus vi, vel denique extundamus minis & plagis: vt ſe aliquid intelligere, credere, velle, poſſe, putent aut dicant, qui reuera, ſi propius inſpicias, non intelligunt, non credunt, non volunt, non poſſunt. Non aliter fere fit in religionis negotio: coacta & dehinc ſimulata ac fucata, apud pleroſque ſunt omnia. Res politica quam plena vbique ſit violentiae, nullis puto verbis opus eſſe, clamant omnia.

III. Quomodo redeundum ſit eo, vnde aberratum eſt.

22. *Si ergo redeundum eſt, ad principia redeundum eſt: vnde aberrauimus, eo reuertamur! a diſperſione ad vnionem; a multiplicitate ad ſimplicitatem; a violentiis, ad ſpontaneitatem.* Haec erit *via* vere *regia*, regis regum via: via lucis, pacis & ſecuritatis; *via emendationem rerum tentantibus nondum tentata*, iam autem in ſancto DEI nomine omnino tentanda!

Via haec triplex quo ſenſu nondum tentata dicatur.

23. *Nondum tentatam dixi: quia licet particularia multa pulchre emendentur, hic, illic, iſthic; vniuerſaliter tamen omnes & omnia emendari nondum eſt tentatum.* Notiones enim innatae omnes, Inſtinctus natiui omnes, facultates naturales omnes, in numerum collecta, in ordinem redacta, humanisque cogitationibus, deſideriis, actionibus, tabulaturae inſtar adaptata nondum ſunt: nedum vt a ſupercumulatarum opinionum & errorum colluuie liberata ſint. Inde eſt, quod plerique mortalium intra ſemetipſos propriasque cogitationes, concupiſcentias ſtudiaque & actiones ſuas, tanquam in denſiſſimis ſyluis, inperuiisque ſaltibus, oberrant. (Cultiores viderint, annon & ipſi varios intra ſe labyrinthos experiantur!) Prorſus huc accommodandum videtur illud Salomonis: *per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti:*

&

Digitized by Google

& ecce totum repleuerant vrticae, & operuerant ſuperficiem eius ſpinae, & maceria lapidum deſtructa erat. (Prouerb. XXIV. 30.) Ecce enim cordis noſtri agellos vndique vrticis, ſpinis, ruderibusque oppletos! o vtinam nobis hic Salomonis ſit mens, qui de ſe ibidem; *quod cum vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam.* Vtinam audiamus conſilium DEI apud prophetam *nouate vobis nouale, & nolite amplius ſerere ſuper ſpinas!* (Ier. IV. v. 3.)

24. *Vrticas itaque noſtras exurendi, ſpinas euellendi, maceriam reparandi, tempus eſſe credamus!* tempus inquam, deſerendi ambages noſtras, infeliciterque pro via publica trita diuerticula! Redeundi autem ad viam vere publicam, regiam, diuinam, ab erroribus nos liberare, ſecurosque praeſtare, ſolam idoneam. *Viam* nempe *vniuerſalitatis, ſimplicitatis, ſpontaneitatis.* Quae ſingula quid requirant, & quam certa verae catholicae rerum emendationis ſpes inde pendeat, & quam praxi facilia haec ſint, quamque nihili ſit quicquid inde metus aut diffidentiae alicui oboriri poſſit, ordine videamus! — *Et quanta boni ſucceſſus ſpe omnino tentanda ſit.*

25. *Via vniuerſalis docebit nos iungere quaecunque iungi poſſunt, ac debent, h. e. OMNIA.* Omnes puta res corruptas, in philoſophia, religione, politia. Et quidem in communem vſum omnium hominum. Sumtisque in auxilium omnibus diuinitus conceſſis mediis; ne eorum quicquam (per ingratitudinem aut incuriam) omittatur. Verbo, OMNIA, OMNIBVS, OMNIMODE. — *Via vniuerſalitatis docebit tria magna.*

26. *OMNIA pro emendationis materia ſumi neceſſe eſt! quia omnia in rebus cohaerent. Non tamen dato vel vno, corruptio ad caetera redibit; & ſic in eadem relabemur ſemper.* vide horologium corruptum, emendandumque. Non prius id recte emendatum dici poterit, quam vſum ſui recte praeſtet. Non autem prius praeſtabit: quam per omnes partes ſui reſtitutum: deficiente, aut vacillante, aut incuruo, vel vno denticulo, motus impedimenta habebit, non procedet. Similiter ſe res habet cum corpore humano morbis affecto, morbisque liberando. Quamdiu non omnia reſtituta, radices morbi ſublatae fuerint, a recidiua ſemper periculum erit: quia pars affecta trahet ſinceram, inficietque denuo. Gaudet enim ſemen in terra relictum, vel reciſae arboris radix quantulaecunque fuerint, germinare: & in nouas integras herbas & arbores excreſcere. Semperque res facilius corrumpuntur, quam fiunt. Nec igitur *rerum humanarum corruptelas* (quae licet ſint multae, vnum tamen corpus faciunt) integre poſſe reſtitui — *I. Pro emendationis materia ſumi OMNIA: totam ſcilicet corruptelarum maſſam.*

ſpes ſit, niſi omnia quae corrupta ſunt, ad radices vſq; reſtituantur.

2. *OMNES*: totum ſcilicet humanum genus.

27. *Sed & neceſſe, omnia reſtitui in* OMNIBVS: *quia omnes homines itidem vnum corpus ſumus, per omnia ſui membra cohaerens.* Iam autem vidimus, non reſtituto integritati vel vno membro, caeteris eſſe periculum. Ideo Medici cum vlceribus totum ſcatens, aut phthiſicum aut hydropicum, vel febricitans, ante ſe habent corpus, non naſo aut pedi applicant emplaſtrum; ſed induunt medicinam corpori, vnde vis eius per omnes corporis, partes ſeſe diffundens humores noxios vndique pellendi, vitales contra potentias (compedibus liberatas) vbique ſe recolligendi, & naturae vigorem reparandi, vias inueniat. Pariter igitur cum *totum humanae ſocietatis corpus* laborat, fruſtra reparationem a reparata parte aliqua ſperes: quia nec procedit medicatio, vicinis membris nouum ſemper contagii virus affundentibus; nec ſi procedere videatur, diuturnum eſſe poteſt, quando corpora corporibus miſcentur mortua viuis: membra ſcilicet morbida ſanis.

(Particularitatis ſtudium aeterna confuſionum baſis.)

28. Attendatur & hoc! prima primo homini corruptionis origo non alia fuit, quam quod communi fonte relicto, ad priuatam ſui curam ſe conuertit. *Nec aliae hucusque corruptelarrm, ſiue cauſſa ſiue occaſio, vnquam deprehenditur, quam infelix particularitatis ſtudium: Dum non communi ſaluti operam damus, ſed ſibi quiſque. Nec ex toto nobis etiam proſpicimus, vt vndique, ſolida ſint omnia noſtra: ſed fruſtillatim alius in hoc, alius in illud, exardet, aliorum magis forte neceſſariorum oblitus,* Ita diſcerpta ſunt omnia, imo confuſa: praemiaque particularitatis noſtrae referimus *iurgia aeterna, cum inuicem, & ſecum quiſque, & cum DEO.* Qui cum ſit omnia, & crearit omnia, & amet curetque omnia; partialitatem non odiſſe, non punire, non poteſt. Hinc dum Nimrod regnare quaerit ſolus, ſibique aedificat Babylonem, confuſio fit linguarum & gentium. Dum philoſophi ſapere volunt quisque ſibi, ſupra alios & contra alios, ruunt in contradictiones; fitque confuſio ſenſuum & mentium. Et dum religio quaedam regnare vult ſola, fiunt odia, contemtus, & dehinc aut perſecutiones & lanienae, aut profanitas & atheiſmus. Ita dum ſe reformat vna ſchola, eccleſia, genus, ſine altera, non procedit, corruptelae redeunt: quia vnum corporis membrum ſine caeteris nunquam vere vigeſcit. *Pereat itaque partialitas in omnibus vbiq;, vt redeat vniuerſalitas (verus catholiciſmus) in omnibus deniq;.*

3. *OMNIMODE*: toto ſcilicet auxiliorum apparatu.

29. *Opus denique emendationem vrgeri OMNIMODE: mediis ſcilicet in auxilium aſſumptis, quaecunque DEVS oſtendit, omnibus.* Illa quippe

pe

Digitized by Google

pe demum ſimul ſumpta dare poterunt emendationi fundamentum tam vniuerſale, vt omnibus ſuperſtruendis; & tam firmum, vt omnibus ſuſtinendis, ſufficere valeat. Quale habitationis hic omnium noſtrum fundamentum habemus, terram; ex qua nemo poteſt aufugere, terminis eius incluſus: nec prolabi, firmitet ab illa ſuſtentatus. Secure non tantum per illam ambulamus, ſed & illi domos, turres, vrbes, ſuperaedificamus. *Simile* ergo *quaeramus noſtro huic propoſito fundamentum*; *tam vniuerſale, vt nihil effugere, tam firmum, vt nihil non ſuperaedificari, poſſit.* Niſi enim aliquando ad tam ſtabiles, aeternas, inuariabilesque rationes nos & noſtra omnia redegerimus, nunquam veniemus in conſenſum, diſſidebimus ſemper: quo magis diſputabimus & litigabimus, eo magis. Quia ingenium, voluntas, facultatesque omnes hominis, infiniti imaginem in ſe habentes, per infinita errant, niſi immobilibus affixa. Nec vnquam quicquam apud nos ipſos ſtabile erit: mutabimur ſemper, & nobiſcum omnia noſtra, opiniones, ſtudia, actiones, vti hactenus. Penelopes tela erunt omnia: quam alter texet, alter retexet. Imo idem ille ſuam telam (vt Penelope) interdiu texet, noctu retexet.

30. Si quis cogitat, *nimia hic proponi, & impoſſibilia:* reſpondetur, *Non poſſibilitatem tantum his propoſitis ſubeſſe, ſed & facilitatem; maiorem quam cum res, homines, media, fruſtillatim ſumuntur.* Demonſtrandum id eſt, naturae & artis exemplis. Sol, quando terrae habitatoribus ad labores lumine opus eſt, non particulariter ad hanc vel illam prouinciam, vrbem, agrum, hortum, radios extendit: ſed ſe eodem tempore omnibus ſimul eleuat, aſcendensque in altum e ſublimi intuetur omnes, miniſtratque lumen, calorem, vitam, omnibus: vt ſe nec abſcondere, nec rurſum de ſui neglectu conqueri, quicquam poſſit. Similiter cum opus eſt nocte, aeſtate, hyeme, pluuia, vento &c. ſimul illa miniſtrantur eiusdem plagae habitatoribus. *Confuſionis, iraeque DEI ſignum eſt, ſi quando ſuper vnam ciuitatem pluit, ſuper aliam non pluit*, (Amos IV. 7.) Similes ſunt alibi naturae proceſſus, quos ars recte paſſim imitatur: cur ergo non hic etiam? nempe facilius arborator efficit vegetam, formoſam, foecundam, arborem totam, ſi prouide plantet, riget, curetque totam: quam ſi partem duntaxat. Tum ſi marcere incipit arbor, facilius decorticatam totam, radicibusque ex toto circumfoſſam & ſtercoratam reſtituet: quam ſi reſtituere vellet, aut retinere in vigore, partem eius aliquam. At nos omnes ſtirps vna

Obi. *Via haec vniuerſalitatis an poſſibilis?* Reſp. *Imo & facilis.* Quod oſtendunt 1. Naturae & artis exempla.

 ſumus

Digitized by Google

ſumus, corruptionumque noſtrarum omnis propago ab iisdem radicibus venit. Facilius item medicus reſtituit corpus totum, ſi morbidum ſit totum, procedendo catholice; quam ſi partem duntaxat curare velit vnam empirice. Facilius itaq; ſpiritualem quoq; medicinam catholicam, catholico morbo oppoſitam operaturam, ſpes ſit, propinatam toti gentis humanae corpori, quam ſeorſim.

a. Naturae humanae identitas.

31. *Tollit quoque impoſſibilitatis imaginationem identitatis naturae conſideratio. Homines enim multi: ſed natura humana vna. Vnum ſi noris, omnes noris: vnum ſi docere, curare, regere ſcieris, omnes ſcieris.* Nam quod vnus vult, volunt omnes: eſſe, ſeu viuere; habere, ſeu poſſidere; ſcire aliquid, & poſſe aliquid. Imo multum poſſidere, ſcire, poſſe, & quidem vere poſſidere, vere ſcire, vere poſſe: quia falli nemo vult, cur enim velit? Id quod ab hac radice venit, quod quisque hominum ſeipſum amat, ſibique bene eſſe optat, & miſerias refugit. Et quidem optat vere bene eſſe: ſi quando ſecus eligit, errore deceptus eligit. Et optat totaliter ſibi bene eſſe: hinc ſalutem ſui totius partis iactura, ſi aliter nequeat, redimit. Et quidem optat ſine fine eſſe: hinc mortem, tanquam ſui deſtructiuam, horret. Hinc poſt mortem ſi quid reſtat, beatum eſſe optat. In ſumma, non beatus fieri nemo deſiderare poteſt: vsque adeo, vt etiam qui mortem cupiunt, aut etiam ipſi ſibi inferunt, id amore ſui faciant, ſc. mali alicuius impatientia, vt eius inueniant finem. Ita ergo *inſtinctus omnium hominum eodem tendunt*: ſi modo vias noſſent omnes. *Innatarum notionum ſimilis eſt ratio.* Quod vnus natura magiſtra nouit, nouit & alter. Ex. gr. *Totum eſſe maius ſua parte: bis bina eſſe quatuor: ſi aequalibus addas inaequalia, reliqua erunt inaequalia, &c.* Et talium multa millia: quae ſe inter cogitationes de rebus, tanquam recti iudicii neceſſariae normae, vltro offerunt. *Nec aliter comparatum eſt cum facultatibus naturalibus.* Quod poteſt vnus, poſſunt omnes: res videre, guſtare, palpare, proſequi, aſſequi, in ſuos conuertere vſus, mille modis. (Gradus enim ſolum variant, & occaſiones, non res ipſae.) Id quod inde eſt: quia ſimilem membrorum & facultatum apparatum habent omnes, intus & extra. *Nempe quia finem eſſe ſine mediis ad finem, vel rurſus media ſine fine, nec DEVS patitur, nec ipſa rerum natura.* Omnem itaque hominem natum, natura humana inſtrui oportuit: rurſumque omnem natura humana dotatum, ad naturae humanae munia rite obeunda facultatibus inſtrui, neceſſe fuit. Haec de vniuerſalitatis via.

32. Via

Via ſimplicitatis docebit ſerae ſapientiae compendia.

32. *Via SIMPLICITATIS*, docebit nos, *nolle ſapere vltra quam ſapere nos vult DEVS: nolle cupere vltra illa bona quae offert DEVS; nolle agere vltra ea, ad quae agendum conſtituit nos DEVS.* Hoc erit redire nos ad principia: eo ſcilicet vbi non diſſentimus, nec erroris periculum eſt: quia pura, clara, certa, tuta ſunt omnia. Nempe ſi conſtitutum fuerit, (id quod naturalis ratio ſuadet) *nihil a quoquam praeciſe affirmari, niſi euidenter verum: nihil negari, niſi euidenter falſum; de caeteris* (ἐπέχειν) *aſſenſum ſuſpendi.* Item, *nihil abſolute approbari, niſi manifeſte bonum: nihil reprobari, niſi manifeſte malum; caetera in medio relinqui.* Denique, *nihil quenquam conari, niſi prius rei neceſſitate, poſſibilitate, facilitate, recte perſpecta: nihil non conari* (in rebus neceſſario requiſitis) *niſi impoſſibilitatis aut difficultatis clare perſpectis obicibus*; caetera haberi indifferenter. Haec ſi recte ſeruentur ab omnibus, annon ad ſapientiam, prudentiam, omnesque virtutes, ſimpliciſſima foret via? (Poſtulata)

Sola ſimplicitas omnium confuſionum antidotum ſufficiens.

33. *Atque tali via opus eſt, ſi perplexitatibus noſtris aliquando inueniendus eſt exitus.* Vt a circumferentiis, per quas diſperſi ſumus, in centra nos recolligamus. *Tum demum aliquid intellecturi, ſi nos prius: & ſubacturi nobis alia, ſi prius nos ipſos: & habituri a rebus ſecuritatem, ſi a nobis ipſis prius.* Certe arbor etiam ſtabilitatis ſuae (aduerſus ventorum impetus, & ſolis ardores, aliasque iniurias) in radice quaerit ſecuritatem; deſectaque e radice ſeipſam reſuſcitat. Medici autem in deſperatiſſimis morbis (vbi medicinae, etiam compoſitiſſimae, nihil proficiunt) ad ſimpliciſſimum diaetae praeſidium refugiunt. Indicitur ſcilicet aegro ſola temperantia, reliqua permittuntur naturae, h. e. per ſimplices naturae vias operanti DEO; admirando ſaepe ſucceſſu. Poſtquam igitur ad morbos generis humani loco mouendos multipliciter commixta illa & violenta remedia (adinuentae humanitus, & in immenſum cumulatae opiniones, leges, ritus, diſputationes, ſubtilitates; tum & rixae, odia, bella, caedes & clades) nihil profuere: *ſimpliciſſimum hoc remedium, contemperatam ſcilicet ex ſolis communibus inſtinctibus, notitiis, facultatibus, diaetam experiri quid vetat?* Multa ſub eſt ſpes! quia prouidentia DEI venenis noſtris antidota (quod millies ingeminandum) vbique in proximo poſuit. *Vnde pernicies, inde ſalus. In inſtinctibus, notitiis, facultatibusque deprauatis, tota corruptio noſtra: in rectificatis ergo inſtinctibus, notitiis, facultatibus, tota rurſum ſalutis ſpes.* Non ſecus ac in corpore noſtro a tartaro impuro omnes fere morbi; a tartaro depurato eorundem omnium remedia.

Digitized by Google

Via ſpontaneitatis emendationem promittit certam.

34. *Via SPONTANEITATIS*, obtinere quaerit, *vt homines vera noſſe, bona velle, facienda que facere, vltro appetant.* Quod fieri non poteſt, niſi retectis in conſpectu mentis rerum rationibus: vt quid vere certum aut incertum, bonum aut malum, poſſibile aut impoſſibile ſit, clare peruidendo, ipſam hanc mentis lucem, blandum omnium agendorum omittendorumque ducem, intra ſeipſos habent, eoque cum lubentia ſequantur. Vere enim Salomon: *dulce eſt lumen & delectabile oculis*, (Eccl. XI. 7.) Vt ergo caecus duce opus habeat (quem tamen nec ipſum ſine metu trepidatione que ſequi poteſt) certe qui oculis lumen, & in lumine ante ſe viam, ipſe videt, alio duce non eget: vltro pergit laetus, ſuique ſecurus. Ita prorſus interne caecus, rationes rerum ignorans, vt agat quod cur fieri neceſſe ſit non intelligit, cogendus eſt & impellendus. Qui ipſe videt, videre ſe gaudet: proque adipiſcendo vero bono, vel auertendo vero malo, quicquid expedire iudicat facit. Senſus ergo eſt: *emendationem rerum non proceſſuram, ſi non quicquid violentum eſt in rebus humanis, ſublatum fuerit. Nec violentias tolli poſſe, niſi reſtituta hominibus libertate, qua eos donauit rerum conditor. Reſtitui vero hanc prius non poſſe, quam ſublatae fuerint ab oculis tenebrae: in quibus quam diu ſunt, ſibi permitti non poſſunt.*

Citra ſpontaneitatem impetratam nihil vnquam procedet.

35. Quicquid ergo pro emendatione rerum humanarum vnquam tentatum eſt, vel adhuc tentari queat, niſi acceſſerit (vnde tandem obuentura) illa de qua loquimur ſpontaneitas, omnia fruſtra erunt. *Componatur ex vniuerſalitate & ſimplicitate quicquid concinnisſimum excogitari poterit: ſine addita tamen ſpontaneitate, inutilis erit machina, cui ſcilicet anima motuſque defuerit.* Perinde ac ſi ad profectionem paratum habeas currum, & in illo omnia; nullos autem praeiunctos equos. Aut paratam ad nauigandum triremem; nullum autem ventum, aut remiges. Aut artificioſe conſtructum automaton; ſed illi appenſa pondera nulla.

Spontaneitatem ad bona impetrare, an poſſibile?

36. Quaeritur autem: *an ab hominibus talem ad res bonas ſpontaneitatem obtinere poſſibile ſit?* Reſp. Si perſtat, *inſtinctus naturales omnibus ineſſe*, plane poſſibile eſt vt omnes ſponte quod agendum eſt agant. *Inſtinctum* enim *obiectum adaequatum eſt bonum:* ad quod non vltro ferri impoſſibile, per omnes facultatum differentias. Offer alicui videndum quod videre deſiderat: non obuertere oculos non poterit. Da auribus obiecta ſua grata, da palato, da ventriculo, da animo, da voluntati: vltro aſſilient. *Cuilibet facultati obiectum ſuum*

Digitized by Google

ſuum illecebra eſt, pabulum eſt; non obuertere ſe illi ſponte ſua, non delectari illo, non poteſt. Modus tantum tenendus, ne quid intempeſtiue, ne quid nimis: alias ſuauiſſima etiam nauſeam parient.

37. De trina illa via obſeruandum tandem eſt, *ſimplicitatem rebus emendandis ponere fundamentum; ſpontaneitatem emendatis imponere faſtigium.* Nam quaecunque corrupta reſtituuntur, reductione ad principia reſtituuutur: iuxta illud Chriſti abuſus emendantis, *ab initio non fuit ſic.* Iam autem *principia annon propter ſimplicitatem ſuam principia ſunt*? vtique. Et quia ſimplicibus, varie componibilibus, quiduis ſurgere poteſt: patet e ſimplicitate immediate fluere vniuerſalitatem, etiam in illa quam intendimus rerum humanarum reſtititutione. *Simpliciſſima enim omnes habent, ſciunt, poſſunt*: aut certe oblata non acceptare, non ſcire, non poſſe, non poſſunt. *Vnde* demum *ſpontaneitas ſequitur*: quia ſeipſum ſequi, ſi ſe duce progredi poſſe videat, nemo non poteſt: cum ſui iuris eſſe velle, innatum ſit omnibus, & naturae humanae inſeparabile. Et quia *quicquid omnes volunt, indubie bonum eſt; quicquid omnes intelligunt, indubie verum eſt; quicquid omnes poſſunt indubie facile eſt*: patet quam certa conſenſus tandem aliquando vniuerſalis via ſit, dummodo placeret ille ad principia illa nobiscum nata, (inſtinctus communes, notiones communes, facultatesque communes) regreſſus. Et quam certae ſpei (de deſerendis tandem non inuite aliquando ſubingreſſis, & in tantum vbique cumulatis, tricis & ſpinis) hic certum ſit fundamentum. *Iunctam tamen vniuerſalitati, & ſpontaneitati.*

38. *Ergone ad deſtructionem hodiernarum philoſophiarum, religionum, politiarum, tendit noua haec via*? dicit aliquis. Reſp. *Via haec nihil abolere, omnia perficere, quaerit.* Nempe quod vulgaribus intricatis viis aſſequi non licuit, ſimpliciore hac vt liceat. Quid iſthuc? *veritatum, bonitatum, ſtudiorum, coadunatio.* Quaeſo enim conſideretur hoc. *Stulte aliquid opinari, nulla ex profeſſo docet philoſophia: impie agere, nulla religio: res humanas turbare, nulla politia. Et tamen alii alios ſtultarum opinionum inſimulamus, blaſphemiarum accuſamus violentiarum arguimus: nec vane.* Reperiuntur enim verae abſurditates, verae impietates, verae tyrannides: quia ſe, nolentibus etiam nobis, intermiſcent veris falſa, bonis mala, pacisque ſtudiis turbae. Hoc igitur quod ſe impertinenter admiſcet, ſeparandi modus quaeritur: quem in ſacra illa *inſtinctuum, notitiarum, facultatumque ſuppellectile* inuentum iri, omnia ſpem faciunt. Nempe ſi

Obi. *Haec via, annon ad receptorum iam deſtructionem tendit?* Reſp. *Ad perfectionem.*

ſi *notitias communes* a ſubingreſſa confuſione haberemus extricatas, haberemus lampadas, ad omnem rerum cognitionem clare nobis praelucentes: intelligeremusque nos omnes per omnia. Siq; *inſtinctus communes*, deſideriorumque leges recte intelligeremus, & a ſpuriis ſeſe intermiſcentibus liberare ſciremus: haberemus ad beatos fines (communes & priuatos) inſtinctuum ſatis: conuenire-musque voluntatibus belle, nec bellis eſſet opus. Denique, ſi *facultates communes* diſtincte cognitas, & ab admiſta confuſione liberatas haberemus omnes, poſſemus omnia omnes, quae nos poſſe voluit DEVS. *Ex his ergo ſimplicibus, planis, certis, ſi conſtruerentur* (praeeunte DEO) *ſciendorum, eligendorum, agendorumque ſyntagmata: quid eſt, cur aliquis ſuae philoſophiae, ſuae religionis, ſuae politiae, metuat?* cum ſcilicet hic veri, boni tranquilli, perire queat nihil: colligi tantum, & in communem theſaurum comportari, debeat.

2. Obi. *Recepta tamen circumciderentur.* Reſp. *Vtique a ſuperfluis.*

36. Oggeri adhuc poſſet. Sed *ſic in anguſtos redigeretur terminos philoſophia, religio; politicaque ſcientia noſtra.* Reſp. DEVS quid nobis ad ſapienter, bene, beateque viuendum ſatis ſit, ignorare non potuit: huius ductui acquieſcere tutiſſimum. *Praeſtat inſiſtere certis, quam litigare de incertis: & ire per viam communem, errorum ſecuram, quam aberrare per diuerticula intuta.* Si ergo *philoſophia ſimplicior*; modo rebus, ingeniiſque modeſtis, ſatisfaciat. Sit ergo *religio ſimplicior*, modo ſatisfaciat DEO ſimplicitatis fonti, conſcientiiſque rectis. Sit & *politia ſimplicior*; modo ſatisfaciat fini ſuo, vt in pace ſeruetur humanum genus.

Concluſio capitis.

40. Ita nobis vniuerſalitatis, ſimplicitatis, ſpontaneitatisq; viam ſatis fore ſperabimus commendatam, vt illi nunc iam inſiſtere incipiamus omnes: quum ad tam vniuerſalem intentionem nihil particulare ſufficere; ad tantas diſſoluendam tricas nihil multiplex & intricatum idoneum eſſe; ad tantas mitigandum exacerbationes, tollendumque violentias, nihil praeter ſpontaneum conſenſum vim habiturum, nimis ſit in aperto.

CAPVT

Digitized by Google

CAPUT X.

Conſultationis legitimae forma legesq́, ad quas magna haec conſultatio attemperanda erit.

OMne opus, quod rationabiliter ſuſcipiendum eſt, praecedit *conſilium*: aut, ſi negotium fuerit momenti maioris, & ad plures ſpectans, *conſultatio*: h. e. conſiliorum plurium, donec pateat optimum, collatio. At nobis eſſe ſub manu *negotium maius ac vllum ſub ſole, iam cognouimus: quippe & omnes, & omnia, & omnimode, concernens. Conſultatione igitur opus omnino*: at quali? *conſtituamus nobis quaeſo conſultandi leges certas: vt ne quid interueniat, quod opus coeptum turbet, vel abrumpat, vel ſine vſu eſſe faciat.* Ante opus, conſilio opus, aut conſultatione.

2. Leges vero iſtas non aliunde quam a ſapienter inſtituendae conſultationis Idea, recteque deprehenſis ibi requiſitis peti poſſunt. Ne igitur ſubſiſtere, & rem hanc circumſpecta mentis indagine ſcrutari pigeat, obſecro. Conſultationis leges vnde petendae.

3. *Conſultare, eſt de re quapiam optata, ſed difficultatibus implicata, an quaerenda* ſit, & *per quid* inueniri, *quomodoue* facile obtineri poſſit, *inter plures amica & prudens diſquiſitio.* Conſultare quid.

4. Concurrunt itaque in omni conſultatione tria: Concurrentia in conſultatione tria.

(1) *Propoſitum*: res aliqua vtilis, ſed ob interuenientes ſcrupulos, aut impedimenta, dubia.

(2) *Perſonae plures*, eadem inter ſe agitantes.

(3) *Placida & prudens in omnia quae obueniunt inquiſitio*, donec omnibus videatur idem. Tum enim ceſſat *conſultatio*, incipit *exſequutio.*

5. Materiam conſultationi dare dixi rem aliquam vtilem, ſed dubiam: nec enim aliter poteſt. Nam (1) Materia conſultationis.

Axioma) I. *De nihilo conſultatio eſt nulla.*

II. *De re inutili conſultatio eſt ſtulta.*

III. *De re certa conſultatio eſt otioſa.*

(Si nempe conſtet aliquid eſſe nihil; eſſe inutile; eſſe certum.)

6. *Perſonae requiruntur plures neceſſario*: vt ſit (1) *qui caſum proponat*, conſiliumque exquirat. (2) *Qui conſilium expromat.* (3) Qui rurſum ventilet, donec euentilatis omnibus certi aliquid conſtituatur. (2) Perſonae plures.

atur. Praeſertim ſi plures ſint conſulentes, aut conſulti, aut etiam conſilia ipſa: quorum nullum relinquendum eſt inexpenſum. Vnde axiomatum inſtar haberi poſſunt iſta:

VI. *Nemine conſilium requirente, conſultatio non inchoat.*

V. *Nemine conſilium expromente, conſultatio non procedit.*

VI. *Nemine conſilium terminante, conſultatio non abſoluitur.*

(3) Modus obſeruandus trinus. Nempe vt excutiantur.

7. *Conſultationis modus* in eo eſt, vt diſquiſitio fiat (1) *in omnia quae interueniunt*, (2) *placide*, (3) *prudenter.*

1. Omnia quae ad rem.

8. *In omnia:* nempe (1) in *ſcopum* conſultationis: vt pateat, *quid optetur*? (2) *in media: per quae* ſcopum nos aſſequi poſſe *ſperetur*? (3) in *modos*: quibus media iam inuenta adhiberi poſſint recte. Horum quicquid inuenitur & profertur, ventilandum eſt, *an* ita recte? & *quare*? donec *finis optati vtilitas*, & *mediorum repertorum poſſibilitas, modique agendi facilitas,* omnibus pateſcat; nec reſtet cui videatur aliter. Ergo

Ax. VII. *Conſultantes neceſſe eſt conueniant ſcopo.*

(Inter enim diuerſa volentes conſultatio nulla: ſicut inter diuerſa loca petentes, comitatus nullus.)

VIII. *Conſultantes mediis conuenire neceſſe eſt.*

(Niſi enim de mediis fuerit conuentum, conſultatio diſſoluetur: vt ſi viatorum alius velit terra, alius aqua: hic pedibus, ille curru &c. diuelluntur neceſſario.)

IX. *Conſultantes conueniant neceſſe eſt de modis quoque agendi.*

(Nam ſi alius ſic, alius aliter, rem inchoari, & continuari volet, nec inchoari, nec continuari poterit: erunt cum finis, tum media quantumcunque ille deſiderabilis, & haec certa, ſine vſu.)

2. Amice ac placide.

9. Additur, requiri conſultando *diſquiſitionem amicam, & placidam.*

10. *Amicam*: quia inimici, quatenus inimici, non conſultant, ſed rixantur.

X. *Conſultantes amici ſint, & amice agant, neceſſe eſt.*

11. *Placida* diſquiſitione opus eſt: quia inter amicos etiam diſquiſitio, quoties vehemens eſſe incipit & impetuoſa, altercatio fit & contentio; raro vtilis, bonumue ſortiens effectum

XI. *Conſultantes lente ac placide procedant.*

(Affectus enim, quia miniſtri ſunt non intellectus, ſed voluntatis; neque hoc ſimpliciter, ſed in ordine ad actiones, tanquam illarum ſtimuli, & ſic medium quid inter voluntatem & facultatem: caven-

vendum eſt ne in deliberando, vbi rerum pondera expendi debent, adhibeatur affectuum concitatio. Seruandum id eſt ad extremum, vbi inuentorum iam conſiliorum vrgenda eſt exſequutio. Sancti igitur conſultoris non eſt accendere affectus (praeſertim triſtes illos, metum, iram, odium) ſedare potius ac placare. Nemo ſanus libens bibit aquam turbidam , ni eam prius ſinat quieſcendo fieri limpidam. Ita ergo nec animo vtendum ad conſilia commoto : *impedit ira animum, ne poſſit cernere verum.* Amor autem ſui & ſuorum, vt & odium alienae cauſae, prauum ſunt perſpicilium, res vltra verum augens aut minuens, alioue ſitu, figura, colore, quam ſunt, oſtentans.)

12. *Prudentia* denique requiritur in conſultantibus : *tum ſcilicet in conſilium requirente, quam dante, & ventilante.* 3. Prudenter.

13. In conſilium requirente prudentia requiritur, vt *quid velit, & vbi* circa rem illam *haereat* , *& quid eum haerere faciat* , exponat. Idque *ſincere* quantumque poteſt , *breuiter* , ac *dilucide* : vt is a quo conſilium petitur, dextre omnia percipiat. Prudentia in conſilium requirente qualis requiratur.

XII. *Conſilium requirens rem recte proponat.*

XIII. *Scrupulos circa eam ſuos detegat.*

XIV. *Scrupulorumque ſimul cauſas explicet.*

(Alioqui manca & obſcura conſultatio, mancum & obſcurum pariet conſilium.)

14. *In conſilium dante requiritur,* (1) *vt omnia plane percipiat,* (2) *rerum momenta recte expendat,* (3) *quicquid optimum apud ſe inuenit , ſincere aperiat. Primum* illud requirit hominem attentum & diligentem, qui *hoc agat. Secundum,* fundamenta rerum intelligentem aut certe in ea circumſpecte inquirentem. *Tertium,* virum bonum, qui etiam inimico fidele det conſilium. Et qualis in conſilium dante.

XV. *Quaeſtionis ſtatu non percepto, conſilium eſt temerarium.*

XVI. *Rei fundamenta ignorantis ſolutio eſt dubia.*

XVII. *Subdola controuerſiae deciſio eſt impia, & in DEVM, veritatis authorem, blaſphema.*

(Conſilium enim res ſacra eſt, venerabiliter tractanda.)

15. In conſilium ventilante requiritur, vt expendat (1) *an verus ſcopus petatur?* (2) *an media, quae oſtenduntur , eum recte petant? an adhibendi media illa praxis oſtendatur facilis ?* Poteſt enim fieri vt aliquid bonum ſuadeatur, nec tamen ad conſulentis mentem : poteſt vt media bona ſint, ſed ad obtinendum aliud quid, quam in prae- Qualis deniq; in conſilium ventilante.

Digitized by Google

ſens petitur: poteſt, vt ad hoc ipſum bona ſint, ſed vſurpatu difficilia. Quod faciet, vt conſilium videatur impoſſibile: quia difficilia pro impoſſibilibus habentur. Ergo

XVIII. *Conſilium an verum petat ſcopum, vide.*

XIX. *Media num ſcopum attingant certo, obſerua.*

XX. *Modus agendi an ſit facilis, expende.*

Quo maior conſultantium numerus, eo maiori prudentia opus.

16. Quod ſi ad quampiam conſultationem plurimos contingat vocari, aut venire, prudentia noua erit opus

(1) *Vt deſideria ſua explicare nemini non permittatur.*

(2) *Vt a ſententia dicenda nemo excludatur, nedum pellatur.*

(3) *Vt nihil niſi communi omnium conſenſu decernatur atque concludatur.*

(NB. Conſultandi methodus perpetua.)

Puta, vbi iis qui conueniunt idem ius eſt in res, quorum cauſa in deliberationem conueniunt. *Tum demum enim conſultatio eſſe poterit & plena, & facilis, & ſolida; ſi nihil niſi omnibus conſentientibus & proponatur, & tractetur, & concludatur.* Modo ad eaſdem communes leges (nempe, vt *ſemper primo de fine, tum de mediis tandem de mediorum prudenti vſu*, agatur.) Suam aliis ſententiam tanquam oraculum obtrudere, nemini liceat: audire prius aliorum & ſententias & rationes, omnes parati ſint. Etenim hae ſi concordabunt, firmior prodibit concluſio: ſi diſcordabunt, melius expendendi omnia, donec pateat aliquid optimum, occaſio erit. Sententiarum quippe & rationum diuerſitas, ſemper materiam fert ſolidius aliquid & quaerendi, & inueniendi, quod nemine contradicente concludi poſſit. Ergo

XXI. *Ad conſultandū congreſſi propoſitiones habeant communes,*

XXII. *Quorum propoſitiones ſunt communes, communes ſint & ſententiae, ac rationes.*

XXIII. *Quorum ſunt communes ſententiae, eorundem ſint & concluſiones communes.*

Quippe tum demum exſequutio quoque eſſe poterit vnanimis: de qua itidem aliquid hic monendum.

Conſiliorum exſequutio quid requirat.

17. *In conſiliorum exſecutione tria ſunt obſeruanda.* (1) *Ne ſit praeceps.* (2) *Ne diu dilata.* (3) *Ne arrogans & praeſumptuoſa. Praecipitantia*, vt alibi ita in conſultando & conſilia exſequendo, res euertit. Raro ſimul eſſe duo iſta, *cito* & *bene*, contingit. Saepius quod cito fit, cito perit: caniſque properans caecos parit catulos. *Cunctatio* rurſum in rebus bene praeuiſis plerumque damnoſa eſt: dum con-

ſul-

ſultando agendi quoque tempora transmittuntur, occaſionesque rerum gerendarum manibus elabi ſinuntur. Si quis denique *fiducia* prudentiae ſuae nimia de conſiliis, conſiliorumque euentu, ſibi & aliis promittit, facillime fit vt in ſecuritatem & negligentiam prolapſus euentuque fruſtratus, ludibriis ſe exponat. Ergo

XXVI. *Deliberandum diu, quod ſtatuendum ſemel.*

XXV. *Deliberatum recte ſemel, executioni dandum cito.*

XXIV. *Exſecutionis bona ratione ſuſceptae euentus exſpectandus, qualem dabit DEVS.*

Exſecutionem conſiliorum ſuadere, vbi omnia bonum promittunt euentum, boni viri eſt: euentum ipſum polliceri (praeſertim in rebus ambiguis, quas fortuitas vocant) non eſt prudentis. Maxime ob hominum ingratitudinem. qui, ſi bene cadat conſilium, cuius fida manuductione eo ventum ſit facile obliuiſcuntur: ſin aliter, conſultorem accuſant. Quaſi vero euentum quoque dare poſſit, qui potuit conſilium. Videatur quid hic ſapiens Salomo ſub ſole ſe obſeruaſſe teſtetur, Eccleſ. IX. 11.

18. Atque hae ſunt legitime obeundae conſultationis iuſtiſſimae, vti confidimus, leges; quas ſi nobis magna in conſultatione noſtra obſeruandas eligimus (debemus autem certe) quid noſtri officii ſit, & futurum ſit, peruidere ſatis promtum eſt. Innuamus praecipua quaedam repetendo, vt ne quidquam eorum ignorari a quoquam poſſit. *Applicatio horum ad praeſentem magnam conſultationem.*

19. *Quia cauſſa eſt communis, RES HVMANAE* (quarum emendationem optare, quaerere, moliri, per ipſam naturae humanae participationem nemini non conuenit) ***nemo igitur homo ab hac conſultatione excludi, nemo ſeipſum excludere, debet.*** Nos igitur quoque communi iure proponimus, propoſiturique ſumus, omnes qui nos vrgent ſcrupulos: alii autem omnes, an vrgeant merito, eodem iure expendant. *1. Vt hinc nemo excludatur.*

20. ***Et quia in cauſſa communi cuicunque intereſſe licet, conſilia quoque dare licet; iure noſtro vtrinque vtamur.*** Nos quidem, vt quid in ſingulis propoſitis caſibus nobis videatur aperte proferamus: vos autem eadem eodem iure aperte excipiatis, & diiudicetis. *2. Nemoque non audiatur.*

21. Tandem, ***quia conſultandum nobis eſt, non rixandum; affectum ergo afferamus omnes vndique purum & ſerenum:*** qualem ego a me promitto, ab aliis ſtipulor. *Stipulor* inquam, a me & aliis, in hac tam ſancta conſiliorum tam ſanctorum collatione, primum ***candorem*** *3. Sed omnes hic puriſſimo candore agant omnia.*

Digitized by Google

candidiſſimum, deinde *ſeueritatem ſeueriſſimam*, tertio *attentionem attentiſſimam*. Tum *audiendi patientiam debitam*, *iudicandique libertatem placidam*, & *diſſentiendi modeſtiam*. *Perpetua denique ad DEVM ſuſpiria, fiduciae plena.*

22. Verum enimuero quia communi omnium alloquio ad conſiliorum communionem omnes inuitare, conditionibusq; & pactis certis obligare, animus eſt, iſtuc iam veniamus!

Caput XI.

Ad placidam de rerum emendatione conſultationem omnium hominum inuitatio.

Conſiliis opus, quando negotium eſt cum creatura rationali.

QVando agrum conſerere paramus ſeminibus, aut demetere fruges: aut aptare aedificiis ligna & lapides, aut reparare collapſa aedificia, vel ſimile quid: reſpectare quidem ad res iſtas (quid de ſe fieri patiantur, aut deſiderent, viſuri) ſolemus: conferre tamen cum illis conſilia nihil eſt opus, quia ſub poteſtate noſtra ſunt: manibusq; noſtris, falcibus noſtris, ſecuribus noſtris, reſiſtere neſciunt. Non ita vero eſt, quando cum creatura rationali negotium eſt: quae arbitrii donata libertate, nihil de ſe ſine ſe ſtatui permittit.

Quod omnes concernit omnes ſciant.

2. Cum ergo opus hoc noſtrum homines concernat, clam illis nihil ſtatuere poterimus. *Et quia concernit omnes: cum omnibus communicandum eſt.* Ideo nos in aperto haec agimus, coram ſole hoc: vt eadem haec audiant, videant, diiudicent, agant etiam nobiscum, illi ipſi, quos haec ipſa tangunt omnia, omnes: adeo illa ad rerum emendationem requiſita *vniuerſalitas*, *ſimplicitas*, *ſpontaneitas*, in ipſa iã conſultatione hac neceſſario veniunt obſeruanda.

Quod omnibus dicitur, ex communi dictatura hauſtum ſit.

3. *Quicquid ergo hic dicetur, omnibus dicetur:* & *tam ſimpliciter, vt intelligi non poſſit non omnibus:* & *relicta iudicii plena libertate maximo* & *minimo cuique.* Ex omnibus enim principiis loquemur omnibus omnia. Nempe, vt nobis *communes omnium hominum inſtinctus oſtendant communes*, omnibusque deſiderabiles, *fines*: *communes* autem diuinitus omnibus conceſſae *facultates*, communia ad fines noſtros *media*. *Senſus* denique *communes*, & inſcriptae cuiusque cordi notiones, oſtendant *modos*, mediis illis ſic vtendi, vt fines non aſſequi non liceat.

4. Scri-

Digitized by Google

In praeſenti magna conſultatione promittitur omnibus.

1. Conſiliorum euidentia.

4. Scribunt Pythagoram dicere ſolitum: *Si quis puerum oſtennem intelligenter de quibusuis philoſophiae partibus interrogare ſciat; rationabiliter ad omnia reſponſurum: eo, quod rationis lumen, ſi ſciamus vti, omnium rerum menſura ſit.* Incipiamus huius rei praxin in praeſenti negotio! confido, ſi intelligenter quaeſtiones proponere ſcieremus, neminem fore qui haec legat, quin ad omnia interrogata conſilium vel reperturus ſit apud ſeipſum, vel approbaturus ea quae afferri videbit. Praeibimus enim: neque caſus proponemus ſolum, ſed & remedia; tandemque determinationem, quid inter plura (vbi erunt plura) videatur optimum.

2. Suffragiorum libertas.

5. Non erit igitur cur aliquis ad haec conſilia accedere vereatur, vbi nemo illi praeiudicabit; ſed ipſe ſibi in omnibus ac ſingulis actor, iudex, teſtis, erit. Speramusque hac via profectum aliquem, vbi nemo in ignotam ſibi *auctorum ſiluam* protrudetur: ſed per apertum *rerum campum* ſic deducetur, vt propriis oculis, non alienis perſpiciliis, omnia & videre & palpare poſſit. *Solae quippe res, quia ſunt id quod ſunt, reducere nos in conſenſum poſſunt: qui de rebus inter ſe ipſimet litigant, nunquam id praeſtabunt.*

3. Decernendorum certitudo. (Innatarum notionum, inſtinctuum, facultatumque encomia.)

6. Patebit iam tandem, ope DEI: tria illa omnibus nobis innata, *cognoſcendi, volendi, operandique principia* (notitias, inſtinctus, facultatesque communes) *eſſe depoſitae in nobis ſapientiae DEI ſacroſanctas pandectas*: quibus ſi quid non continetur, neceſſario ſpurium ſit. Eſſeque *inſculptas nobis, tanquam imagini DEI, aeternas leges:* a quibus vt quis recedit longius, ita ſe erroribus, ſceleribus, miſeriisque, implicat profundius. *Et aureas baſes, adamantinaque fundamenta*: quibus omnis humanae ſapientiae, virtutum, operumque ſuperaedificatur ſtructura. *Et fixiſſimos cancellos:* quibus cogitationum, deſideriorum, actionumque noſtrarum omnium vias omnes ſepſit DEVS: e quibus *quisquis* euagatur, ſeipſum in certiſſima errandi, peccandi, pereundi, praecipitet pericula. *Eſſe polos & axes:* circa quos omnia noſtra cogitata & cogitanda, dicta & dicenda, facta & facienda, vertuntur: a quibus quicquid aberrat, eccentricum, anomalum, vagum & errabundum eſt. *Soles denique & ſidera noſtra*, intus nobis lucentia, quoquo nos vertimus nos comitantia, & ab erroribus, vitiis, periculis, praemonentia: ſine quibus quicquid eſt, tenebroſum eſt. *Conſultatio ergo haec noſtra, tam communibus principiis innixa, erit communis illa, magna, tuta, amoena via; nos eo, vbi nos intelligere & ſubleuare incipiamus, deducere ſola vna idonea.*

7. Ve;

Digitized by Google

Inuitantur omnes gentes, linguae, ſectae.

7. *Venite igitur*, quibus ſua & generis ſui ſalus cordi eſt, *ex quacunque gente, lingua, ſecta, omnes DEI timentes*, omnes confuſionum humanarum pertaeſi, omnes meliorum cupidi! venite, & a tam communi de communi ſalute conſilio conſilia veſtra ne ſeparate! Miſereſcat vos miſeriarum generis noſtri: vt ſi a quoquam quidquam conſilii vel auxilii ferri poteſt, in commune conferamus.

1. Ad ſpectandum communium deſideriorum fines, media, modos.

8. *Venite, finem habemus bonum, imo excellentem*, corruptelarum noſtrarum emendationem: DEO in honorem, Satanae in confuſionem, generi humano in ſalutem. *Habituri & ad ſcopum tam excellentem media pulchra; nec non modos mediis illis vtendi amoenos:* vt exitus bonus, benedicente conatibus noſtris DEO, non poſſit non ſperari.

2. Et ad quaerendum communem lucem, ſolatia, quietem.

9. *Venite! audeamus cum libertate reſumere animos*, veritatem rerum, in rebus ipſis ſpectandi; & bona noſtra quaecunque ſunt, ab admiſta illuuie liberandi; communibusque vſibus adaptandi! nempe vt quicquid nos a luce mentium excludit, quicquid a DEO communi creatore ſeparat, quicquid ab inuicem diſſociat, tollatur, id communi ope quaeramus!

3. Et ad examinandum varietatem religionum. Politiarum.

Venite! *diſquiramus inter nos placide*, num certi aliquid de omnibus illis, quae nos ſic vsque diuellunt, haberi poſſit? num ſit DEVS? & qui ſit? quiue cultus eius verus? vt vni illi ſoli ſeruiamus brachio vno omnes; aberret ab illius voluntate nemo. *Diſquiramus*: numnam aliis ſuper alios aliqua ſit poteſtas? & qualis illa? vt non ſic opprimamus conculcemusque alii alios. Et quia ſimiles habemus ſenſus, mentem, manus, reliquumque naturae apparatum, omnes; resque ſimiliter ſe praeſentant nobis omnibus omnes; *Diſpiciamus* quaeſo, numne fieri poſſit vt eodem modo videamus, audiamus, ſentiamus, intelligamus, cupiamus, agamus omnes, ea quae ſunt, & facienda aut expectanda ſunt? faſcinare nos non permittentes iis quae non ſunt, vel facienda non ſunt, nec expectanda.

Philoſophiarum.

4. Et ad communicandum nobis inuicem quicquid vsquam repertũ fuerit optimum.

11. *Venite quaeſo*: *diſpiciamus numnam forſan alicubi veritas ſit ſine falſitate; pietas ſine ſuperſtitione; ordo ſine confuſione*? ſi alicubi eſt, vos penes quos eſt oſtendite: bonumq; veſtrum, vt bonum commune fiat, efficite. Vos qui veram habetis ſcientiarum lucem, exponite eam mundi candelabro, vt in commune luceat. Vos qui DEVM habetis verum, eiusque colendi tenetis leges veras; vt animarum illa beata lux aliis ſimiliter luceat, efficite. Si qui tandem regiminis vere liberi & pacifici (ſeu regni, ſeu ciuitatis, ſeu

domus

domus, ſeu ſuiipſius) veram noſtis formam, communicate: vt deſinamus ſurſum & deorſum volui, & in inuicem ruere, & ſine fine dilabi!

12. *Si forſan nihil adeo abſolutum, quod omnibus & ſufficiat & placeat, repertum fuerit: quaerendi tamen meliora, quam quibus adhuc diſtinemur, occaſio erit:* atque adeo iam haec ipſa eſt. Venite igitur, quaeramus meliora, quaeramus optima! quaeramus nobis, quaeramus omnibus! quaeramus conſtanter, quaeramus ſemper, dum hic ſumus. Quid enim melius agi poteſt invita, quam vt quaerendo veritatem, inueniamus & veritatem, & pacem, & vitam.

5. Aut ſi nihil vsquam perfectum inuenietur, ad veſtigandum tamē perfectiora quam hactenus,

13. *Nos nihil quaerendum proponere proponimus, niſi quod omnibus prorſus deſiderabile videatur: nihil ſuadere, niſi quod eſſe poſſibile omnes homines mox ipſimet agnituri ſint: nihil denique polliceri, niſi cuius iam explanatae, aut certa faciliue ratione explanabiles, oſtendi poterunt viae.* Si quid tale non fuerit (vt ex aequo omnibus deſiderabile ac poſſibile, ac ſi res cum ratione ſuſcipiatur facile, videatur) indictum eſto, deletor, conſilii non boni, aut certe inutilis, nota damnator. Qua occaſione excitabit aliquem DEVS, qui meliora & certiora, quae in commune magis proſint, oſtendere poterit.

6. Et ad audiendum nos placide, de his conſilia requirentes placide.

14. Quod vt ſperare liceat, venite amici, quaeramus (DEI nos miſerantis ope) e tenebris noſtris, e tricis noſtris e profanitatibus noſtris, exitum! Et quidem omnes, vt bene ſit omnibus! Si non obtinebimus, deſiderium noſtrum totum, totum tamen fruſtra eſſe non permittet bonitas DEI. Saltem obtinere nos faciet, vt plus ſit in orbe terrarum lucis, caliginis minus; plus DEI, Satanae minus; plus pacis & ordinis, minus diſcordiae & confuſionum. *Si omnibus morbis non inueniemus remedia;* at ſaltem vt reperiantur quam plurimis, magisque ſonticis, videamus. *Ignorantiam ex humana vita omnem tollere ſi nequeamus* (futurae vitae forſan id ſeruatur) ſaltem ignorantiae ignoratio vt tollatur, danda eſt opera: tum ne putemus nos ſcire, quae neſcimus; tum vt quantum illud ſit quod neſcimus, ſcire; & ad vitam illam, vbi cum aliis bonis ſcientiae quoque aſſeruentur theſauri, appetitum magis extendere incipiamus. *Si non omnem impietatem tollere poſſumus;* ſaltem, vt ne tamen tantis impetatur blaſphemiis ſanctiſſimum numen, annitamur. *Si denique non omnes lites noſtras tollere poſſumus;* ſaltem ne ita perpetuo conflictemur, & nos conteramus, obtineri poterit: ſi non tamen conſtanti temeritate cum DEO, rebus, nobisque ipſis, agemus, omnes tamen aliquando vias rationis ſequuti. In

7. Et ad participandum bonos ſucceſſus, qualescunque futuri ſunt.

Digitized by Google

ſumma: *ſatius eſt, ad quaedam non penetrare, quam negligere omnia.*

8. Aut certe ad participandum horrorem, qui ex obſtinatione malorum noſtrorum orietur.

15. *Quo maior haec res eſt, eo obligatiores ſumus ad eam quaerendam omnes: eo etiam excuſatiores, ſi forſan euentu deſtituemur.* Magnis auſis excidere etiam melius eſt, quam non aggredi *Sed excidere in totum non poſſumus.* Nam vel inueniemus quod quaerimus, vel certe quo plures & maiori niſu rem hanc quaerimus, & quo minus ſucceſſuum reperiemus, eoque haec etiam via inefficax apparebit: adaperietur nobis eo magis horrenda corruptionis noſtrae abyſſus, cui ſola DEI omnipotentia ſufficit: eoque magis hominum ſuſpiria ad DEVM, vt brachium exſerat, inardeſcent: magiſque tandem aeternitatem ipſam, vbi dies erit plenae reſtitutionis omnium, omnes pii anhelabunt.

In ſumma, ad communicandum de communis ſalutis ſolicitudine.

16. De quibus tantis rebus quicunque iudicare poteſtis, adeſſe, conſiliaque audire & ferre, ne aſpernemini! *Nemo ſibi tam hoſpes in mundo videatur, vt haec aliena a ſe putet. Nemo tam ſublimis, qui non ſe huc demittat. Nemo tam humilis, qui non hic ſe attollat. Omnis vallis exaltetur, omnis mons & collis humilietur: quia Domino paratur via.*

In ſpecie rogantur, vt huc mentem aduertant, quibus rerum humanarum commiſſa eſt cura.

17. *Ante omnia vero euigilate, quibus praeeſſe rebus humanis datum eſt? Vos generis humani paedagogi, philoſophi: Vos animarum a terreſtribus ad coeleſtia duces, Theologi: Vos orbis interea arbitri, paciſque inter populos ſequeſtri ac cuſtodes, poteſtates ſeculares! Omnes vos ſimul humani generis medici eſtis; pro obiecto habemus intellectus, voluntatis, facultatumque morbos. En vobis aegros veſtros ſiſtimus omnes ſimul, totum mundi noſocomium!* Venite igitur, in commune conſultate! id acturi ad quod vos DEVS vocauit, aegerque ipſe, ſalutem ſuam vobis committens, ſuppliciter a vobis requirit! ad minimum certe, dum haec ſic de commmuni ſalute deliberanda proponuntur, vos prae aliis, & ante alios, attendetis: vtque deliberatio recte procedat aduertetis. DEO reddituri rationem, ſi quid ſomnolentia veſtra fuerit admiſſum, quo aut rebus humanis fraus inferatur, aut ſalutare aliquid intercipi & perire permittatur.

Quid hic videndum
1. Philoſophis.
2. Theologis.
3. Politicis.

18. *A vobis philoſophi, quorum eſt rationes rerum ſcrutari, in ſpecie poſtulo:* vt videatis, num quod proponitur, per omnia ſit rationabile; & num rationes rerum ſic recludantur melius, quam vulgatis viis? *A vobis autem theologi, quorum eſt ſeparare pretium a vili, & ſic eſſe quaſi os DEI.* (Ierem. XV. 19.) vt attendatis & iudicetis, num hic ſatis caute ſeparentur pretioſa a vili? hominesque a vanis mundanis ad vera coeleſtia ſic traducantur melius? *a vobis denique politici, quorum eſt videre ne quid reſpubl. detrimenti capiat, poſtulo* vt videatis, num redu-

reductis hoc modo ad legis DEI & naturae omnibus, reipublicae mundanae a detrimentis & cladibus ſic ſatis cautum iam fore ſperari poſſit?

19 *Paciſcamur vero iam in operis limine conſtituti religioſe, tanquam in conſpectu DEI, omnes nos. Primum,* vt nobis omnibus *ſcopus nonniſi vnicus ſit*, SALVS GENERIS HVMANI. *Quomodo* nimirum *liberari poſſit mundus* (1) *a partium ſtudiis*, quibus infinite ſcindimur, in ſcholis, Eccleſia, Politia, (2) *a multiplicitate*, qua infinite intricamur ac perplexamur, in ſcholis, eccleſia, politia: (3) *a coactionibus & violentiis*, quibus diſtorquemur & affligimur infinite, in ſcholis, eccleſia, politia. Reducique omnes queant ad communis (ſed integrae per omnia) ſalutis ſtudium; ad ſimpliciſſimam in omnibus veritatem; ad placidiſſimam deniq; rerum omnium tranquillitatem. *Poſtulata ſolennia ſi opus hoc aggrediamur.* *1. Sincere*, communis ſalutis promouendae ſcopo.

20. *Cumque ſuſceptum hoc opus DEI ſit, agendum id omnes ſuſcipiamus reuerenter quidem, magna tamen fiducia; de DEO ſic, quomodo maieſtatem eius decet: ſentiendo.* Statuamus eſſe *bonum*, qui non aliud velit quam bene eſſe creaturae ſuae: & *ſapientem*, qui inuenire ſciat media voluntati ſuae idonea; & *potentem*, cui decreta ſua exſequi in manu ſit. 2. Confidenter

21. *Tertio, conſentiamus in eo, vt de his rebus quae generis humani ſpectant ſalutem ſermones conferamus, auide* ſine tergiuerſatione; *& placide*, ſine tumultu: *& rationabiliter*, ſine ſophiſticatione. Nempe *vt nemo inter nos omnes reperiatur, qui votis omnibus reluctari, aut manifeſte veritati repugnare, aut quod in communis boni augmenta conferre poſſit, non conferre, impedire potius, animum inducat.* Si quis tentauerit, DEVS vindex eſto! 3. Concorditer.

22. *Quarto, vt toto in opere nullus alius nobis omnibus, quam communis ſalutis reſpectus ſit. Reſpectus perſonarum, gentium, linguarum, ſectarum, in vniuerſum ſeponatur:* ne ſe forſan conſiliis noſtris amor aut odium, inuidia contemtusue aliorum, mali ad concordiam conſultores, intermiſceant. Cur enim alii deſpiciamus alios? vnius mundi ciues ſumus omnes; imo ſanguis vnus omnes. Odiſſe hominem quod alibi natus ſit, quod aliam loquatur linguam, quod aliud quid de rebus ſentiat; quod plus aut minus quam tu intelligat; quae incogitantia? Deſinamus obſecro! homines enim ſumus omnes: imperfecti ergo omnes; iuuandi ergo omnes: debitores igitur hac in re omnibus omnes. Praeſertim quos DEVS prae aliis ſapientia, vel conſilio, aut robore inſtruit, DEVM imitentur, fiantque omnibus omnia. Et quia DEVS diuerſimode ſua 4. Affectu alii in alios puro.

 largi-

Digitized by Google

largitur dona, vt alius hic, alius alibi, vel videat vel caecutiat magis, ſaepiusque, & contemptioribus nonnunquam vtitur organis (vt vbi minus ſpei, ibi aliqua ſapientiae DEI ſcaturiat vena) relinquamus quaeſo morem ſuum DEO, vt quibus vult vtatur organis: ſuggeratque in praeſenti etiam conſultatione quicquid boni conſilii vult, ex quacunque gente, tribu, ſecta, primo vel vltimo, prouti vult. Ipſius enim ſumus omnes, ille nos nouit omnes, ille diſponit de nobis omnibus ſecundum beneplacitum ſuum. Non ideo quod nos inuicem toruum aſpicimus, aut oculos alii ab aliis auertimus, ſol etiam coeleſtis nobis aliquibus radios ſubtrahet ſuos; aut aliter hos, quam illos, intuebitur. Multo minus aeternae miſericordiae fulgor noſtris ſe immiſcebit affectibus: vt luceat quibus nos volumus, non luceat quibus nolumus. Iterato igitur obteſtor & proteſtor: *conſultationis hoc opus tam commune ſit omnibus, vt communes ſunt confuſiones illae, quibus remedia quaerimus; & DEVS ille, a cuius miſericordia miſeriarum leuamen expetimus, & exſpectamus.*

5. In rem autem ipſam intentione ſeuera.

23. *De hinc poſtulo, oro, obteſtor, vt dum corruptionum quaerimus emendationem, veram & realem quaeramus, non fictam aut pictam: ne conatus ſerii in luſum exeant, aut ludibria.* Quaerendum proponamus rerum cognitionem, ſed veram: quaerendum numinis cultum, ſed verum: quaerendam humanae ſocietati pacem, ſed veram, ſolidam, duraturam. *Falſae philoſophiae quis vſus eſſe poteſt, obſecro? & quis falſae religionis? quis politiae falſae?* Decipiantur perpetuo qui decipi volunt! nos ne amplius decipiamur, vera bona quaerendi ſtet propoſitum! fucata, quae decipiant, nemo ſanae mentis optet.

6. Et praeconceptis opinionibus interim ſepoſitis.

24. *Et quia nos*, gratia diuina freti, hoc conſultationis opere *oſtendere poſſe ſperamus* quae ille videre dat, ante omnia *lucis vniuerſalis fontes veros; tum in hac luce expanſum rerum orbem plenum; & dehinc mentibus humanis ſcientiam rerum blande inſtillandi infundibula certa; diducendique lucem hanc per omnes gentes canales paratos; melioris denique ſeculi faciem formoſiſſimam*: poſtulamus, *quinto*, vt quisquis haec ſpectatum venies, oculatus venias! oculis tamen puris, & aſpectu libero, perſpiciliis amotis; ne ſi quid nouum, & quaſi inſolens, obueniat, praeiudicio abripiaris! Dilapſi enim ſumus in opiniones, non eodem modo de rebus iudicamus. *Quod moneo, non vt credulitate quisquam pecces, & forſan decipiaris; ſed vt videas, annon hic aut illic decipiaris. Apertis itaque oculis accede nihil time: videbis omnia per claram lucem.* Quae ſi aeque vidiſti antea, gaudebis te iſta non ignoraſſe, circa illa non erraſſe. Si non vidiſti, aut aliter vidi-

vidiſti, gaudebis magis etiam, te ignorantia & hallucinatione tua liberari. Si denique melius quam nos aut vidiſti, aut occaſione hac proſpexiſti, maximo tuo & noſtro gaudio meliora illa caeteris oſtendere, communemq; ſic locupletare theſaurum, poteris.

25. *Poſtulo ſextum: cuicui conſultationibus his intereſſe libuerit vt ſimul libeat non prius quam poſt audita conſilia omnia, ſeſe ſubducere.* Vniuerſalitatem merito hic etiam vrgemus, particularitatem deprecamur. De toto propoſito iudicandum eſt: aut omittendum totum. De toto autem qui iudicare vult, totum prius cognoſcat neceſſe eſt: quia de re ignota, aut parum nota, male iudicatur. 7. Et aſſumto propoſito conſultationem edurandi.

26. *Septimo, in toto hoc opere paciſcor affectus vndique ſedatos, a contentionis pruritu puros. Nolite rixari in via*, dixit ad fratres ſuos Ioſephus. Neque igitur nos in hac fraternae conſultationis via rixemur, exprobrando alii aliis priſtinos aliquos errores, aut ſuſpicando. Nouos noua communis veritatis, comuniter iam iam omnibus affulſurae ſpes, meliora nos duntaxat proſpectare; eorum quae a tergo ſunt obliuiſci, faciat. *Ne rixemur quomodo incendium ortum ſit: potius quomodo ſit exſtinguendum laboremus. Nemo amplius cum filiis tonitrui, Iacobo & Ioanne, ignem irae de coelo ſupra contradicentes deuocet; omnes cum Chriſto ignem charitatis de coelo mutuemus, vtque ſuper terram ardeat optemus.* Nec inflemur ſcientiae opinione alii aduerſos alios: ſed per charitatem demittamus nos ad ſeruiendum alii aliis; certo perſuaſi, *magis curae DEO eſſe humiliter errantes, quam per veritatis viam ſuperbe incedentes.* Ita nobis coram DEO humilitas, & erga confratres charitas, veritatiſque cognoſcendae amor purus, fidi ad vniuerſalem conſenſum duces erunt. 8. Pacateque agendi.

27. Si nihilominus tamen oculatus aliquis, cur a nobis cum ratione hic aut illic diſſentiat, inuenerit: *poſtulamus*, octauo, *vt amice diſſentiat, non hoſtiliter, h. e. propter diſſenſum vna & altera in re conſenſum in reliquis, aut etiam toto tam hormonico opere, ne deſerat.* Non fruſtra hoc monemus qui diſſenſionis vim ad turbandum conſenſum non ignoramus. Corporis noſtri valetudo blanda humorum ad invicem temperatura potiſſimum conſtat: ſed quam vel vnius membri affectio dolorifica turbat, omnibusque membris non bene eſſe facit. *Idem in rerum ſcientia, hominum regimine, Numinisque cultu, euenire videmus, vt vnica diſſenſio plus aeſtimetur, quam conſenſiones mille.* In tota Mahomedi doctrina conſentiunt Turcis Perſae: diſſentiunt in leuiculis quibusdam, & quam atrocia ſibi ideo faciunt bella? Iudaei noſtri cum Iſraelitis Aſiaticis Moſen & 9. Etiamque diſſentiendi nonniſi amice.

Digitized by Google

Prophetas pariter amplectuntur: propter traditiones tamen Talmudicas, a noſtris receptas ab illis reiectas, horrendũm in modum ſe inuicem exſecrantur. Et quid nos Chriſtiani? omnes totam Chriſti doctrinam acceptamus, interpretationibus tantum, ſed eheu quam hoſtiliter, diſſidemus! *Tam ſcilicet harmonice fecit nos Creator noſter, vt diſharmoniam nullam ferre queamus.* Sed delicati eſt nihil ferre poſſe: Vir fortis tolerat omnia, & ſi poteſt emendat: quod vtrumque DEVS ipſe nos exemplis docet perpetuis.

10. De ſolicitando communibus votis DEO.

28. *Tandem* peto, *omnes vnanimiter DEVM oremus, ne noſtra haec, pro emendando miſero noſtro ſtatu molimina, maieſtati ſuae diſpliceant: iuuet potius benigne, ſucceſſuque optato coronet.* Negotium hoc certe non noſtrum eſt, ſed illius, cuius nos ipſi miſera creatura. Corpora quippe noſtra, animae noſtrae, vita noſtra, omnia noſtra, ſicut & mundus ipſe eius ſunt qui fecit, quanquam noſtri cauſa fecit, noſtraeque fidei concredidit. Quae ergo emendare quaerimus, eius ſunt: aliena vero tractare inuito Domino nemini conuenit. Et quamuis per bonitatem eius liceret, per imbecillitatem tamen noſtram citra auxilium eius quid nos poſſe ſperemus? Corrumpere; quae recte conſtituit ſapientia eius, ſatis gnara eſt ſtultitia noſtra! reſtituere illius eſt, non noſtrum opus. Tum vero *quia lucis opus inimicum eſt regno tenebrarum, colluctandumque hic neceſſario erit, non tantum cum inſcitia, ſed malitia quoque & peruerſitate, & contumacia, humana & diabolica, aſſuetas ſuas tenebras tutantium: ſi operari luci, & lucis parenti DEO, pergimus, nonniſi ſub ipſius auſpiciis, directione, ſcuto, operari poterimus. Ad illum itaque conuerſi omnes, ex intimis viſceribus viſcera miſericordiae eius ſolicitemus omnes!*

CAPUT XII.

Communia generis humani ad DEVM ſuſpiria.

A*Dorande mundi Praeſes, ſancte DEVS deorum, ſolus vnus, verus, viuus DEVS*, extra quem non eſt alius, *DEVS vniuerſae terrae, quem adorant etiam qui adorare neſciunt.* 2. Ad te conuerſi omnes laudamus benedictum nomen tuum, pro omnibus in nos collatis beneficiis tuis: qui nos, & noſtri gratia mundum, condidiſti: nosq;

per

per tot generationes, totque iam annorum millenarios, vna cum iſthoc habitaculo noſtro, tam mirabiliter conſeruaſti. 3. Sed prolapſi ſumus, eheu! Domine, in tot miſerias, quas tu vides: imo in tot abominationes, quos odit anima tua. 4. Corrupti enim ſumus omnes: totum generis noſtri corpus morboſum eſt. 5. A planta pedis vsque ad verticem non eſt in eo ſanitas, ſed vulnus, & liuor, & plaga tumens. Non eſt circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo. 6. Quia tu indignatus peccatis noſtris, ingredi ſiuiſti gentes omnes vias ſuas, nunquam licet ſine teſtimonio te reliquiſti: benefaciens, & de coelo dans pluuias, & implens cibo & laetitia corda noſtra. 7 Et tempora quidem ignorantiae noſtrae conniuendo diſſimulans, nunc annuntias omnibus hominibus vt poenitentiam agant. 8. Nos igitur, *Domine*, ecce comparamus nos quaerere faciem tuam, quaerere emendationem viarum noſtrarum! 9. Sed quia nos miſelli nihil nos poſſe ſentimus, niſi manus illa quae creauit nos ſubueniat nobis: oramus per miſericordiam tuam, ne nos miſeriis noſtris remedia quaerere prohibeas, quaerentesque illa ne deſtituas! 10. Da videre, *o lux aeterna*, quicquid vtile eſt! da ſequi, quicquid bonum eſt! da tandem exſequi, quicquid placitum eſt tibi! 11, Tua ſumus progenies, miſerere noſtri! nosque a te, & inter inuicem, ſic ſine ſine diſſidere, errare; labi ne permittas! 12. Ah delectarisne tenebris noſtris, morbis noſtris, interitu noſtro? 13. Abſit tam impia cogitare de bonitate tua! qui mortem non feciſti, neque delectaris perditione viuorum. 14. Creaſti enim omnia vt eſſent, & ſanabiles feciſti nationes orbis terrarum. 15. Misereris omnium, quia omnia potes: & diſſimulas peccata hominum, vt reſipiſcant. 16. Diligis enim omnia quae ſunt, & nihil odiſti eorum quae feciſti: nec enim feciſſes, ſi odiſſes. 17. Reſpice quoq; nos diſperſos per vniuerſum orbem tuum! 18. Ecce *Domine*, multiplicaſti nos ſecundũ promiſſionem tuam! vt iam impleuerimus *Europam*, *Aſiam*, *Africam*, *Americam*, omnesque *Inſulas maris!* Sed nondum multiplicaſti nobis omnibus gaudia. 19. O miſerere igitur iam tandem! o iam tandem miſerere! lucemque & benedictionem tuam ſuper nos omnes demitte, omnes pro omnibus oramus! 20. Vnum enim ſumus, & tamen non ſumus vnum! quia noxie diſſidemus. 21. Quod vnum ſumus, a te vno creatore eſt: quod diſſidemus, a potente aliquo & aſtuto impoſtore, hoſte tuo & noſtro. 22. Semperne impoſterum hunc tolerabis? conſtanterne tibi tuam progeniem,

Digitized by Google

geniem, quam tu tibi, non illi, genuiſti, abduci ſines? 23. In aeternum tenebras noſtras ſpectabis, & eas diſpelles nunquam? 24. Scimus noſtram eſſe culpam, quod vanitates ſequuti te lucem amiſimus noſtram. 25. Sed reuertere ad nos, vt reuertamur ad te, *Domine!* 26. Euibra potenter lucis tuae radios, *o lux aeterna!* vt disiiciantur tenebrarum noſtrarum caligines! 27. Non aliud quaerimus, quam quod ſeruiat gloriae tuae, *o DEVS!* vt tam vnum in te ſimus omnes, quam tu omnium conditor vnus es: recollecti omnes ad agnoſcendum te vnum, extra quem non eſt alius DEVS; & ad ſeruiendum vno humero tibi, praeter quem non eſt alius Dominus. 28. Si qui iam videmus in lumine tuo lumen, da vt caeteri quoque videant, & exultent! 29. *O Pater luminum*, depura in nobis omnibus mentis lumen! vt omnes videamus te, & quae a te, & ſub te ſunt, ſicuti ſunt. 30. *O animarum amator*, da vt exardeſcant in te animae omnium noſtrum, vt te vno puroque amore proſequamur omnes! 31. *O Rector vniuerſi*, corrige vniuerſas exorbitantias noſtras! vtque ſub vniuerſali tuo ſceptro, in hoc ſubcoeleſti tuo regno, rationabiliter cohabitemus iam tandem omnes, effice! 32. *Domine da nobis Philoſophiam veram: da religionem puram: da politiam quietam!* vt ſapienter, ſancte, tranquille, degamus in praeſenti ſeculo, donec transferamur ad te: & cohabitemus tibi in beata, nunquam deſitura, aeternitate tua! 33. *O creator omnium*, eſto quoque miſerator omnium! 34. Qui omnes radiis ſolis tui circumfulges externe, eosdem quoque omnes miſericordiae tuae radiis circumfunde interne! 35. *O amor! o bonitas!* da ſentire de te in bonitate! da quaerere te in ſimplicitate! da inuenire gratiam! 36. *Domine miſericordia tua in ſeculum!* opera manuum tuarum ne deſpicias!

AMEN, AMEN, AMEN.

Digitized by Google

RATIO
DISCIPLINAE
ORDINIS-
QVE
ECCLESIASTICI
IN
VNITATE
FRATRVM BOHEMORVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

COnſtat ex hiſtoriis, pie lector, gentem Bohemam poſtquam *Ioannis Huſſi & Hieronymi Pragenſis* miniſterio Euangelii luce feliciter fuiſſet colluſtrata, nouis tamen Satanæ fraudibus ad apoſtaticae ſedis obedientiam, Calice ſolo, cum aliis quibusdam paucis ſibi reſeruatis, rurſum pellectam fuiſſe; in Baſilienſi nimirum Concilio, anno 1433. vnica *Taborienſium vrbe* accenſum lumen ſub modium recondi dolente, perque multos annos reſiſtente, et doctrinae puritatem, ſuamque in fide conſtantiam, gladio defendente: donec et ipſi partim dolo circumuenti, partim vi oppreſſi, fuerunt. Quicquid ergo piarum adhuc ſupererat Huſſi reliquiarum, diuino inflammati zelo denuo reſumpſerunt animos, et a *Calixtinis* illis *pſeudo-Huſſitis* ſeceſſione facta, anno 1457. peculiares coetus multis in locis, ſola diuina ope fulti, feliciter erexerunt: quemadmodum et Conſiſtorium peculiare. Paulo enim ante illa tempora, Waldenſium e Gallia pulſorum pars in vicina Auſtria, cum vno et altero Epiſcopo ſuo, conſederant: ad quos legatione facta noſtri illi propoſitum totum detegunt, conſiliumque tandem et Chriſtianam coalitionem expetunt. Collaudant illi propoſitum, ſuadentque ſi coetus illi, puram amplectentium Euangelii doctrinam, a diſſipatione praeſeruari debeant, videndum eſſe ne paſtorales fidi deficiant.

Non expectandum igitur, dum Romanae ordinationis aliqui veritatis amore ad illos tranſeant, ſeque illis paſtores dent: ſed ordinandos eſſe domi, pro neceſſitate. Cumque dicti Waldenſes, legitimos ſe habere Epiſcopos, legitimamque et non interruptam, ab Apoſtolis vsque, ſucceſſionem affirmarent, crearunt tres e noſtro-

Digitized by Google

rum miniſtris, ritu ſolemni, *Epiſcopos*, illisque miniſtros ordinandi contulerunt poteſtatem. Sed qui in odium tracto ab antichriſtiano abuſu *Epiſcoporum* nomine *Seniorum* potius & *Antiſtitum* apellatione acquieſcebant, vti et hactenus. Quantum ad coalitionem ipſam, antequam haec in effectum deduci potuiſſet, diſſipati ſunt boni Waldenſes denuo, primariusque ipſorum Epiſcopus, *Stephanus* Viennae igni exuſtus. Noſtri illi in Bohemia multas, pariter experti perſecutiones, exſtirpari tamen, (DEO ipſos protegente) non potuerunt. Creuit potius fidelium numerus adeo, vt circiter annum 1500 prope ducentae eſſent per Bohemiam et Morauiam Eccleſiae, e nobilitate iam multis eas pie fouentibus. Quando autem ſudore et ſanguine fundamenta illa Orthodoxae fraternitatis conſtiterint, hiſtoriae, quae ad manum ſunt, docent.

Quod FRATERNITATIS nomen attinet, id a re ipſa deſumptum fuit. Erant illi reuera genuina ſancti martyris *Huſſi* propago: quia tamen Calixtini *Huſſitarum* titulum praeripuerant, neque noſtri illi contra ſpiritus ſancti interdictum, 1. Cor. I. 12. 13. ab hominibus denominari ſuſtinerent: factum eſt, vt ſe ipſos inuicem amabili illo, et Chriſtianis conuenientiſſimo nomine, FRATRES et SORORES adpellarent. Apologiis vero, et libris ſuis, fundamentum cauſae M. Huſſi (*legem Chriſti ſufficientem eſſe ad Eccleſiae militantis regimen, ſine additamentis legum humanarum*) reſpectantes, et ne a fundamento hoc, vel ipſi vel poſteri recederent, praecauere volentes, ſubſcribebant FRATRES LEGIS (ſeu regulae) CHRISTI. Et quia ordinem inter ſe certum, ad ſeruandam fidei et caritatis *vnanimitatem*, erexerant, appellabant totam congregationem ſuam VNITATEM FRATRVM, quemadmodum et hactenus.

Quia vero *templa publica* a Romanis, vel Pſeudo-Huſſitis, vbique occupabantur, illi peculiaria ſibi *oratoria* oppidatim exſtruere, paſtoresque (ordinariis deſtituti reditibus) manuum labore victum quaerere, neceſſe habuerunt.

Cum vero poſtea Germaniae quoque miſertus Deus magnum illum excitaſſet *Lutherum*, fratres ad ipſum (aliosque in imperio celebres Euangelii doctores) aliquoties legatione inſtituta, doctrinae quidem harmoniam in praecipuis plerisque omnibus capitibus deprehenderunt, ordinis vero et diſciplinae ſtrictioris laudem prae aliis re-

por

portarunt; quemadmodum Lutheri et aliorum, quae extant ad fratres, vel de fratribus, epiſtolae, teſtantur.

Quamuis autem peroptaſſent cum ceteris Eccleſiis, in Germania et alibi reformatis, plane vnum fieri: quia tamen inter easdem diſſidia oriri varia cernebant, a partium ſtudiis abſtinendum ſibi, amicitia Chriſtiana cum vtrisque retenta, cenſuerunt: ſuorum interim coetuum curam (quod praeſertim Diſciplinam attinet) tanto ſollicitius gerentes, quando plus animaduerterunt Diſciplinae neglectu, aut languore, contentiones illas potiſſimum inualuiſſe.

Poſtea vero, cum bello Schmalcaldico ſuperati fuiſſent proteſtantes in Germania, Ferdinandusque Bohemos etiam ſuos (vtpote Proteſtantium foederatos) ad poenam traheret, confiſcatis nonnullorum procerum bonis eccleſias Fratrum ex iſtis locis eiecit, Regnoq; proſcripſit, anno 1548. Qui terno agmine in maiorem Poloniam et Borusſiam delati, ibi quoque Euangelii doctrinam ſparſerunt, Eccleſiasque nonnullas fundarunt.

Tandem cum anno 1609. Proceres Bohemi, impetrata a RODOLPHO Imperatore religionis libertate, omnes Euangelicas diuerſorum rituum Eccleſias, ad Syncretismum redigere tentarent, iusſi ſunt FRATRVM patroni et antiſtites exhibere: *Quidnam prae reliquis peculiare haberent, praeſertim quod ad diſciplinam et ordinem. Exhibuerunt itaque ſequentem ſeriem:* quae cum approbaretur, nec tamen Eccleſiae ad eam formam redigi tum poſſe putarentur, indultum eſt Fratribus (ad commune regni conſiſtorium alioqui receptis) ſuam retinere diſciplinae ac ordinis formam, *donec perfectius aliquid, quod omnibus pariter inſeruiret, offerret DEVS.*

Vt ne autem quid praetermitteretur interim, quod ad conſtantem ordinis eius boni obſeruationem videretur facturum, certiusque praecaueretur elangueſcentia, quæ vel ſenſim contingere (amota vigili in talibus prouidentia) ſolet: conſignatio illa, et velut in tabulas redactio, in Synodo generali Zerawicii Morauorum (an. 1616.) reuiſa, completa, totique miniſterio ad relegendum, gnauiterque ſecundum omnia perpenſandum, oblata fuit. Quod cum ageretur, comprobata ea fuit ab omnibus, praeſentiumque e Bohemia, Morauia, Polonia Seniorum, atque Conſeniorum ſubſcriptionibus con-

Digitized by Google

firmata: non ſolum vt certior extaret rei huius ad poſteros memoria, ſed vt arctior quoque euaderet ſingulorum, ad ſedulam iſtorum per caritatem mutuam obſeruationem, obligatio.

Ac quoniam nec deerant deinceps, qui eandem conſignationem luci dari poſtularent, exterorumque piorum deſideria in Eccleſiis nonnullis id depoſcere intelligebantur: ſtatutum fuit tandem in Synodo, quae a diſperſa fraternitate Leſnae Polonorum celebrabatur An. 1632. vt typis exſcriberetur. Videbatur quidem iſtis temporibus iam alia quadam diſciplina nos concaſtigare Deus (procul dubio ob deſitam inter nos quoque caritatem primam, remiſſumque feruorem priſtinum, Apocal. II. 4. non tamen conuenire iudicatum eſt, vt negligentia quadam noſtra in oblivionem abiret, et tenebris velut ſepeliretur, quod ſemel ſancta conſideratione a maioribus conſtitutum, neque etiam ſine profectu pietatis hactenus vſurpatum erat cogitationes potius eo conferre decuit, *vt reconcinetur, quod luxatum eſt, euiteturque totalis diſtortio, ſanitas autem potius reſtauretur*, Hebr. XII. 13. Quod vt inter nos, pariterque vniuerſos Chriſti fideles, confiat, ſua nos coeleſti gratia Deus, et renouare, et confirmare dignetur, ob ſacroſancti nominis ſui gloriam, Amen.

Seniores et Miniſtri
Vnitatis Fratrum.

OR-

ORDO ECCLESIASTICVS *IN VNITATE FRATRVM BOHEMORVM.*

NVLLAM hominum ſocietatem, *regnum, ciuitatem, domum*, imo nullam creatam rem citra *ordinem* certum conſiſtere poſſe, ſed illico labefactari, nutare, labi omnia, totius vniuerſi exemplis conſtat ſatis (a) nec igitur Eccleſia, quae *domus eſt Dei*, 1. Timot. III. 15. et *ciuitas magni regis*, Pſalm. XLIIX. 3. et *regnum Dei*, Matth. XX. 1. niſi ordine certo conſtare poteſt (b) Hinc Apoſtolus: *Omnia decenter et ſecundum ordinem fiant*, 1. Cor. XIV. 40. Qui ordo etiamſi non in omnibus Eccleſiis vnus idemque ſeruari poſſit, certum tamen eſt, *vnamquamque particularem Eccleſiam, quo plus ordinis habet, eo firmius ſtare, eo iucundius florere.* Atque hac conſideratione moti primi vnitatis noſtrae fundatores (c) cum ſe ab idololatris ſeparaſſent, non id ſolum egerunt (quamuis primario) *vt doctrinae puritatem, et vitae chriſtianae ſimplicitatem, reſtituerent: ſed etiam, ordinis vinculo vtrumque illud in ſe, et ſe in vtroque illo, firmarent.* (d) Diſpoſuerunt igitur, Deo auxiliante, *tum ſe ipſos, ad ſanctam illam ſocietatem, tum res ad purum Dei cultum, Eccleſiaeque aedificationem, ſpectantes:* quam optime vel ad apoſtolicae et primitiuae Eccleſiae formam poterant, vel praeſens tum in perſecutionibus conſtitutae Eccleſiae ſtatus permittebat (e) quod enarraturi modo in ſeptem tribuemus capita.

I. Primo exhibebitur ordo totius Vnitatis in genere.
II. Ordo Miniſtrorum et Synodorum.
III, Ordo Miniſterii, ſeu modus Sacra miniſtrandi publice.
IV. Ordo Miniſtrorum domeſticus: ſiue Vitae priuatae Miniſtrorum ratio.

V. Ordo

V. Ordo Auditorum priuatus.

VI. Ordo viſitationum : ſiue inſpectionis ſuperiorum ad inferiores.

VII. Ordo diſciplinae, qua veluti vinculo iſta omnia continentur.

CAP. I.

DE ORDINE TOTIVS VNITATIS IN GENERE.

ORdo vnitatis fratrum in genere eſt tum *rerum*, ad Sacrum Dei cultum pertinentium, certa iuxta Dei verbum diſtinctio; tum *perſonarum*, in congregatione iſta vnanimiter DEO ſeruientium, diſcretio, certisque officiis erga ſe inuicem connexio atque colligatio.

ORDO RERVM.

CVm fratres omnia viderent confuſa, nec diſtinguere quemquam inter *neceſſaria* et *non-neceſſaria*, aut ſaltem inter *magis et minus neceſſaria*, et quod peius erat, negligi a plerisque *fundamentalia ſalutis*, tractari *ſuperficialia*: coeperunt *rerum in Chriſtianismo* concurrentium diſcrimen tradere, Ier. XV. 19. Oſe. IIX. 12. Matt. VII. 9. Gal. IV. 10. (A)

Eſſe videlicet in Chriſtianismo

quaedam { *Eſſentialia*, *Miniſterialia*. *Accidentalia*. }

ESSENTIALIA Chriſtianiſmi vocarunt illa, in quibus hominum ſalus immediate ſita eſt: nempe *ex parte Dei, gratia Dei Patris, meritum Chriſti, et ſpiritus ſancti dona*: ex *parte* vero noſtra *fides*, *caritas*, *et ſpes*, Per *fidem* intelligendo beneficiorum Dei agnitionem, et priuatim ſibi factam applicationem. Per *caritatem*, flagrans redan[...]i DEVM

VM, et per omnia ei obſequendi, ſtudium. Per *ſpem*, in vtroque illo perſeuerandi, atque ita fidei finem aſſequendi, immotam fiduciam. Absque his neminem ſaluari poſſe docuerunt. (B)

MINISTERIALIA vero Chriſtianiſmi, eſſe diuinitus Eccleſiae data media, per quae *gratia Dei Patris, meritum Chriſti, Spiritusque Sancti operatio*, nobis innoteſcunt et conferuntur: id eſt, per quae in nobis *fides, caritas, et ſpes*, accenduntur, fouentur, roborantur. Nempe *Verbum Dei, Claues, et Sacramenta. Verbum* enim *DEI* eſſentialia illa nobis reuelat Pſalm. XIX. 12. *Claues* aſſignant, Ioan. XX. 22. *Sacramenta* obſignant, Rom. IV. 11. Ideoque *miniſterium Eccleſiae* docent eſſe neceſſarium, non propter ſe, ſed propter illa eſſentialia. Nec aliud in *miniſterio*, et per illud, quaerendum, quam vt *fides* reddatur quam puriſſima; *caritas* quam flagrantiſſima; *ſpes* quam tenaciſſima, in vita et morte, omnibusque tentationibus, miſericordiae DEI inhaerens indiſſolubiliter.

ACCIDENTALIA vero Chriſtianiſmi appellabant (quae alii Adiaphora) ea, quae tempus, locum, modumque miniſterialia illa vſurpandi concernunt, id eſt, *ceremonias ritusque religionis externos*. Quae putarunt pro libertate et prudentia chriſtiana ita eſſe vſurpanda, vt nonſolum non officiant *fidei, caritati, ſpei* (ab illis nempe abducendo, aut eas obſcurando: quod vtrumque Idololatricae et ſuperſtitioſae ceremoniae faciunt:) ſed magis vt illuſtrandis et inculcandis illis inſeruiant, Rom. XIV. per totum 1. Cor. XIV. per totum, Col. II. 16. et alibi.

Atque circa haec potiſſimum verſatur vnitatis noſtrae ordo. *Eſſentialia* enim et *miniſterialia* communia habemus cum vniuerſis Chriſtianis, modo ſua bona norint, et ſatis diſtincte intelligant, Rom. X 12. Eph. IV. v. 3. 4. 5. 6. *In Accidentalibus* aliquid ab aliis forſan diuerſum, non tamen aliunde, quam e diuina in Scripturis varie indigitata ordinatione, primitiuaeque Eccleſiae exemplis, deducta (c) Quae qualia ſint, et an ſatis fini ſuo reſpondeant, in conſpectu Eccleſiae (non ſalutis cardinem, ſed meliorem, et aedificationi commodius inſeruientem ordinem, quod ipſa praxis nos docuit, in iis collocantes) explicamus. Neque enim tam pertinaciter iſta tuemur, vt non (ſi vtiliora offerantur) cedere ſimus parati, Philip. III. 15. 16. et 1. Teſſal. V. 21. ſed neque ob leues cauſas quidquam mutare aequum putamus, 1. Cor.

XI.2. Vnde eſt, vt nemini apud nos liceat, vel *nouos ſenſus* aut *opiniones* introducere, vel *inſuetas ceremonias* inchoare, *libros ſcribere* aut *edere*, niſi praeuia examinatione, et communi omnium conſenſu. (D)

ORDO PERSONARVM PRIMVM IN POPVLO.

P*Erſonarum ordo* eſt talis omnium diſcriminatio, vt vnusquisque ſuo conſtitutus loco, cui praeſit aut ſubſit, et qualem huic aut illi reſpectum aut curam debeat, exacte nouerit: tam in *populo*, quam in *miniſtris*. (E.)

Populum, ſeu auditores, ſuos, maiores noſtri (relicto naturali et politico regimine in vigore ſuo, nimirum vt mariti vxoribus, parentes liberis, heri famulitio, magiſtratus ſubditis praeeſſent) trifariam iuxta gradus laborum, circa illos inſtituendos, partiri ſoliti ſunt:

nempe in { *Incipientes*, *Proficientes*; *et* *Perfectos*, ſiue *ad perfectionem tendentes* } vide Hebr. V. 13. 1. Cor. II. 6. et Iſid. lib. 2. Eccleſ. cap. 21.

(F)

Incipientes, ſiue initiales, ſunt, qui *Catecheſin et prima religionis elementa diſcunt*: vt ſunt pueri, paſtorum iam curae a parentibus traditi. Nec non adulti ab Idololatris accedentes, vel alias neglecti: qui, ſi Miniſtrorum inter Fratres curae ſe permittunt, inſtitui prius probarique ſolent, Hebr. V. verſ. 11. 12. 13. 14.

Proficientes ſunt, qui religionis elementa iam edocti, in paſtoralem curam ſuſcepti, ad omnium in Eccleſia myſteriorum participationem admiſſi, magis magisque in agnitione voluntatis Dei, eiusque practica obſeruatione, ſe exercent: atque ſic in Eccleſiae ordine ſe continentes, ſanctificationem ſuam cuſtodiunt, 2. Cor. VII. 1. Hebr. VI. 1. (G.)

Perfectos appellarunt rerum diuinarum cognitione notabiliter auctos, inque *fide, caritate et ſpe*, adeo roboratos, vt alios iam quoque illumina-

luminare, illisque in ordine continendis praefici poſſent, Rom. XV. 14. 1. Cor. II. verſ. 6. Phil. III. 15.

Ex his enim eligi ſolent:

I. Presbyteri, ſeu cenſores morum.

II. Eleemoſynarum Curatores.

III. Aediles.

PRESBYTERI.

(H.)

SVnt honeſti, graues, pii, e toto coetu eo fine delecti viri, vt ceterorum omnium conſeruationi attendant. Quibus alios (in quibus exorbitantiae aliquid animaduertitur) commonendi, increpandi; diſſidentes item reconciliandi; et quamcunque ataxian notauerint in ordinem religendi (ſiue ſolis ſiue cum paſtore, auxiliatores dati ſunt) poteſtas datur.

Nec non in rebus externis, rem domeſticam concernentibus, iuniores viri et adoleſcentes horum conſilia exquirere, et ab ipſis fideliter inſtrui ſolent. Id quod exemplis et praxi *antiquae Eccleſiae* omnino fieri debere credimus. Videatur Exod. XIIX. verſ. 21. Deut. I. v. 13. 1. Cor. VI. v. 2. 4. 5. 1. Tim. V. 17. (I.)

Similiter e muliebri ſexu honeſtae, prudentes, graues matronae, attendendum feminis eliguntur, ſimilique poteſtate inſtruuntur. (K.) Vide Rom. XVI. vlt. 1. Tim. V. v. 2. 9. 10. Tit. II. 3. 4.

ELEEMOSYNARII.

ELEEMOSYNARII ſunt viri prudentes, virtute ac fide conſpicui, quibus gazophylacii (quo vnusquisque auditorum quoties vult immittit aliquid, ne quod dextra facit ſiniſtra ſciat.) Matth. VI. v. 3. cura committitur: vt quoties opus nummos eximant, libris inſcribant, et in pauperes (paſtore tamen conſcio) erogent. Quantum enim fieri poteſt mendicitatem noſtrorum praecauemus, mandato nimirum DEI, Deut

Digitized by Google

XV.47. Rom. XII. v. 8. Officii quoque ipſorum eſt orphanis, viduis, aegrotis, pro Euangelio exulibus, ne omni ope deſtituantur, prouidere.

AEDILES.

AEDILES, ſunt viri honeſti, quibus aedium ſacrarum, et quas miniſtri inhabitant, cura committitur. Ideo et collectas, quater anno fieri ſolitas, ad ſe recipiunt, 2. Reg. XII. verſ. 13 quantum quisque confert nominatim conſignant, in aedificiorum reparationes, alioſque templi vſus, erogant: tandemque acceptorum et expenſorum rationem ſemel anno Eccleſiae reddunt. Vbi et ordinarie (cum operoſius ſit hoc munus) dimitti, aliique ipſorum loco eligi, ſolent.

Hic eſt inter auditores fratrum ordo: cui non *inviti* ſubiecti ſunt ii omnes, vtpote quem ex verbo DEI, et experientia propria, aedificationi accommodum eſſe ſciunt. Nec ſe quisquam in vllam functionem ingerit, vt ob id contemni poſſit: Sed quisque a coetu toto legitime electus, tam cofidenter prouinciam in ſe recipit, quam ad eum confidenter alii transferunt.

ORDO MINISTRORVM IN VNITATE FRATRVM

MInistri Eccleſiae nobis ſunt *ſacerdotes ſeu Eccleſiarum paſtores*, pro Chriſto legatione fungentes ad populum, 2. Cor. V. v. 20. Quorum officium eſt, *Verbum*, *Claues*, et *Sacramenta* adminiſtrare.

(A Sacerdotum appellatione fratres non abhorrent, quatenus ea vox ſacris dicatam perſonam denotat, non ſacrificum. Sed Bohemica vox, *Knez*, molior eſt, populi praepoſitum ſonans; ſicuti et vicina *Knize*, principem ſecularem: quemadmodum nempe Hebraica *Cohen*, et ſacerdotem et principem politicum ſonat. Quia tamen latina voce *ſacerdos* alios offendi non ignorant, abſtinent plerunque, et cum illis Eccleſiae appellant. Hic tamen, vbi miniſtrorum gradus recenſentur, diſtincta appellatione opus eſt.)

Digitized by Google

Ab his ſacerdotibus ſuis maiores noſtri, neque linguarum, neque philoſophiae cognitionem (praeſertim cum id in Scholarum defectu eſſe non poſſet) requirere ſoliti ſunt. Sed ſi quem enutritum verbis fidei, ad docendum aptum, ſobrium, prudentem, et quae praeterea in miniſtro Eccleſiae requirit Apoſtolicus canon, 1. Timoth. III. & Tit. I. viderunt, eo contenti pro veris Chriſti legatis agnoſcebant. Quod etiam *D. Lutherus* collaudauit, ſuadens nihilominus, vt quantum poſſent linguarum adiungerent ſtudium: quemadmodum ex eo tempore, quantum potuit, fieri conſueuit. (L.)

Iſti habent ſub ſe nouellos, Eccleſiae miniſterio deſtinatos adiutores ſuos: ſupra ſe autem, ad ordinis cuſtodiam, *Epiſcopos* ſeu *Antiſtites* ſuos. Quos ſub ſe habent et fouent, ſunt *Acoluthi et Diaconi,* (M.)

ACOLVTHI.

ACOLVTHI, ſunt adoleſcentuli a Paſtoribus Eccleſiarum in domeſticam ſocietatem, eo fine vt in futurum Eccleſiae vſum litteris et moribus diligentius quam apud parentes, vel alibi, inſtruantur, admiſſi. Sic etenim Samuel apud Eli, 1. Sam. III. 1. Eliſaeus apud Eliam, 2. Reg. IV. 38. et turba filiorum Prophetarum apud Seniores ſuos, 2. Reg. IV. 20. exerceri ſoliti ſunt. Sic et Chriſtus diſcipulos, antequam illis miniſterium concrediſſet, apud ſe fouit et exercitauit. Sic Paulus Timotheum, Titum, Lucam, pediſſequos et comites habuit: vnde et ἀκολουθία ipſis expreſſe tribuitur, Luc. I. v. 3. 1. Timoth. IV. v. 6. 2. Timoth. III. v. 10. in Graeco nimirum textu in euidentiam habet. Atque hinc eſt, quod iam inde ab Apoſtolicis temporibus gradus iſte in Eccleſia vſurpatus fuerit. De quo videatur Cyprian. lib. III. Epiſt. XXIII. et Conciliorum canones.

Dant autem Acoluthis ſuis Fratres haec officia.

1. Supra ceteram iuuentutem compoſite, modeſte, pie ſeſe gerendo, in obſequio et ſpontanea DEO et Eccleſiae ſeruitute ala-

Digitized by Google

critati, atque ita manſuetudine, diſcipulis dignae, adſueſcere, 2. Tim. III. verſ. 10. 14.

2. In Theologiae rudimentis exerceri, legendo et memoriae mandando Catecheſin maiorem, Euangelia, Epiſtolasque breuiores ad Timotheum, Titum, Petri. Pſalmos item et Hymnos ſpirituales, 2. Timoth. III. verſ. 15.

3. Demandatur ipſis ad preces domi textus ſacri praelectio: quandoque etiam ex eodem textu ad easdem preces exhortatio; idque tum ad experiendum, qualem Deus ad docendum in vno quoque aptitudinem depoſuerit; tum ad acquirendam paulatim in Deo parrheſiam, qua ſuo tempore in Eccleſiae conſpectu opus erit, Luc. I. 4. Officii ipſorum eſt, ad concionem populum (ſicubi non aliter prouiſum eſt) campanarum pulſu conuocare, templum aperire et claudere, lumina (in antelucanis congregationibus) curare: atque ita inferioribus iſtis Eccleſiae miniſtrare, 1. Sam. III. 1.

4. Liberos Chriſtianorum in ſcholis catecheſin docere, Act. XIIX. 25. 26.

5. Praepoſitos ſuos peregre abeuntes comitari; tum miniſterii cauſa, tum vero vt ipſis honeſtae vbique vitae teſtes ſint, adeoque ipſi honeſtati vbique adſueſcant, 2. Tim. IV. verſ. 11. et II. v. 3.

6, Neceſſitatis tempore demandatur ipſis quoque in minori Coetu ſacri textus, cum commentario aliquo, praelectio; vel etiam (ſi poſſunt) memoriter habenda conciuncula, preceſque. Quod et ipſum pii auditores pie admittunt. (N.)

DIACONI.

DIACONI ſunt adultiores Acoluthi, futuro miniſterio iam iam ſeſe praeparantes. Hos fratrum miniſtri pro adminiſtris, ſiue adiutoribus, habent, Apoſtolorum exemplo, Act. VI. v. 2. et Philipp. I. 1. Quamuis enim ab Apoſtolis primario ad menſarum miniſteria ordinati erant; conſtat tamen et praedicaſſe ipſos, et baptizaſſe (vt Stephanus, Act. VI. 10. et Philippus Act. IIX. 5. 12. 35. 38.) et ad gradum ſuperiorem, Miniſterii nempe ſeu Presbyterii, promotos fuiſſe, 1. Timoth. III. 13. Itaque

que gradus hic Diaconatus in primitiua Eccleſia conſtanter fuit ſeruatus: vt ex conciliorum Canonibus patet. Quem proinde, etiamſi ab Antichriſto cum ceteris in abuſum tractus ſit, ab Eccleſia eliminari non conuenit.

Aſſignant vero Diaconis ſuis Fratres officii loco.

1. Conſtanter et fervide ſacro-ſanctae Theologiae ſtudio incumbere, et digne miniſterio ſeſe praeparare, 1. Timoth. III. verſ. 13.
2. Pubem in Eccleſia et Schola religionis fundamenta docere.
3. In concionibus ad populum habendis exerceri.
4. Baptismum, quoties mandauerit Paſtor, miniſtrare. Nam et Chriſtus diſcipulis ſuis, antequam Claues Regni coelorum commiſiſſet, Baptismum permittebat, Ioh. IV. 2. Sicut et Petrus diſcipulis ſuis, Act. X. 48. Apoſtolorum vero Diaconos Baptisma peregiſſe, iam oſtendimus.
5. Quoties frequentiori coetu ſacra Coena adminiſtratur, nec ſufficientes adſunt Miniſtri, adhibentur etiam Diaconi ad diſtribuendum, nonſolum calicem, ſed et panem: ita tamen, vt non niſi Miniſter, Clauium poteſtatem habens, abſolutionem populo annuntiet, et verba inſtitutionis ſolemniter praemittat. (O.)

Atque iſti ſunt *Miniſtrorum adiutores*, Acoluthi et Diaconi. *Praepoſiti Miniſtrorum*, ceu vigiles et ſpeculatores, ſunt *Epiſcopi et Coepiſcopi*, ſeu *Seniores et conſeniores*: qui iunctim conſtituunt *Senatum Eccleſiaſticum*, ſiue vt alii loquuntur *Conſiſtorium Vnitatis*. (P.)

DE ANTISTITIBVS SEV SENIORIBVS.

ANTISTES, ſeu Epiſcopus, nobis eſt perſona aetate ac donis DEI conſpicua, ad ordinis in tota Vnitate cuſtodiam omnium miniſtrorum ſuffragiis electa, ſolenni ordinationis ritu confirmata, et ſic auctoritate publica munita; vt omnes reliqui, ſuo quisque loco, officium faciant, opus-

que DEI ſine ſcandalis et confuſione vbique procedat, attendens, Act. XX. 28. 1. Pet. V. 1. Concil. Carthag. 4. (Q.) Tales Epiſcopi *quatuor*, *quinque*, *ſex* (prout neceſſitas poſtulauerit) conſtitui; et vnicuique ſuo *Dioeceſis*, ſiue *certus Eccleſiarum et Paſtorum numerus*, aſſignari ſolent, 2. Corint. X. 13. vſque ad 16. Gal. II. 9. (R.)

Dignitas vero eorum prae ceteris Miniſtris, non in honorum aut redituum, ſed laborum, et pro aliis curarum, praerogatiua fundatur. *Qui maior eſt inter vos ſit tanquam minor, et qui praecedit tanquam miniſtrator*, inquit Chriſtus, Matth. XXIII. 11. Marc X. 44. Luc. XXII. 26. Et iuxta Apoſtolorum canones, *Presbyter et Epiſcopus* vnum idemque ſunt: niſi quod *Epiſcopus Inſpectorem*, ſiue *Superintendentem, ſignificat*. Ideoque Epiſcopi vnitatis inter ſe quoque pari honore ſunt: excepto quod vnus eorum ordinis cauſa praeſideat. Omnes hi electi et conſtituti ſemel, per vitae dies in officio (niſi quis minus digne ſe gerat) relinquuntur. (S.)

COMMVNIA ANTISTITVM officia haec ſunt.

1. Sinceritati doctrinae, diſciplinaeque vigori, attendere per totam Vnitatem: idque mandato Chriſti, qui ſeruis ſuis poteſtatem dedit, et cuique opus ſuum, *Ianitori vero praecepit, vt vigilet*, Marc. XIII. 34.

2. Prouidere, vt bonae indolis adoleſcentes in futurum Eccleſiae vſum diligenter exerceantur: quemadmodum Prophetae filios, et Gamaliel ſecus pedes ſuos Paulum, erudiere, Act. XXII. 3. (T.)

3. Acoluthos, Diaconos, Miniſtros et Conſeniores, ad gradus ſuos ordinare, Tit. I. 5. (V.)

4. Curam habere fidelem omnium Miniſtrorum, Diaconorum, Acoluthorum, Viduarum et Orphanorum, in ſua Dioeceſi.

5. Catalogos Eccleſiarum ſuae Dioeceſeos habere, earundem neceſſitates, auditoreſque (ſaltem praecipuos) noſſe.

6. Decernere Eccleſiis paſtores idoneos, eoſque pro neceſſitatis ratione (non tamen inſciis Co-Epiſcopis) mutare. (W.)

7. Eccle-

7. Eccleſias ſuae Dioeceſeos ſingulis annis viſitare (de quo ſuo loco infra.)

8. Miniſtros et Paſtores officium praetergredientes corripere (Excomunicatio vero miniſtri non niſi toti Synodo competit: *Omnia ſecundum poteſtatem, quam dedit Dominus in aedificationem, non in deſtructionem*, 2. Cor. XIII. verſ. 10.)

9. Si quid perſecutionis aut periculi (ſiue toti Vnitati, ſiue alicui Eccleſiae, ſiue perſonis certis) immineat, attendere quomodo diſcrimini obuiam iri, aut ſaltem periclitantibus ſolatii et confortationis aliquid ſubmitti, poſſit, Act. XX. verſ. 27.

10. Tenetur quisque antiſtes Vnitatis Bibliothecam curare, librisque vtilibus, quoad eius fieri poteſt, augere.

11. Typographei Vnitatis cura omnibus ex aequo incumbit: inſpectio vero eiusdem proxime adhabitanti.

12. Et quia abſolutum agendi arbitrium periculoſe vni aut paucis permittitur, tenetur quisque illorum, non ſolum collegarum, ſed et Conſeniorum iudicio ſubeſſe, admonitionemque, conſilium et increpationem, admittere. Inde ſi quidem, tanquam a legitimo iudicio DEI, non eſt appellatio niſi ad Synodum generalem; a qua prouocare non licet, niſi ad eum qui diiudicandi poteſtatem dedit Eccleſiae. (X.)

OFFICIA PRAESIDIS.

VNus inter Epiſcopos PRAESIDIS fungitur officio (Y.) *cuius munia* ſunt,

1. Quoties opus cenſet ſenatum Eccleſiaſticum conſcribere; conſciis tamen et conſentientibus collegis.

2. Congregatis conuentus cauſa indicata, et quam incertae ſint absque DEI ope mortalium cogitationes, commonefactione praemiſſa, ad preces inflammare, eoque ſubſequentes operas conſecrare.

3. Inquirere num præcedentis Synodi, aut Conuentus, decreta in effectum deducta ſint. Tum proponere in hoc Conuentu agenda: et vt quisque quod deliberandum putet proponat, rogare:

conſignante illico *Propoſitiones* omnes *Notario*. Mox ſinguli ſententias ex ordine (a iunioribus facto initio) dicunt. Praeſes autem colligit, ponderat, et quo rationum momenta inclinant eo concluſionem dirigit: quae a Notario decretis inſcribitur. (Z.)

4. Synodum item generalem, cum opus eſt, indicere; ad prouidendum de neceſſitatibus externis aliquos conſtituere; inque Synodo totius boni ordinis primum eſſe ducem, Praeſidis eſt.

NOTARII VNITATIS OFFICIA.

E Senioribus *uni Notariatus* concredi ſolet. Cuius officia ſunt,

1. Acta Synodalia in monumenta referre.
2. Vnitatis acta et ſcripta optime cognita habere.
3. In ſcripta ab aduerſariis emiſſa attendere, atque ſi reſponſio opus ſit, et mandatum a Senatu fuerit reſponſa conſcribere, Senatusque cenſurae ſubmittere.
4. Si quem in vnitatis ſcriptis defectum animaduertit, Senatum commonefacere, et pro vnanimi deliberationis antegreſſae ſtatuto ſupplere
5. Ne quid a quoquam in vnitate priuato auſu edatur, attendere. Verbo, omnium editorum et edendorum librorum cauſas et rationes noſſe.

CONSENIORVM OFFICIA.

Singulis Senioribus bini aut terni adduntur auxilii loco Conſeniores: quos antiquitas Choepiſcopos vocabant. Horum officia ſunt:

1. Vna cum Senioribus Senatum Eccleſiaſticum, ſeu Conſiſtorium conſtituere.
2. Prae reliquis Miniſtris ordini bono vbique attendere: et quicquid correctione dignum vſquam notauerint, praepoſitum ſuum commonefacere.
3. Vt leges, ſtatuta, conſuetudineſque; laudabiles ab omni-

bus

bus obſeruentur, omnibus verbo et exemplo praeire, Phil.IV. 3. et 2.Tim.IV. 2.

4. De perſonis ad miniſterii gradus idoneis prouidere, Tit. I. 5.

5. Vbi, qua in re, et quomodo, Miniſtrorum et Adminiſtrorum quis vtiliter laborare poſſit, et quid proinde cuique committendum ſit, decernere, Act. XVI. 4.

6. Diſciplinam in miniſtros, vna cum Antiſtite ſuo, exercere.

7. Eccleſias cum eodem, vel abſque illo cum iuſſerit, et quas iuſſerit, viſitare.

8. Conuocatos ad ordinandum Acoluthos, Diaconos, Miniſtros examinare, examinatosque certo cum teſtimonio Senioribus ſiſtere. (1. Tim, III.10.)

9. In Paſtores vicinos diſtrictus ſui (praeſertim inſpectioni ſuae peculiariter commendatos) quomodo officium faciant attendere: vbi ſi quid leuioris exorbitantiae notauerint, ipſorum eſt id corrigere; de grauioribus vero et ſcandaloſis, Seniorem ipſum quantocyus edocere, 1. Theſſ. V. 14.

10. Conſiliorum arcana fideliter ſeruare, Prou. XX.19. (A a.)

CAP. II.

DE SYNODIS, ET ORDINATIONVM RITV.

GRaues ob cauſas (ad prouidendum nempe neceſſitatibus, ſiue totius Vnitatis, ſiue alicuius Dioeceſeos) *Synodus* celebrare ſolemus, vel *Generales* vel *Particulares*.

Generalis Synodus celebratur fere quouis triennii vel quadriennii ſpatio: vbi omnes Seniores et Con-Seniores, Paſtores et Miniſtri, aut etiam Diaconi et Acoluthi, imo et Eccleſiarum Patroni, (praeſertim viciniores) comparent. Idque,

1. Renouandae et confirmandae fraternae dilectionis et concordiae cauſa, 1. Cor. XVI. 14. 1. Petr. IV. 8.

2. Ad erigendum roborandumque omnium animos in opere Domini, Rom. I. 11. 12.

3. Ad redintegrandum ordinis et diſciplinae vigorem, ſi qua in

partelaxatio forte deprehendatur, vel metuenda veniat, 1. Cor. I.10. Eph.IV.10.

4. Aliquando etiam, vt exterminentur e miniſtrorum numero ſcandaloſi, aut rurſum ſolenniter recipiantur poenitentes.

5. Ad ordinandum Miniſtros, in quo gradu tum neceſſitas exigat. (Bb.)

Tales generales Synodi non vno certo in loco, ſed in diuerſis, tam in Morauia quam in Bohemia cogebantur (Polonia quia diſſita eſt, delegatos tantum ad Synodos mittebat: vt et ex Bohemia quandoque ad Polonorum synodos) hoc *ordine.* (Cc.)

1. Ad diem et locum deſtinatum comparent omnes vocati. (Dd)

2. Diuertit vnusquisque in locum pro ſe deſtinatum: id enim mature prouideri ſolet. (Ee.)

3. Sub veſperam ad datum Campanae ſignum conueniunt omnes in templum, dicuntur Deo gratiae, Senioresque paterne hoſpites ſalutant. (Ff.)

4. Coenatur inde iuxta menſarum et adminiſtrantium diſtributionem: (Gg.)idque (vt et ſequentibus diebus) modeſte cum timore Domini, piis et amicis colloquiis, Eph.IV.29. et V.4. E Conſeniorum vero numero emittuntur ad coordinandum omnes; vt et quotidie poſt ad viſendum et ſalutandum accumbentes. (Hh.)

5. Sequente mane a Seniorum vel Conſeniorum aliquo concio habetur, vt et aliis durante Synodo diebus: nec non pomeridianae et veſpertinae preces, cum commonefactione ſemper e ſcripturis, de eo quod communi aedificationi, aut rerum praeſenti ſtatui, ſeruiat. (Ii.)

6. Miniſtri toto die congregati manent in templo (quemadmodum et Diaconi atque Acoluthi ſuo loco) in materia a Senioribus oblata, occupati. (Kk.)

7. Seniores quoque in conſeſſu peculiari de miniſtrorum, Eccleſiarumue aut patronorum poſtulatis, aut quicquid in propoſitis eſt, deliberant et decernunt: in grandioribus negotiis tamen non absque Miniſtrorum conſenſu.

8. Quoties vacantem in Senatu locum expleri neceſſe eſt, praemiſſis

miſſis cum ieiunio precibus, omnes ſingulique ſuffragiis perſonas certas deſignant, et obſignatis ſchedulis Senioribus tradunt.

9. Requiruntur et e Diaconis perſonae Miniſterii gradu dignae: de quorum ſingulis Miniſtri, quicquid laudabile aut ſecus nouerunt, conſignant, et Senioribus transmittunt.

10. Teſtimonio laudabili ornati, examinantur a Senioribus et Con-Senioribus.

11. Fit ordinatio publice ad quemuis gradum: de quo infra.

12. Semper autem in generali Synodo Synaxis ſacra celebratur, Act.XX. 7. ad redintegrandam nimirum mutuam dilectionem et in Deo laetitiam. Vbi quotquot adſunt Miniſtri Eccleſiae, et Patroni, et populus fidelis, cum gaudio et exultatione communicant.

13. Sub Synodi finem adiunguntur variae exhortationes, Act. XX. 25. Ex. gratia. *Vt omnia in hac Synodo geſta in DEI gloriam, ſuamque aedificationem quisque dirigat: vt quisque in vocatione ſua, qua vocatus eſt, digne ambulet, bonoque exemplo omnibus quibus praeeſt, praeeat, ne qua parte blaſphemetur miniſterium.* Additis quandoque ſpecialibus, a vitiis et ſcandalis his vel illis, dehortationibus, cum intermixtis comminationibus, aut promiſſis diuinis. Tandem cum benedictione et gratiarum actione, comprecationibusque (vt in poſterum quoque halcyonia Eccleſiae concedat DEVS, opusque ſuum in gloriam ſuam feliciter procedere faciat) in pace dimittitur Synodus. Cum admonitione, vt in via pie, modeſte et concorditer, Gen. XLV. 24. ſe gerant omnes: domumque reuerſi Eccleſias et Patronos, domeſticosque ſuos, Seniorem nomine ſalutent, eiusque fidelem paſtoralem paternamque curam, et coram DEO in precibus memoriam, perpetuamque ſaluti eorum inſeruiendi promptitudinem, renuncient, Rom. XVI. per totum. Heb. XIII. Epheſ. I. 16. Phil. I. 3. 4. Coloſ. I. 3.

14. Acta Synodalia in futuram memoriam conſignantur: quorum exemplar Seniorum quisque penes ſe retinet.

Particulares Synodi cogi ſolent, minore Seniorum et Miniſtrorum numero, ob neceſſitates ſubitaneas, quae ad generalem Synodum dilationem non ferrent; vt etſi forſan non totius Vnitatis, ſed alicuius diſtrictus, aut certae Eccleſiae vel perſonae negotium concernitur. Cuiusque tamen Synodi particularis acta illico abſentibus

Digitized by Google

Episcopis, ſanctae unanimitatis ergo, communicantur. Sed quia in Synodis generalibus miniſtrorum ordinationes fiunt, de his, quo ritu fiant, dicendum eſt.

Eſt autem ordinatio { *I. Acoluthorum, II. Diaconorum, III. Miniſtrorum, IV. Conſeniorum, V. Seniorum.* }

ACOLVTHORVM ORDINATIO

PAſtorum quisque apud nos vnum, duos, tres, pluresue bonorum parentum pueros, apud ſe alere, et in ſpem Miniſterii educare, inſtituendumque curare, tenetur. E quibus adultiores, vt Miniſterii amore inardeſcant magis, ad Synodos aſſumuntur, ibique inſtituto examine (qui vlteriore cura et promotione digni videantur, et vt Eccleſiae obſtrictos ſe ſentiant) primo vocationis gradu ornantur: vt nempe vocentur Acoluthi. Horum *ordinatio* talis eſt.

1. Habetur de materia appoſita Concio: vt de *imitatione Chriſti*; de *vocatione ſeptuaginta diſcipulorum*; de *filiis Prophetarum &c.*

2. Provocantur nominatim ex ordine, et ſe in Eccleſiae conſpectum ſiſtunt.

3. Interrogantur coram tota Synodo, num ſe Eccleſiae vſibus conſecrare velint? num obſequia promittant?

4. Praeleguntur ipſis officia: de quibus ſupra.

5. Horum obſeruationem illi manu ſtipulata promittunt.

6. Priores Acoluthi dextrae porrectione in ſocietatem eos cooptant.

7. Omnia votis, benedictione, et cantu ſacro, concluduntur.

DIA-

Digitized by Google

DIACONORVM.
ORDINATIO.

D*Iaconi* ex Acoluthis adultioribus eliguntur, hoc modo.

1. Examinantur a Senioribus, num ſe totos, iam Chriſto et Eccleſiae dediderint, et quouſque in Theologiae ſtudio progreſſi ſint, 1. Tim. III 10. Luc. IX. 62.

2. Vocantur nominatim coram tota Synodo: atque hic officia ipſis, ex 1. Tim. III. v. 8. praeleguntur.

3. Illi Chriſto et Eccleſiae voto ſe obſtringunt,

4. Preces pro ipſis fiunt, ordinatorque manuum impoſitione eos confirmat, Act. VI. 6.

5. Offerunt noui Diaconi Senioribus et miniſtris obedientiae ſanctae; priores vero Diaconi illis ſocietatis, dextram.

6. Benedictione actus clauditur.

MINISTRORVM
ORDINATIO.

1.

CVm in Synodo Miniſtri ordinandi ſunt, Paſtor quisque Diaconum, aut Diaconos ſuos, ſecum aſſumpturus, indicat Eccleſiae ſuae, id eſt Presbyteris, ſeu morum cenſoribus: qui exaratis ad Synodum literis Diaconi ſui (aut Diaconorum) vitae et conuerſationis inque Concionatorio munere profectui, teſtimonium perhibent, et num gradu Miniſterii dignum exiſtiment, explicant. Solent etiam teſtimonia publica honeſtae progenerationis, vt omni ex parte inculpati ſint, requiri.

2. In Synodo ſequitur ordinandorum examen, idque triplex, 1. Tim. V. 22. Primo enim offeruntur ordinandorum nomina Miniſtrorum (in Templo congregatorum) cenſurae. Vbi de vnoquoque collecta teſtimonia, ſuffragiaque (pro illo vel contra illum) per delectos Notarios conſignata, Senioribus remittuntur.

Google

3. Secundum examen a Conſenioribus peragitur: qui ternis aut quaternis ſimul admiſsis, ſingulorum in Theologia profectus, quam enutriti ſint verbis fidei, 1. Tim. IV. v. 6. intentionis item ad ſeruiendum Chriſto et Eccleſiae puritatem 1. Tim. III. v. 3. aetatem denique et iudicii conſtantiam, 1. Tim. III. 6. explorant.

4. Ablegantur inde, qui digni videntur, ad conſcientiae examen, ſinguli ad Epiſcopos ſingulos: vbi maieſtate et grauitate muneris Paſtoralis propoſita, num conſcientia pura, 1. Tim. III. 9. absque omni lucri, honoris, et terreni emolumenti reſpectu, ſe Chriſto ſeruos tradant, interrogantur. Morum, ſi quid in quo minus laudabile eatenus obſeruatum fuit, correctio viuidis exhortationibus ſuadetur, 2. Tim. II. 14. Tit. I. 7. 8. Col. III. 8. in ſpem denique diuini auxilii variis conſolationibus eriguntur, 1. Ioan. III. 21. Heb. III. 1.

5. Poſtridie ad ordinationem venitur: praemiſſo tamen pridie eius diei ieiunio, ſolemnibusque pro neceſſitatibus Eccleſiae ſupplicationibus, Act. XIII. 2. 3.

6. Conuocata Synodo, et praemiſſo cantu, de officio Paſtorali concio habetur ſolemnis. Qua finita prodit, ordinator,

1. Praelegitque ſacrum aliquem textum.

2. Indicat toti congregationi perſonas quasdam ad S. S. Miniſterii functionem vocandas et confirmandas eſſe: et conuerſo ad ipſos candidatos ſermone, vt vocati in conſpectu Dei et Eccleſiae obſequenter ſe ſiſtant, admonet.

3. Mox Conſeniorum vnus prodit, ordinandorumque nomina e catalogo recenſet, qui ex ordine ſe ſiſtunt.

4. Quaerit ordinator, vtrum animum promptum ad miniſtrandum Chriſto Eccleſiaeque adferant.

5. Annuentibus illis modeſte, praeleguntur e Canone Apoſtolico ad ritum hunc conſecrandi facientia quaedam: vt Apoſtolicis veſtigiis inſiſti videntes, eo firmius de coeleſti vocatione perſuaſi reddantur, 1. Tim. III. 1. &c.

6. Pergit ordinator inquirere, vtrum tam ſublimi munere digni ſint, ne per ipſos opprobrii, aut dedecoris aliquid contrahat Eccleſia, 1. Tim. III. 7. Et tunc prodeunt e Conſenioribus duo, atque coram tota congregatione honeſte progenitos, ſana doctrina imbutos

vitae-

Digitized by Google

vitaeque inculpatae eſſe, dignosque quibus Euangeliſtarum munus committatur, conteſtantur.

7. Iubentur (flexis genibus) paſtorum principem Ieſum Chriſtum inuocare: moxque totus pariter coetus procumbens pro iisdem orat.

8. Officia muneris paſtoralis praeleguntur.

9. Illi ſe fidelitatis iuramento DEO et Eccleſiae obſtringuntur, perſeueraturos intra hos limites vſque ad finem.

10. Confirmantur manuum epiſcopalium (quotquot adfuerint) impoſitione, cum inuocatione ſuper iis nominis Chriſti, vt eos in cenſum ſeruorum fidelium cooptare, donisque Spiritus ſui implere dignetur. Conſenioribus interim, miniſtris, totoque populo, ſimul in genua procumbentibus, et *veni Sancte Spiritus*, &c. decantantibus.

11. Exhortationes nouis miniſtris ad labores, et in aduerſitatibus (quibus non carituri ſint) patientiam, fiunt, cum pollicitationibus aeterni, poſt labores fideliter exantlatos, praemii, 2. Tim. II. 3. Dan. XII. 3. 1. Petr. V. 4. Ad quod illi alacres, Senioribus et Conſenioribus obedientiae, miniſtris vero ſocietatis dextram (nec non diaconi obſeruantiae cauſa illis) offerunt, Galat. II. 9. 1. Pet. V. 5. Eccleſia interim, e centeſimo trigeſimo tertio Pſalmo compoſitum hymnum decantante.

12. Actus tandem ille ſynaxi ſacra omnium cum exultatione terminari ſolet.

DE INAVGVRATIONE MINISTRORVM.

ORdinati apud nos miniſtri, non inuolant in ſacrorum adminiſtrationem, vbi et quando vellent; ſed viſitationes mox a ſynodo per eas eccleſias, quae nouellos miniſtros habent, inſtituuntur. Vbi *viſitator*

1. Curam principis Paſtorum Chriſti de Eccleſia depraedicat, et ad gratam beneficii agnitionem exhortatur.

2. Docet N. N. legitime electum, vocatum, ordinatum eſſe, vt non ſeipſum ingeſſiſſe, Iere. XVII. 16. ſed vocatum accedere appareat: Populusque fidelis eos, vt operarios, quos Dominus emittit in meſſem ſuam, Matt. IX. 38. agnoſcat.

3. Indicat ſacri muneris primitias, in plenaria Clauium Chriſti et ſacrae coenae adminiſtratione, iam editurum; prodireque et alloqui Eccleſiam iubet.

4. Miniſter ille, poſtquam vocationem diuinam humiliter ſe ſequi confeſſus fuerit, precibusque Eccleſiae ſe commendarit, Epheſ. VI. 19. 20. in genua procumbit: vt et (viſitatore monente) Coetus omnis, precesque pro illo fiunt.

5. Erectis ad fiduciam de precibus exauditis omnibus: viſitator Miniſtrum manu prehenſum altari (ſeu ad menſam Domini) admouet, Librum ei Ritualem offert, adminiſtrationemque Clauium Chriſti et Sacramentorum auſpicari iubet: inſpectante, et plerumque illacrymante populo. (Hi enim ritus non neceſſitatis opinione, ſed ad adumbrandam quomodocunque Miniſterii dignitatem, excitandamque ad hanc Chriſti oeconomiam reuerentiam, retinentur.) (Pp.)

6. Peracta a Miniſtro nouo Synaxi, viſitator ei, et toti Eccleſiae, benedictionis denuntiatione actum concludit.

Neque tamen Miniſtris nouis Eccleſiae alicuius regimen totale committi ſolet illico, ſed relinquuntur vnius et alterius anni ſpacio Paſtoribus pro Colegis, donec ad conſcientiarum regimen confirmatiores euadant, vſusque alicuius Eccleſiae eorum operam poſcat. Quod ſi aliquis interea ad matrimonium honeſte ineundum animum applicet, id quoque non niſi de Seniorum conſilio et conſenſu fieri ſolet. (Qq.)

DE

DE RITV MINISTROS ECCLESIIS IN PASTORES PRAEFICIENDI.

CVm tempus eſt aliquem Eccleſiae Paſtorem praeficiendi (quemadmodum et cum paſtores pro re nata mutantur) fit iſtud hoc modo.

1. Nullus Magiſtratus apud nos, nec Eccleſia, Paſtores ſibi quaerunt aut vocant (quemadmodum nec miniſtri parochias aucupantur) ſed quo quis deſtinatur, eo ſe confert, Eccleſiaque illa eum Paſtorem ſuum agnoſcit. Quia nimirum Seniorum haec cura eſt, quali rectore Eccleſia quaeque indigeat, et vbi miniſter quisque opus Domini vtiliter peragere poſſit prouidere.

(Rr.)

2. Quotiescunque igitur nouus Paſtor Eccleſiae praeſentatur, peracta per eum concione viſitator prodit, et maturo Seniorum conſilio illum Eccleſiae huic paſtorem dari docet, ſuſcipi eum vt IESV CHRISTI ſeruum ſuadens, Phil. II. v. 29. Miniſtrum item ad faciendum ſtrenue officium, vigilandumque ſuper hunc concreditum ſibi gregem DOMINI, hortatur. Fit vtrinque proteſtatio, Paſtoris ad populum, et populi (per vnum e Presbyteris) ad Paſtorem; hic curam paſtoralem promittit, illi vt IESV CHRISTI miniſtro obſequium, Hebr. XIII. 17. Quod et ſtipulata presbyterorum manu, in conſpectu et nomine totius populi, firmatur: precibusque et benedictionis diuinae vtrimque voto omnia illa obſignantur.

3. Coetu ſacro dimiſſo deceſſor ſucceſſori *Auditorum Catalogum*, ſacramque et oeconomicam eius loci ſupellectilem, in viſitatoris et presbyterorum praeſentia tradit nec non de bonis externis, ſi quid diuidendum eſt, amice inter eos tranſigitur.

(Ss.)

Digitized by Google

QVIBVS IN REBVS MINISTRI SENIORVM SVORVM CONSILIA EXQVIRERE TENEANTVR.

ECcleſiae praefecto paſtori cuique poteſtas eſt *in gregem ſibi commiſſum*, omnium quae paſtoralis cura requirit: excepto quod

1. In magis arduis, caſibusque minus vſitatis (qui circa conſcientiarum regimen occupatis nonnunquam obueniunt) nihil inconſulto ſeniore agere iubentur: tum ne ſibi ſolis fidere conſueſcant, tum vt ad aedificandum validius ſit, quod plurium conſenſu agitur.

2. Extra etiam caſus eiusmodi, tenetur quisque paſtor ſeniorem ſuum de ſtatu ſuo, Eccleſiaeque ſuae, ſubinde certiorem facere (ad minimum intra ſemeſtre) ſiue coram, ſiue per litteras: quo nimirum is inſpectoris officio (quid vbiuis fiat non ignarus) rectius fungi poſſit.

3. Magiſtratuum aut miniſtrorum aliquo vita functo, ſenior quoque commonefieri ſolet, vt eiusdem iuſſu plures miniſtri cum conſeniorum aliquo, honeſtatis ergo, ad funus conuocari poſſint.

4. Et quia viſitationes (de quibus infra) aeſtate plerumque inſtituuntur, ſolet paſtorum quisque ante paſcha, pentecoſten, et in autumno, a ſeniore ſuo ſciſcitari, ipſene ſacram ſynaxin celebrare, an viſitatorum praeſentiam expectare debeat.

CONSENIORVM ORDINATIO.

QVoties Eccleſiae ſenatum redintegrari neceſſitas poſtulat, eliguntur e miniſtris, quotquot opus rerum prae ceteris gnari, pii, exemplaresque viri: idque per miniſtrorum

et

et conſeniorum ſuffragia. Quorum quisque vt hunc aut illum oneri parem exiſtimat, ita conſignatum (obſignata ſchedula) Senioribus tradit, vel ſi abſens eſt, mittit. Illi reſignatis ſchedulis, quos forte poſtulari vident, eos die ſequenti (praemiſſa de muneris huius fine, aliisue neceſſariis, e Scripturis admonitione) ad conſeniorum numerum ritu tali confirmant.

Euocati nominatim ſinguli in ſynodi conſpectu ſe ſiſtunt: an Deo et Eccleſiae vberiorem offerant et promittant operam interrogantur. Annuentibus, praeleguntur officia futuri muneris. Tum pro iis totius Eccleſiae preces fiunt: manusque eis imponantur. Mox illi Senioribus obſequii; Conſenioribus autem ſocietatis dextram offerunt, vt et miniſtri ceteri ad conteſtandam obedientiam, ipſis. Tandem benedictionis diuinae precatione coetus ſoluitur.

ANTISTITVM ORDINATIO.

SEniorum aliquo de mortuo quantocyus Synodus cogitur generalis: aut, ſi haec nuper adeo fuit habita, particularis. Conſeniores autem congregantur omnes, et mniſtrorum pars, reliquis ſuffragia mittentibus. (T t.) Ibi vero

1. Preces cum ieiunio, vnius diei praemittuntur: vt Devs rupturam explere, et quem elegerit oſtendere, dignetur, Amos.IX. 11. Act. I. 24.

2. Concione peculiari imago Epiſcopi boni e Scripturis proponitur, et vt omnes talem e medio ſui circumſpiciant (poſthabito alio quocunque reſpectu) admonentur.

3. Concione dimiſſa, conſignat ſuum quisque votum, tam miniſtri, quam Conſeniores et Seniores (non collatis tamen, nec communicatis ſententiis, ſed vna cuique dictante conſcientia) obſignataque conferunt in vnum.

Digitized by Google

4. Schedulas ſoli Seniores priuatim reſignant, et quem plurimorum votis peti vident, eum a DEO monſtrari firmiter credunt: nec tamen cuiquam reuelant. (Vu.)

5. Sequente demum die, congregato iterum coetu, et inuocata Spiritus ſancti gratia, ordinator in conſpectum progreſſus exauditas eſſe preces, Deumque quomodo expleri vellet lacunam Eccleſiae, iam oſtendiſſe, nuntiat.

6. Intentis omnibus, et quis ille futurus ſit expectantibus, admonet ordinator, vt quicunque fuerit nominatus, DEO vocanti obſequium ne deneget, ſed confidenter in DEI et Eccleſiae conſpectum ſe ſiſtat. Moxque Epiſcoporum alter prodiens, nominetenus ipſum euocat.

7. Vocatus igitur, ſiſtit ſe, interrogaturque; *an vocationem hanc vt vere vocationem Dei agnoſcat, et admittat? an Deo et Eccleſiae operam ſuam promte lubentique animo offerat?* Eſa. VI. 8.

8. Cum annuit; praeleguntur officia, ex Apoſtolico Canone.

6. Tum ille clara voce Deo et Eccleſiae ſe obligat, fideliter ſincere conſtanter, facturum officium.

10. Procidit totus coetus in genua, Deumque vt ratum habeat in coelis, quod nomine ſuo fit in terris, donaque ſeruo ſuo adaugeat, et ad tantum curarum onus Spiritu ſapientiae et roboris impleat, orant.

11. Mox (coetu adhuc procumpente, et *veni ſancte Spiritus*, decantante) Epiſcopi manuum impoſitione, et nominis diuini inuocatione, eum confirmant.

12. Ita ordinatione peracta Epiſcopi praeſentes Co-Epiſcopum iam ſuum dextrae ſocietatis oblatione, amplexuque mutuo in conſpectu totius Eccleſiae, ſibi cooptant: Conſeniores vero et miniſtri (abſentium quoque nomine) ſtipulata manu obſequia promittunt.

13. Tandem hymno ſacro cum gaudio et exultatione coetus ſoluitur. (X x.)

CAP.

CAP. III.

DE ORDINE MINISTERII, SIVE SACRA PVBLICE MINISTRANDI FORMA.

Proponetur hic vſitata nobis forma,

I. Verbum DEI praedicandi.
II. Baptiſmum miniſtrandi.
III. Ad curam Paſtoralem nouitios recipiendi.
IV. Sacram Synaxin celebrandi.
V. Coniuges nouos copulandi.
VI. Mortuos funerandi.
VII. Conſuetudines denique noſtrae circa dies feſtos, ieiunia, eleemoſynas.

ORDO CIRCA VERBI DIVINI PRAEDICATIONEM.

QVia verbum DEI praecipuam miniſterii partem eſſe conſtat, cui Sacramenta velut ſigilla ſolum annexa ſunt, Mar. XVI. 15. 1. Cor. I. 17. Rom. IV. 11. praecipua quoque Miniſtris Vnitatis eius docendi cura eſt, non diebus ſolum Dominicis, anniuerſariisque feſtiuitatibus, ſed et diebus profeſtis, et quoties occaſione funerum, connubiorum, vel alias, datur.

Diebus Dominicis (vt qui diuino cultui toti deſtinantur) quater populus ad verbum Dei audiendum coit, bis ante bis poſt meridiem. In prima concione explicantur delecti *textus Prophetici*: in ſecunda (quam magnam vocamus) *Euangelici*: in pomeridiana *Apoſtolici*; *veſpertina Biblia ſacra* ex ordine praeleguntur cum adiunctis doctri-

na-

narum obſeruationibus. Aeſtiuo etiam tempore (a Paſchate facto initio) additur quinta concio meridiana: vbi iuuentus congregatur, eorumque in gratiam *catechetica doctrina* populariſſime pertractatur, cum adiuncto ſingulorum examine. comparent tamen parentes quoque et alii; tum vt cibo refecti DEVM collaudent, tum vt liberorum et famulitii ſui inſtitutioni interſint. (A.)

Forma vero ſacros coetus agendi haec eſt. Congregato populo decantatur hymnus, vel cantilena ſacra: (in concione magna et pomeridiana etiam Pſalmus:) tum concionator e ſuggeſtu (praemiſſa ſeu oratione cum populo, ſeu voto ſolum) textum praelegit et explicat; reſpectu ſemper ad locum communem eius hebdomadae habito. Omnia enim *religionis capita* ita ſunt ad explicandum per dies dominicos diſpoſita, vt abſoluantur annuatim: quemadmodum editus eiusmodi *locorum communium, textuumque illis explicandis ſeruientium, cantionumque ſacrarum, index oſtendit.* Qui nimirum vnanimitati ea ratione per omnes Eccleſias ſeruandae concinnatus eſt, non autem vt legis inſtar ſit, a qua recedere non liceat: liberum enim eſt paſtori fideli, quoties neceſſitatem videt; ſiue textum ſacrum loco, tempori, perſonis et occaſionibus accommodatiorem, ſibi ſeligere; ſiue ex ordinariis textibus prudenter, ad quasuis doctrinas, dehortationes, conſolationes, digredi. Hoc potius legis inſtar eſt, vt concionum prolixitas vitetur, ad evitandum in auditoribus faſtidium. Ideo matutina concio non vltra horam, etiam cantu annumerato; quemadmodum et pomeridiana, profeſtique diei concio, protendi iubetur. In magna, Euangelico textui explicando hora datur: meridiana et veſpertina, non vltra horam mediam. Tandem vero concioni cuique ſubiungitur clauſulae loco oratio, benedictio, cantus. (B.)

Concione meridiana et pomeridiana finita, remanent adoleſcentes et puellae adultiores, examinanturque a concionatore (auxiliantibus ibi quidem e Presbyteris aliquo, hic autem matronis) quam attentos ſe ea die in audiendo verbo Dei praebuerint, quantumque obſeruauerit quisque. Per tempora vero quatrageſimae, feria quarta et ſexta, veſpertini quoque coetus coguntur, *ſalue* (a cantu, *ſalua*

ſalua nos Ieſu rex coeli) dicti, vbi myſterium redemptionis diligentius inculcatur, iuuentuti potiſſimum. (C.)

Forma autem verbum Dei praedicandi recepta nobis eſt ſimplex, absque humanae eloquentiae coloribus, phraſibus ſcripturae potiſſimum; *ad conſeruandam doctrinam ſanam et irreprehenſibilem, vt ſiſtatur in Chriſto Ieſu omnis homo in iis quae ad iuſtitiam perfectus, et ad omne opus bonum inſtructus*, 2.Cor.II.4. 1.Pet.IV.11. Tit.I.9.et II.7.2.Tim.III.17 Hinc maiores noſtri diſtincte habebant conciones, alias pro incipientibus, alias pro proficientibus, alias pro perfectis: alias item pro coelibibus, alias pro coniugibus ſeorſim. Quod fructu non caruiſſe, facile patet. (D.)

II.
BAPTISMATIS FORMA.

Baptiſmum ad exemplum primae Eccleſiae miniſtramus.

1. Fidelium liberi, aliquot poſt natiuitatem diebus, per baptiſmum Chriſto et Eccleſiae implantandi offeruntur, Gen.XVII. Marc.X.13.

2. Praelegitur ſacer textus:quandoquidem per verbum Dei et orationem ſanctificantur omnia, 1. Tim. IV. 5. inprimis ſacramenta. (E.)

3. Foedus gratiae ad fidelium ſemen quoque ſe extendere, demonſtratur, Gen. XVII. 19. Act. II. 39.

4. Eidem foederi publica fidei profeſſione ſubſcribunt parentes et ſuſceptores, infantis quoque ſui nomine, Act. IIX. 37.

5. Parentes a miniſtro interrogati, ſuſcipiunt aduocatos teſtes pro compatribus et commatribus,ius eis conferentes, prolis ſuae in fide et religione chriſtiana, totoque foederis cum Deo initi negotio, inſtituendae:adeoque ſui quoque, ſi negligentiores in officio libros inſtituendi fuerint deprehenſi, admonendi et increpandi. Viciſſim vero ſuſceptores illis promptitudinem ad eam rem pollicentur, et facturos ſe circa baptizandum (praeſertim ſi parentes decedere contingat) gnauiter officium, ſe ſe obligant. (F.)

6. Tum ad DEVM patrem conuerſi omnes, puero natiuae labis per ſanguinem Chriſti emundationem, per Spiritum Sanctum

Google

regenerationem, per baptiſmum internae huius gratiae obſignationem, et ad ſortem electorum cooptationem, exorant.

7. Prece finita, miniſter nomine puero indito, (ex parentum voluntate) baptizat illum ex Chriſti praeſcripto, *in nomen Patris, Filii et Spiritus Sancti*, aqua ſimplici et pura.

8. Tandem exhortatio fit ad parentes et ſuſceptores, vt obligationis ſuae memores, puerum tam diu & tam diligenter informent, donec pie educatum, et dextre inſtitutum, in conſpectu Eccleſiae cum laude ſiſtere, et paſtorali miniſtrorum curae commendare, poſſint. Voto denique diuinae benedictionis actus clauditur.

III.
FORMA NOVITIOS RECIPIENDI.

PAſtoralis miniſtrorum apud nos cura ad eos ſolum ſe extendit, qui bona voluntate vnitati eiusque ordini ſe ſubmittunt; paſtorumque curae ſeſe commendant: idque ad Apoſtoli praeſcriptum: *paſcite gregem DEI, qui in vobis eſt*, 1. Petr. V. 2. Vt igitur miniſtri qui ſibi proprie ſint commiſſi ſcire, maiorique parrheſia et fide circa eos, qui ſe ipſos fidei eorum commendarunt, verſari poſſint, vtiliter reintroductus eſt, iam a primaeua Eccleſia vſurpatus, nouitios recipiendi ritus. Apoſtoli ſiquidem eos recipiebant ſolum, *qui ſemet ipſos dabant primum Domino, deinde illis, per voluntatem DEI*, 2. Cor. IIX. 5. Ritus vero apud nos adhibentur, alii quidem in recipiendis adultis, aliunde venientibus: alii vero in recipiendis domi natis, baptizatis, et ad religionem chriſtianam ſic ſatis inſtitutis. (G.)

Adultos interrogamus. *Cur nobis ſe applicare deſiderent? an quod doctrinae veritate, ordinisque et diſciplinae vtilitate, omnino perſuaſi ſint?* ſi deprehendimus doctrinae noſtrae et diſciplinae gnarum, ſalutis fundamenta recte callentem, vita inculpatum, recipitur illico. Sin, differtur: vt tam ille nos ſibi reddat perſpectiores, quam nos ipſum nobis, 1. Ioann. IV 1. Rom. XII. 2. Recipiuntur vero tales non publice (niſi graues ſubſint cauſae) ſed priuatim, coram presbyterio.

Interrogaunturque adhuc,

1. *An*

Digitized by Google

1. *An promittant DEO in hac Eccleſia obſequium?* faciendo nempe omnem voluntatem DEI, vi foederis gratiae. (H.)

2. *An miniſtris etiam Eccleſiae, Chriſti loco, obedientiam praeſtare ſint parati?* relictis illis nimirum plena poteſtate ſui docendi, monendi, increpandi, caſtigandi? praeſertim in ſcandaloſis, ſi contingant, exceſſibus. (I)

3. *An compoſuerint animum ad ſubeundas* ignominias, perſecutionesque, *pro Chriſto et veritate eius?* quoniam *omnes in Chriſto Ieſu pie viuere volentes, perſecutiones pati neceſſe ſit,* Actor. XIV. 22. 2. Tim. III. 12.

4 Tum admonentur, *vt agnitae veritati ad mortem vſque adhaereant conſtanter,* Apoc. II. 10. Phil. III. 16. manuque ſtipulata ad obſequium (non miniſtro vt homini, ſed Chriſto eiusque verbo) receptis, poteſtas fit ſacrae cum aliis fidelibus communionis, et vt in omnibus conſcientiae neceſſitatibus ad paſtores ſuos confidenter confugiant. (K.)

Iuniores autem, religionis capita domi a parentibus et ſuſceptoribus vel a praeceptoribus in ſchola edocti, paſtorum curae traduntur publice in Eccleſia, ante S. coenae vſum (vſitatiſſime ſub tempus viſitationis a ſenioribus ipſis) hoc ritu.

1. Praeleguntur verba Chriſti: *venite ad me omnes, &c.* Matth. XI. 28. cum ſubiuncta breuiſſima exegeſi.

2. Pueri et puellae ad id deſtinati, et aliquoties prius a paſtore examinati, in medio Eccleſiae collocantur ordine.

3. Tum interrogantur, velintne foedus in baptiſmo cum Deo initum, renouare, Deut. XXIX. 10. &c. Ioſ. XXIV. 22. Iſa. XLIV. 5.

4. Annuentibus, foederis capita explicantur ad formam ab Apoſtolo praeſcriptam, Tit. II. 11. 12. 13. iubenturque illi aperte coram Eccleſia abrenuntiare ſatanae, mundo, carni, &c.

5. Repoſcitur ab eis fidei profeſſio: illi igitur ſymbolum Apoſtolicum clara voce omnes ſimul recitant.

6. Tum genibus flexis, miniſtro praeeunte, DEVM orant, vt delicta iuuentutis condonet, et ſe ad omne beneplacitum voluntatis ſuae Spiritu Sancto ſuo corroboret; quod mox et totus populus, pro iisdem deprecans, facit.

Digitized by Google

7. A precibus nunciatur nouellis illis, vt et toti Eccleſiae, *abſolutio, iusque filiorum DEI in participanda menſa Domini.*

8. Additur tandem & ritus Apoſtolicus manuum impoſitionis, Marc. X. 16. Hebr. VI. 2. Act. IIX. 16. 17. cum inuocatione adhuc ſuper illos nominis diuini, ad roborandam cœleſtis gratiæ ſpem. (Videatur quid de hoc confirmationis ritu conſuluerit Eraſmus, præfatione in Paraphraſin Matthæi.) (L.)

IV.
FORMA S. COENAM CELEBRANDI.

VSitate S. coenam quater anno celebramus. Non quod non crebrius posſit (ſolet enim, cum vſus fidelium poſtulat, crebrius,) ſed ob vnanimitatem. Inſtante autem ſynaxi, potisſima cura eſt omnes ad digne participandum diſponendi. Ideoque,

1. Duabus (vel tribus etiam) ante hebdomadis, ſacer ille actus denuntiatur, omnesque officii ſui in probandis ſemetipſis admonentur. Præmittitur etiam concio de fine, dignitate, vſu myſterii huius, cum exhortationibus variis: quoque intermediis per id tempus concionibus eodem ſemper alludendo. Tum per eosdem dies peragitur conſcientiarum cenſura et examinatio, hoc modo.

Accesſit (ante denuntiatam S. coenam) ad ſe paſtor, presbyterium, inquiritque. *Num ad iſtud vel illud tempus communio ſacra indici posſit? an non adſint impedimenta!* Tum inquirit in auditorum vitam & conuerſationem, *an non ſcandali aliquid ſubortum ſit alicubi? aut num aliquem in aliqua re increpandum, monendum, docendum, putent.* Hebr. XII. 12. 13. 1. Cor. I. 11. Prout igitur conuenerit, ita paſtor & communionem indicit, & conſcientiarum examen inſtituit. Comparet quisque paterfamilias cum domeſticis ſuis, apud paſtorem (die & hora ſibi asſignatis) ibique examinantur, *quam diligentes ſint in præſtando diuino cultu, publice & priuatim? an precibus quotidianis domi cum praemiſſa pſalmodia & ſcripturarum lectione vacent? quem inde capiant fructum & profectum?* Atque tum examinantur, iuniores

prae-

Digitized by Google

præſertim, *quomodo hoc illud ve intelligant?* Tum ratione vitæ, *an honeſta conuerſatione doctrinam DEI noſtri ornent? quomodo liberi parentibus; & famuli heris ſuis pareant?* Similiter patres-& matres-familias, *num ſatis bono exemplo ſuis praeant? num ad pietatem & bonos mores diligenter ſatis inſtruant?* Vbi facile occaſiones vtiliter aliquid monendi, docendi, dehortandi, occurrûnt. Qui parum digne ſe gerens deprehenſus fuerit, ius accedendæ communionis ei non conceditur, niſi ſeriam ſerio pollicitus fuerit emendationem. Quod ſi contumaciam ſupperaddit, ſuſpenditur omnino & remouetur; donec præfractam ceruicem iugo Chriſti ſubmittat. Id enim ita fieri debere, exemplum apoſtolorum, poteſtasque a Chriſto illis & ſucceſſoribus collata, 2. Cor. X. 4. 5. 6. 8. nos docuit. (M.)

2. Ante ipſum coenæ S. actum verbi diuini prædicatione omnes ad ſpiritualem eſuriem & ſitim excitantur, Actor. XX. 7. 11.

3. Tum precibus ardenter miſericordiam DEI implorantes, peccatorum remiſſionem, & dignam menſæ Dominicæ participationem, ſibi expetunt.

4. Mox eis nomine Chriſti peccatorum venia *(abſolutio)* & *ius filiorum DEI, ſolemniſſime nomine S. S. Trinitatis nunciatur*, Actor. XIII. 38. 39. 1. Ioh. II. 12. 2. Cor. XIII. 13. (N.)

5. Recitat miniſter verba Teſtamenti, panem in populi conſpectu frangens, & calicem manu prehendens. Tum adiungit breuem verborum exegeſin, myſteriique huius ad mentem Chriſti facta declaratione, non in elementis hærere, ſed ſurſum corda tollere docet. Tandem omnes digne præparatos ad ſacrum epulum Chriſti nomine inuitat.

6. Accedunt proinde, debita cum veneratione, primum paſtor cum miniſtris Eccleſiæ quotquot adſunt: poſt magiſtratus: tum ſeniores Eccleſiæ ſeu presbyteri, & denique populus reliquus, habita aetatis etiam ratione: vt primo viri, tum adoleſcentes, tandem pueri accedant, vno & altero presbyteris, ne quid indecori admittatur, aut extraneus aliquis, vel profanus, temere ſe ingerat, attendente. Demum fæminae. Procumbimus autem in genua ſacram ſumendo coenam, non ſuperſtitione idololatrica; ſed quod per temporum conditionem aliter hactenus non licuit: *maiores quippe noſtri*

Digitized by Google

anno 1494. ſtando communionem introduxerant, ſed excitata ob id atrociore perſecutione, deſiſtere fuerunt coacti) Quum & ipſe hic in genua procumbendi ritus, pie a piis vſurpatus, deuotionem ipſam, & in conſpectu DEI humilitatem, adeoque gaudium cum tremore augeat. Interea vero totus populus hymnis de paſſione CHRISTI, ſalutiferisque beneficiis, DEVM laudat.

7. Poſtremum gratiae aguntur DEO (toto iterum cœtu in genua prouoluto) exhortatio ad pietatis ſtudia inſtituitur: benedictionisque diuinae denuntiatione cœtus in pace dimittitur, eleemoſyni in pauperes gratitudinem conteſtans ſuam.

V.

FORMA CONIVGES COPVLANDI.

APplicaturis ad matrimonium animum, ne quid inconſultis parentibus, cognatis, paſtore (qui felices ſucceſſus a DEO exorare collaboret) tentent agantue, auctores hortatoresque ſumus.

2. Clandeſtinas contractiones prohibemus omnino: in ſecus facientes diſciplina extenditur.

3. Ipſe copulandi actus publice fit: vbi (praemiſſo aliquo ſacro textu, et ex eius occaſione de coniugii ratione monitis vtilibus) neogami euocantur, coram coetu praeſente, actorum iſtorum futuro teſte, quam libere, Gen. XXIV. 57. 58. quamque legitime coeant, interrogantur, voto coniugali ſibi inuicem (ad indiſſolubilém mutui amoris et fidei nexum) obligantur: a miniſtro, dextris prehenſi, legitimi coniuges pronunciantur, verbisque Chriſti (*quod Deus coniunxit homo ne ſeiungat*. Matt. XIX. 5. 6.) in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti confirmantur.

4. Fiunt vota pro neogamis ad DEVM.

5. Neogami in ſpem diuinae benedictionis eriguntur, eaque ipſis nomine DEi confirmatur: praeſentes vero omnes ad pie, modeſte, temperanter conuiuandum (ebrietate, ſcurrilitate, choreis, aliisque ſcandalis ſemotis) admonentur.

VI.

Digitized by Google

VI.
FORMA AEGROTOS VISITANDI MORTVOSQVE FVNERANDI.

IN morbo graui conſtitutus noſtrorum aliquis Eccleſiae precibus ſeſe commendat; quae pro ipſo fiunt, Iac. V. 14. 15.

2. Viſitatur a miniſtro, Matt. XXV. 36. verbo Dei primum poenitentiae commonefit, Ieſ. XXXIIX. 1. tum ad fiduciam miſericordiae et ſalutis erigitur. Monetur inſuper, vt quicquid Devs de ipſo diſponere voluerit, paratus ſit ad vtrumque, Phil. I. 23. confidatque poſtquam in fide Filii Dei vixit, non iturum e morte in iudicium, ſed in vitam aeternam.

3. Si euchariſtiae vſu adhuc in ſpiritu roborari petit, non abnuitur; aduocatis tamen aliis quibusdam, vt vere ſanctorum communio ſit.

In funeribus deducendis pius alibi quoque vſitatus mos ſeruatur; vt nimirum paſtor, cum iuuentute ſcholaſtica, cantu deducant mortuos fideles ad ſepulturae locum: ibique funebri concione pro re nata praeſenti populo (ex verbo Dei) proponatur, quod inſtitutioni, ſolatio, cantioni, ſeruiat.

VII.
CONSVETVDO CIRCA DIES FESTOS.

INter dies feſtos *primam tribuimus dignitatem ſeptimo diei, dominico:* quem arbitramur nemini hominum ad operas externas et ſeruiles, vllo etiam libertatis chriſtianae praetextu adhibere licere. Idque propterea, *quod inſtitutionem eius non pro ceremonia, ſed pro parte moralis, aeternum inuiolabilis, legis agnoſcimus.* Quoniam,

1. Ante ipſam ſcriptam legem iam inde ab orbe condito inſtitutus, et quaſi vniuerſo mundo indictus, peculiarique benedictione conſecratus eſt Geneſ. II. 3.

Digitized by Google

2. In ipſa quoque lege diem ſeptimum, non inter ceremonialia inſtituta reperimus, ſed in ipſiſſimo *Decalogo*: qui non a Moſe, ceremoniarum et vmbrarum promulgatore, ſed ab ipſo Deo coelitus, voce maieſtatis promulgatus, et in tabulis lapideis digito DEI ſcriptus fuit, Exod. XX. 8. 22. .XXXI. 18.

3. Non reperimus vllum praeceptum toties per legem et Prophetas repetitum, et tantopere efflagitatum, vt praeceptum de Sabbato. Non veriſimile eſt DEVM ceremoniam tanti facere potuiſſe: praeſertim proteſtatum, non ſe requiſiuiſſe ceremonias, Pſalm. L. 8. Ier. VII. 22. 23.

4. Nusquam DEVS toties ad proprium exemplum prouocat, vt in hoc praecepto: quia nempe ipſe quieuit ab opere ſuo externo, vt et nos quieſcamus, Exod. XX. 11.

5. In huius mandati violatores tantopere DEVS exardet, vt eos ſimpliciter morte tolli velit, Exod. XXXI. 14. Num. XV. 35. Obſeruatoribus contra, huius et aeternae vitae praemia pollicetur, Ieſ. LVI. 2. et LIIX. 13. 14.

6. Nec abſcondit rationem DEVS, cur tam ardenter hoc deſideret a populo ſuo. Quia, inquit, *hoc ſignum eſt inter me et vos, per generationes veſtras, me eſſe Iehouam, qui vos ſanctificat*, Exod. XXXI. 13. Ezech. XX. 12.

7. Ideo Chriſtus, quamuis DOMINUS ſabbati, Marc. II. 28. ſabbatis tamen feriabatur: non quidem Phariſaico ceremoniali ritu, ſed ita vt ſemper fere Sabbatis verbum Dei doceret, operaque miſericordiae aegrotos reſtituendo, exerceret, Luc. IV. 16. 17. Similiter Apoſtoli translata Sabbati gloria in primum diem, accurate dies illos obſeruabant: ad cogendos nimirum coetus ſacros, in illisque habenda pietatis exercitia, adeo, vt ſaepius veſperi etiam, et ad noctis medium, vna congregati perdurarent, 1. Cor. XVI. 1. Actor. XX. 7. 10. vnde & nomen ei, *dominici diei*, indiderunt, Apoc. I. 10.

Sanctificamus vero diem dominicum hoc modo.

1. Quieſcendo a laboribus externis: a vectando nimirum, baiulando, et tractando, quæ ad victum & opificia externa, negotiationemque, ſpectant: vt famulitium quoque, & iumenta, tranquillae reſpirationi vacare poſſint, Exod. XX. 10. Nehem. XIII. 15. Magis

gis vero abſtinendo ab operibus carnis, ebrietate, choreis, alea, otioſis diuagationibus, et nugis: itemque a nuptialibus conuiuiis, nundinis, et mercatibus. Sed et hoc moris erat (praeſertim ſub magiſtratu Eccleſiae patrocinante) vt die ſabbati dominicum praecedente mature, ante ſolis occaſum, omnes a laboribus externis deſiſterent, et cum aduentante veſpera, diei DEO ſacratae ſanctificationem auſpicarentur.

2. Tractando ſpiritualia et diuina: decantando nimirum hymnos; et legendo Scripturas, iam ipſo Sabbato veſperi: mane autem et toto dominico die, coetus frequentando, ſacra meditando et agendo: non ſemel tantum vel bis, ſed (vt ante dictum) quater vel quinquies. Quia enim Deus totum hunc diem a cenſu aliorum exemit, ſibique ſoli, tanquam ſanctum ſuum diem, attribuit, Exod. XX. 9, 10. Iſa. LIIX. 13. conuenientiſſimum putabant maiores noſtri, ſi potior eius pars in communi fidelium congregatione tranſigatur, eaque ratione ſuperuacaneis diuagationibus, otio, vanitatibus aliis (quas DEVS a ſancto die ſuo abeſſe vult, Ieſ. LVIII. 13.) praecauendis, occaſio ſit. Ideo etiam a reuidendis reditibus, recognoſcendis accepti et expenſi tabulis, a debitiſque exigendis dehortamur: vt omnes temporariorum potius obliti aeterna meditari diſcant, Heb. IV. verſ. 9.

Celebramus praeterea praecipuorum Chriſti operum memoriam certis diebus: nempe *aduentus* (ſeu *incarnationis*) *natiuitatis*, *mortis*, *reſurrectionis*, *aſcenſionis*, *Spiritus Sancti miſſionis*, item *circumciſionis*, *epiphaniae*, *transfigurationis*. Praeterea *Apoſtolorum* et aliquot *martyrum* dies: ſed hos eadem chriſtiana libertate, qua ceteri memoriae ſolum cauſa, et in occaſionem conſtantiae atque patientiae exempla in martyribus proponendi, atque ſubinde aliquid vtile populum admonendi, Heb. XIII. 7. Peracta enim concione, et precibus, aeque vt ceteris diebus ad operas omnes ſe conferunt, Exod. XX. verſ. 9.

Digitized by Google

VIII.

RITVS CIRCA DIES PRECVM, SEV SVPPLICATIONIS PVBLICAE ET SOLEMNIS.

QVater anno, ſeu trimeſtri quouis, certos dies obſeruamus, ad redintegrandum in populo poenitentiae ſtudium. Vbi (die mercurii et die veneris) congregatus diligenter populus e verbo Dei, pro temporum neceſſitate, inſtituitur: tum peccatorum fit confeſſio, Deique miſericordia, poenarum cum deprecatione, imploratur: vt DEVS Eccleſiae pacem, operarios fideles, nutritios pios, concedat, conceſſos Spiritu ſapientiae et conſilii gubernet; lapſos et aberrantes conuertat et erigat, infidelium quoque gentium miſertus Eccleſiae ſuae aggreget. Et quia dies illi nobis poenitentiales dicuntur, admonetur populus reſipiſcentiae veræ, ieiunii, ſobrietatis, eleemoſynarum, Matt. V. 44. 45. et IX. 38. 1. Theſſ. III. 1. Et vt toto die in domibus ſuis, vota et ſuſpiria ad Deum repetant; praeſertim hora meridiana, pomeridiana, veſpertina, quisque paterfamilias cum ſuis.

IX. RITVS IEIVNIORVM.

DOcemus ieiunium conſiſtere, non in ciborum delectu, ſed abſtinentia ab omni cibo et potu, ſomnique etiam euitatione, ad certum tempus: ſaltem ad veſperam vſque, niſi alicuius valetudo non ferat.

2. Non vſurpamus id opinione meriti, aut cultus diuini partem; ſed vt carnis mortificandae, humilitatisque et ſuper peccata contritionis excitandæ, medium; & vt ad diuina meditandum mens ſit ſedatior, Zach. VII. 5. Iſa. LIIX. 5.

3. Eiusmodi ieiunia indicare ſolemus.

1. Diebus precum ſolemnium, vt modo dictum eſt.

Digitized by Google

2. Inſtante aut ingruente periculo quopiam belli, peſtis, perſecutionis, vel vnius etiam Eccleſiae, aut hominis.

3. Cum miniſtri Eccleſiae deligendi et ordinandi ſunt in Synodis.

Stimulamur vero ad vſurpanda eiusmodi ieiunia, tam exhortationibus, quam exemplis ſcripturae ſacrae, Ioel, II. 12. 15. 2. Cor. VI. 5. Pſal. XXXV. 15. Ion. III. 8. Act. XIII. 3.

X. DE ELEEMOSYNIS.

HAs vt vltroneas oblationes inferunt auditores aerario Eccleſiaſtico, pro voluntate ſua, in vſum pauperum fidelium, Luc. XXI. 1.

2. Id vero vt liberum eſt quoties alicui allubescit, ita coniunctim non niſi diebus precum, & ieiunii, ſacræque communionis, atque ſi extraordinarie necesſitas ingruat, colligi ſolent, 1. Cor. XVI. 1.

3. Erogari autem ſolent et diſtribui inter pauperes, pro necesſitate cuiusque: ſiue quosdam in procho-trophiis nutriendo & conueſtiendo, ſiue alias morbis vel ætate confectis, opis aliquid ſubminiſtrando.

4. Quaelibet Eccleſia ſuas habet Eleemoſynas, quibus ſuis pauperibus ſuccurrat. Si quæ autem egentior ſit, quam vt ſuis pauperibus ſufficiat, ex aliis Eccleſiis aliquid impertiri ſolet: vt iuxta Apoſtoli præſcriptum, *aliorum abundantia ſuppleat aliorum defectum.* 2 Cor. IIX. 14.

5. Neque Eleemoſynae nomine id ſolum nobis venit, quod in ærarium Eccleſiae deponi ſolet; ſed omnia quoque miſericordiae opera. Nempe quicquid humanitatis in Chriſti nomine proximo quis exhibet, cibum, potum, veſtem, habitationem, medicamentum, aliaque vitae neceſſaria praebendo.

6. Ad quas Eleemoſynas homines excitari ſolent doctrina ſcripturarum: quae ad eas exhortantur & inſtruunt, iisdemque praemia largisſima promittunt, Deut. XV. 7. 8. Prou. XIX. 17. Math. VI, 3. 4. Luc. XIV. 12. 14. Hebr. XIII. 16.

Google

CAPVT IV.
DE ORDINE DOMESTICO MINISTRORVM.

PAſtores fratrum in domibus ſuis ſecum adoleſcentulos, honeſte natos, bene a parentibus educatos, & quod ad miniſterium animum applicaturos ſpes ſit, antiqua conſuetudine alunt, litteris diuinis et pietati imbuunt, ad moresque honeſtos modeſtiam, obedientiam, formant: quandoque etiam laboribus externis, vt & adultiores *acoluthos*, *diaconos*, *miniſtros nouellos* (tam otii vitandi cauſa, quam inopiae neceſſitate, 2. Reg. VI. 1. 4. 1. Cor. IV. 12.) adhibent. Cuiusmodi exercitia ordine certo procedunt: vt nempe deſtinata ſit hora ſurgendi, preces agendi, ſtudia & labores tractandi, prandendi, cœnandi cubitumque eundi, Eccleſ. III. 1. Dato enim campanula ſigno, ſurgunt omnes; lotique et induti, genibus ſimul flexis DEVM laudant, Pſal. V. 4. Tum ſe ad lectionem ac meditationem ſacrorum quisque confert. Poſt horam circiter iterum datur ſignum, & conueniunt iam omnes pariter domeſtici, Pſal. LXXXVIII. 14. & CXIX. 147. 148. Prov. IIX. 34. ibique cantu pſalmi aut hymni praemiſſo, ſcripturae partem praelegit, declarat, exindeque vtilia monet, & ad DEum laudandum et inuocandum cohortatur, ſiue paſtor ipſe, ſiue cuius ea die vices ſunt. (Omnes enim miniſterio deſtinati, ad pueros vsque talibus exercitiis adhibentur) peractis precibus, redit quisque ad operas ſuas, legendo, ſcribendo, memoriae mandando, vel etiam (vbi ſcholae habentur) lectiones latinas audiendo. Atque ex his poſtmodum quidam ad ſcholas exteras, parentum vel antiſtitum ſumptu, emittuntur; prout vel neceſſitas exigit, vel res anguſta domi permittit. Pomeridianum tempus, tanquam ſtudiis minus accommodatum, plerumque externis operis transmittitur, vsque ad coenam: exceptis, qui in iuuentute ciuica inſtituenda occupantur. Hora tamen pomeridiana ſecunda iterum ad preces (Apoſtolico exemplo, Act. III. 1.) conueniunt, iisque peractis ad operas redeunt omnes. Quantum a cœna temporis ſupereſt, vel muſicae exercendae, vel pſalmodiae datur.

datur. Tandem veſpertinae preces, Pſal. LV. 18. finem imponunt, & quilibet ad quietem ſe confert: neque nocturnæ ſeſsitationes, multo minus domo egreſsiones, cuiquam permittuntur. Ideoque domus tempeſtiue clauditur, clauesque vel patrifamilias, vel cuſtodi ſequentis diei traduntur. Prandii et cœnae tempus nec ſilentio, nec nugis, transmittitur: ſed recitant memoriter pueri vel *morum praecepta*, vel *catechesin*, vel *cantilenas* aut *pſalmos*, quos memoriae mandare iusſi ſunt; adultiores vero partem aliquam *textus ſacri* ex ordine. Quantum ſuperſit temporis, *proponitur Theologica quæpiam* (ordinarie ad locum communem eius hebdomadis ſpectans) *quaeſtio*: in qua enodanda quisque (ab infimis facto initio) ſuas experitur vires, paſtor denique concludit. Aliquando etiam (quæſtionis illius loco) aliquid praelegi iubetur. Habent & diſtributa inter ſe *officia ordinis domeſtici* omnes: vt omnes iam a pueritia attentioni & ſolertiae cuidam, ad vocationis munia dextre obeunda neceſſariae adſueſcant, nec quisquam fruſtra pane veſcatur. (Maioribus maiora, minora minoribus committuntur): minoribus nempe cura malluuii menſarum inſtruendarum, conclauium euerrendorum, &c. maioribus cura oſtii domus, cellae, granarii, hortorum, horologii, bibliothecae, mundiciei, vt nemo ſine attentione exercenda relinquatur, ſuo & communi bono.

MVNIA COMMVNIA, SED PER ORDINEM ADMINISTRANDA, DVPLICIA SVNT.

QVaedam domeſtica, miniſtris, diaconis, acoluthis, communia: quibus vnus vna die fungitur, ſecundus ſecunda, tertius tertia, vsque ad poſtremum. *Decurionem*, ſeu *ordinis cuſtodem* poſſis dicere: cuius officia ſunt, 1. *ſurgendi campana ſignum dare.* 2. *lychnum accendere*: 3. *cantum ante preces moderari*: 4. *textum praelegere*: 5. *paraeneſin inſtituere*: 6. *ſi quis a precibus aut ſtudiis abſit, notare*: 7. *ſub prandium quaeſtionem aliquam diſcurſui ſubminiſtrare*, (quod et pariter de coena et precibus veſpertinis

f 3

Digitized by Google

nis intelligendum) 8. *tandemque ſub noctem domum vndique occludere; clauesque paſtori, aut cui debentur, aſſignare.*

Alia ſunt *munia publica*, ſolorum cui concionibus ad populum habendis exercentur, diebus nempe profeſtis. Id quoque procedit per ordinem; vt mature quisque ſe praeparare, omnes vero in prophetandi dono proficere, poſſint, Numer. XI. 29. 1. Cor. XIV. 31. Cui fini hoc etiam inſeruit: quod vbique per viciniam auditores ſunt, qui ob diſtantiam iuſto maiorem, vel ob morbos, non ſatis commode coetum communem frequentare poſſunt, emittit paſtor diaconos, vel acoluthos (ſiue ſingulis diebus dominicis, ſiue per interualla) qui eis verbum Dᴇɪ loquantur: quod vtrinque prodeſt. Auditoribus ſcilicet nullibi neglectis; miniſterii vero canditatis vbique et ſemper augmenta capientibus. Ideo mature ſe meditationi textuum dominicalium accingere ſolent omnes; vel triduo ante. Die enim Sabbati matutina prece peracta, inquirit paſtor, *quid meditatus iam ſit vnusquisque, ſuper craſtinum textum?* enarrant igitur, acoluthi primum, tum alii conſequenter. Paſtor denique concludit, et quo potiſſimum reſpectare, aut quid vrgere (pro temporum et occaſionum diuerſitate) omnes, vt et quo vnusquisque abire et vbi docere debeant, indicat.

Huic etiam legi, ob euitanda varia incommoda, omnes qui *fraternitati* nomen dederunt, ſubiacere tenentur, *vt ne quid proprio arbitratu audeant: ſiue domo egrediendo* (inconſcio paſtore aut adminiſtro) *ſiue ſibi vtenſilium aliquid comparando, ſiue epiſtolas* (alicuius momenti) *aliquo mittendo, ſiue aliquid rerum ſuarum alio concedendo, ſiue alienum quid in depoſitum ſumendo: multo minus vero operam ſuam ad conſignandos contractus, teſtamenta, chirographos* (verbo ad vlla politica) *commodando.*

Minores, pueri et acoluthi, ſuſtinent hebdomadatim examen, quid egerint, quid didicerint, quam decore in omnibus ſe geſſerint. Annuatim vero omnium domeſticorum officiorum renouatio fieri ſolet, circa anni primordia: non ſolum quia perſonae mutari, et ab alio paſtore ad alium (pro neceſſitate) transferri, ſolent: ſed etiam vt redintegratio fiat ordinis boni, in omnibusque amor et obſequium eius conſcientiaeque ſtudium excitetur. Atque hic etiam ratio reddi ſolet, *quem auctorem quis eo anno et quanto cum fructu euoluit*; nouumque aliquod penſum anno ſequenti datur.

Tandem

Tandem vnitatis inſtitutum eſt, *nequis paſtorum aut adiutorum ſuorum absque neceſſitate*, et quantum fieri poteſt ſenioris ſui conſenſu, *peregre proficiſcatur : et quum proficiſcitur, ne alibi quam in fratrum domibus* (niſi vbi deſint) *diuertat, et pernoctet.* Hic enim excipi, et pro re nata tractari ſolent. *Paraeneſes vero ſiue ad preces priuatas, ſiue ad populum e ſuggeſtu, hoſpitum corolia ſunt :* ad conciliandam et ſtabiliendam doctrinae et animorum harmoniam : vt hac etiam re primitiuae *Eccleſiae* veſtigia premantur, Act. XIIII. 15.

CAPVT. V.

DE ORDINE DOMESTICO AVDITORVM.

NOn ſe ſolos fratrum miniſtri ordine bono continent, ſed auditoribus quoque fidei ſuae commiſſis, idem per domos ſuas imitandi auctores ſunt : nempe.

1. Vt quemadmodum vocauit vnumquemque DEVS, conſtituitque, ſiue patrem vel matremfamilias, ſiue liberum, ſiue ſeruum, ita quisque ſtationem ſuam in timore DEI tueatur, 1. Cor. VII. 20. Epheſ. IV. 1.

2. Vt cultui diuino vacent omnes, matutinis, meridianis, veſpertinisque horis, ante et poſt cibum : DEVM inuocando, hymnos cantando, ſacra legendo, 1. Tim. II. 1. et IV. 5. Deut. VIII. 10.

3. Coetus ſacros ne deſerant ſed diligenter frequentent, ſuosque ſecum ducant, Hebr. X. 25.

4. Liberos et famulitium in religione pie inſtituant : diebus dominicis potiſſimum, quantum quis e concionibus ſacris obſeruarit, ſub prandii et coenae tempus diligenter exigendo, Deut. VI. 7. Epheſ. VI. 4.

5. Patres et matres-familias vt ſtudeant ſuis bono praeire exemplo, eosque ad imitationem adigant.

6. Mundanas diſſolutiones, ebrietatem, choreas, peierationes, ſermones turpes, aleam, et ſimilia nec intra domos ferant, nec ſuis alibi permittant.

Digitized by Google

7. Ope-

7. Operis debitis ſuos famulos et liberos quotidie exerceant: otiaque, vt adoleſcentiae venenum, fugere faciant.

8. Pietatis, iuxta moralem legem, omnes ſint obſeruantiſſimi.

9. Patresfamilias per cauponas et popinas ne diuagentur; otio, potationibus, luſibus, tempus ne terant; neque noctu domo abſint, ſed rebus ſuis intenti, ſuper ſuos etiam excubias agant.

10. Victum quaerendi rationes illaudatas & ſuſpectas vt fugiant: foenerationibus et vſuris omnino abſtinentes, propter interminationes Dei, concurrentesque varias iniquitates, 1. Theſſ. IV. 6. Exod. XXII. 25. Pſal. XV. 5.

11. Ad tribunalia ne quis facile ſe proripiat, ſed interuenientes diſſenſiones amice potius inter fidei conſortes vt componantur; ſiue in presbyterio, ſiue per delectos arbitros.

12. Obſeruatum id quoque fuit a maioribus, vt tam abeuntes peregre negotiorum cauſa, quam migrantes ad habitandum alio, paſtoribus id indicarent, preces Eccleſiae pro ſe peterent, teſtimoniumque ad alios paſtores ſumerent: vt ſi alicubi conſilio, inſtructione, miniſterio, opus, fides certius conſtaret. Ordinis enim gratia nec auditores ad aliorum paſtorum miniſteria ſe conferre, nec paſtores alienis auditoribus miniſtrare, debent: ne inordinata iſta licentia in abuſum, et diſciplinae detrimentum, abeat.

Cuiusmodi piis inſtitutis adſuetus populus, non inuitus intra hos ſe continet cancellos. Si quid vero exorbitationis intercurrit, per admonitiones ſedulas redigitur in ordinem, 1. Ioann. IV. 6. 2. Cor. VII. 15. 1. Cor. XVI. 16. et 2. Cor. II. 9.

CAPVT. VI.

DE VISITATIONIBVS.

CErtum eſt, nullum vel exquiſite inſtitutum ordinem ſine attenta inſpectione durare poſſe, Epheſ. IV. 16. Heb. XII 13. Eo enim fine *magiſter* ſuos diſcipulos, *paterfamilias* operarios, *imperator* milites, ſubinde interuiſit et ſpectat; quia *impoſ-*

impoſſibile eſt, ſine adhortationibus, dehortationibusque, in officio retineri homines. Atque hac de cauſa in fratrum vnitate, nonſolum inſpectio paſtorum in auditores, vt iam dictum, ſed et *inſpectio epiſcoporum in* paſtores ipſos, totasque Eccleſias, introducta eſt: Apoſtolorum ſcilicet exemplo, qui quas fundarant Eccleſias, easdem viſitando confirmabant, Act. XIV. 21. 22. et XV. 36. 41. De viſitationibus igitur Eccleſiarum dicendum,

1. *Quando inſtitui ſoleant?*
2. *A quo peragi?*
3. *Quae ſint viſitatorum expeditiones?*

Viſitationes inſtituuntur ita, vt ſemel anno Eccleſia quaeuis luſtretur: quod vſitate verno, aeſtiuo autem, autumnaliue tempore fit; neceſſitate autem exigente (vt ſi paſtor Eccleſiae praeſentandus, aut ſcandalo cuipiam obuiam eundum) etiam hyeme. Si non ſufficiant viſitatores eodem anno Eccleſiis omnibus, differuntur ſequentem in annum eae, in quibus vrgentis neceſſitatis minus obſervatur.

Incumbit vero cura haec *epiſcopis* proprie, vt per ſuam dioeceſin quisque cum conſenioribus collegis Eccleſias viſitet. Quodſi legalibus prohibeatur impedimentis, conſeniores mittit, Apoſtolico exemplo 1. Theſſ. III. 1. 2. Aſſumi quoque ſolent e vicinia paſtores, vnus et alter, ad maiorem populi, paſtorum concordiam ſpectantis, de omnibus quae hic fiunt, fiduciam. Paſtor vero viſitandus mature commonefieri ſolet.

Operae viſitatorum quaedam ſunt *ordinariae*, aliae *extraordinariae.*

Ordinariae vel *priuatim* cum certis perſonis; vel *publicae* in toto coetu, expediendae.

Quam primum enim viſitatores locum attingunt (vel ante meridiem ſabbati die) mox.

1. Paſtorem ipſum ſeorſim ſciſcitantur, *quomodo ſe Eccleſiae ſuae res habeant? quid expediendum maxime veniat?* Tum inquirunt in

Digitized by Google

eum ipſum, ſitne *ſeruus fidelis & operarius inconfuſibilis?* 2.Tim.II.15. *quam attendat lectioni, exhortationi, doctrinae?* 1. Tim.IV.13. *quam praeeat pietatis exemplo?* ib. v. 12. Tum *quomodo vitam ſuſtentet? Quomodo alumnos vnitatis educet? Qualem ſe eorum quisque exhibeat? quomodo obediat? quomodo proficiat?* Poſtea in *populum, creſcatne an decreſcat grex.* (iubentque ſibi catalogum exhiberi.) *Habeatne aliquos ſcandaloſos, quibus remedii aliquid eſſet adhibendum? presbyteri & Presbyterae, Eleemoſynariique, quomodo officium faciant?*

2. Accerſuntur paſtoris adiutores & alumni (*miniſtri, diaconi, acoluthi*) interroganturque: *an propoſito ſanctificationis ſuae perſtent? quomodo in pietatis ſtudio progrediantur? quomodo concordiam fraternamque dilectionem colant?* Coloſ. IV. 8. *quomodo a paſtore tractentur? annon damnoſum aliquem patiantur defectum? quantum temporis ad ſtudia ſibi concedatur? & quomodo id impendant? quid per id tempus vnusquisque egerit?* (Solet enim a viſitatoribus quandoque tam paſtori, quam contubernio eius auctores legendi ſubminiſtrari: id igitur an, & quo cum fructu ſit factum, inquiritur, & aliud quid euoluendum, deſcribendum, peragendum, iniungitur.)

3. Tum aduocantur *presbyteri*, quibus abſentium ſeniorum & Eccleſiarum nomine ſalute nunciata, quaeſtio fit de paſtore. *Quomodo officium faciat: an verbo & opere aedificet? an non per ipſum aut aliquem domeſticorum eius, aliquid ſuboriatur ſcandali?* denique, *vtrum aliquid notent publice expediendum, quod totius Eccleſiae interſit?*

4. *Presbyteras* quoque accerſitas alloquuntur: *quomodo munere ſuo, iunioribus ſororibus attendendo, fungantur? an non intercedant inter aliquas odia, inuidiae, diſſidia, calumniae, luxus veſtiarius,* &c.

5. Solent etiam reuideri (vel praeſentibus *aedituis et presbyteris*) inuentaria ſupellectilis domeſticae; aedificia itemque, an non peſſum ire ſinatur aliquid?

6. Vbi *magiſtratus* cum coetu eſt conſentiens, hunc quoque viſitatores ſalutant, et, *an paſtore ſuo ſit contentus* cognoſcunt.

Publicae autem *viſitatorum operae*, in Eccleſia, ſunt, 1. *Verbi DEI*

praedi-

praedicatione ad amoris DEI ardorem inflammare : 2. ſacrae coenae adminiſtratione omnes in fide et caritate Chriſti confirmare. 3. Exhortationibusque variis pro ratione ſtatus, ad facienda alacriter poſthac officia, excitare.

Extraordinarii viſitatorum labores, aliquando tantum interuenientes, ſunt : vel *reconciliatio diſſidentium*, cui paſtor non ſufficiebat (vt ſi inter coetum et paſtorem aut magiſtratum, litis aliquid intercedat) vel *initiatio nouelli miniſtri* (de qua ceremonia ſupra Cap. XI.) vel *introductio noui paſtoris ;* vel *ordinatio presbyterorum :* vel denique *templi dedicatio.*

I.
PRESBYTERORVM POLITICORVM ORDINATIO.

Presbyterorum ordinatio, quum opus eſt, hoc ritu peragitur. Iubentur ante concionem veſpertinam mature ſe ſiſtere omnes viri, ibique praemiſſa a viſitatoribus admonitione, eligunt liberis votis quos munere illo dignos exiſtimant. Pluribus itaque votis deſignati, veſpertina concione finita a viſitatore euocantur, illisque *officia muneris huius* (toto auſcultante coetu) praeleguntur : illi vero voce & ſtipulata manu *antiſtitibus vnitatis, paſtori, Eccleſiaeque ſuae*, fidem & diligentiam obſtringunt. Atque vt in templo quoque inſpectorum munere fungi poſſint, peculiari etiam ſeſſionis loco (ad commodiorem populi intuitum) cohoneſtantur.

Similiter proceditur cum eliguntur presbyterae ; excepto, quod ſolo foemineo ſexu praeſente res peragitur.

II.
TEMPLI DEDICATIO.

Templorum *dedicatio*, ſeu *conſecratio*, apud nos hoc fit modo.

1. Congregata Eccleſia, praemiſſoque ſacro cantu, declarat viſitator, *cui fini domus haec exaedificata ſit ?* nempe

Digitized by Google

vt ſit *Bethel, domus DEI, & porta coeli,* Geneſ. XXIIX. 17. 19. Iſa. LVI. 7. Luc. XIX. 46. illi itaque vſui nunc dedendam & conſecrandam eſſe.

2. Memorat, *ſanctificatorem omnium* vnum, ſolum, perfectum, *DEVM* eſſe, qui dicit: *ego ſum Iehoua ſanctificans vos,* Exod. XXXI. 13. Et de tabernaculo a Moſe erecto: *ſanctificabo tabernaculum foederis, & ſanctificabitur in gloria mea,* Exod. XXIX. 43. 44. Et ad Salomonem de templo exaedificato, *exaudiui orationem tuam, & ſanctificaui domum hanc, vt collocem hic nomen meum,* 1. Reg. IX. 3. Ideoque hortatur, vt nunc ad DEVM omnes conuertant oculos, humillimeque orent, vt hic etiam ponat nomen ſuum, Deut. XII. 5. 11.

3. Procumbunt itaque in genua, totus coetus, & oratione pia, ad Salomonis imitationem, 1 Reg. VIII. Deum ardenter inuocant.

4. Admonitio fit, cum proteſtatione, ne ad alios vſus adhibeatur ſacer ille locus, quam ad habendos ſacros coetus, ſacrumque ſanctiſſimi DEI cultum, in praeſentia electorum angelorum peragendum.

5. Et quia *omnia per verbum DEI & orationem ſanctificantur,* 1. Tim. IV. 5. habetur etiam mox verbi diuini praedicatio, ſacraque Synaxis.

6. Tandem denuo inuocatur nomen DEI; votoque benedictionis diuinae, omnibus corde recto hic DEO ſeruituris affuturae, actus clauditur.

CAPVT. VII.

DE ORDINE ET GRADIBVS DISCIPLINAE ECCLESIASTICAE.

QVomodo per inſpectionem variam *ordinis* fiat cuſtodia in vnitate, dictum eſt. Iam autem *non ſatis eſſe hortulanum plantas, praeceptorem diſcipulos, patremfamilias operarios, interuiſere: ſed illi eſſe ſtolones putandos,* iſti *mendas tollendas,* huic

huic *ignauos increpandos et caſtigandos*, ratio dictitat. Opus igitur Eccleſiae quoque *diſciplina*, qua exorbitantes inclamentur, obſequi renuentes confundantur, praefracti caſtigentur, putrida denique et rabida membra amputentur ac abiiciantur. Ideo Chriſtus: *bonum eſt ſal, habete igitur ſal in vobis, et pacem habete inuicem*, Marc. IX. v. 50. Item, *ſi peccauerit in te frater tuus, vade et corripe eum*, Matth. XIIX. 15. Item, *ſi te ſcandalizat manus tua, vel pes tuus, abſcinde ea, et abiice*, v. 8. 9. Apoſtolus denique teſtatur, diſciplinam eſſe filiorum DEI teſſeram. *Si diſciplinam ſuſtinetis*, (inquit) *tanquam filiis vobis offert ſe DEVS. Si autem abſque diſciplina eſtis, cuius participes ſunt omnes filii, vtique nothi eſtis, et non filii*, Hebr. XII. 7. 8.

Atque his de cauſis tam ſalubri inſtituto diuino, *diſciplinae*, ſubdiderunt ſe iam inde a primordiis vnitatis noſtrae omnes, qui in ſanctum hoc fidei et caritatis conſortium confluxerunt; ſummi, imi; ſeniores, conſeniores; miniſtri, adminiſtri; auditores omnes, nobiles et ignobiles; ipſique adeo magiſtratus: *antidotum peccati* id eſſe credentes, ſi ſciant eſſe, qui vitae et conuerſationi ſuae attendentes, monendi et reuocandi, adeoque in periculoſa deuiatione retrahendi, poteſtatem habeant, Pſal. CXIX. 71. et CXXXXI. 5. 2. Cor. VII. 8. 9. 10. 11. Hactenus igitur *diſciplinae ſubiacent omnes vnitate, ab infante vsque ad ſenem, a ſubdito vsque ad dominum, ab acolutho vsque ad epiſcopum*: idque bono ſuo, et aliorum. Homo etenim cum ſit vnusquisque, labi poteſt, Prou. XXIV. 16. Iac. III. 2. Sed ne in lapſu perſeueret, atque ita conlangueſcat, emoriatur, pereat, remedium a Chriſto animarum archiatro praeſcriptum eſt, *diſciplina*, vt vidimus. Quae cum adminiſtratur caute, prodeſt non illi ſoli in quo exercetur, ſed et aliis. Hinc Apoſtolus; *peccantes coram omnibus argue, vt et ceteri timorem habeant*, 1. Tim. V. 20.

Gradus autem diſciplinae (ex Chriſti praeſcripto, Matt. XIIX. 15.) ſunt tres.

1. Admonitio, ſiue correptio, occulta.
2. Increpatio, & confuſio, publica.
3. Excommunicatio, & ab eccleſia exterminatio, totalis.

Primo enim docentur hic omnes, id iuris a Chriſto conceſſum eſſe, imo legem impoſitam, *vt curam quiſque habeat fratris ſui : ac, ſi videat delinquere, erroris fraterne commonefaciat*, 1. Theſalon. V. 11. Heb. III. 13. Vt igitur auſit *frater fratrem, ſoror ſororem, commonere*, praeſertim *ſenior quiſque iuniorem* id ſuadent. Si quis autem admonitionem talem neglexerit; vt alius maioris auctoritatis, qui cum illo eodem nomine in ſpiritu manſuetudinis agat, ſubornetur: quod potiſſimum alicui e presbyterio, aut paſtori ipſi, competit.

II. De diſciplina publica leniori.

Si nulla ſequitur emendatio, ſiſtitur toti presbyterio, & admonetur varie, vt peccatum agnoſcat et deſiſtat. Si flectitur, cum admonitione & conſolatione dimittitur: ſi contumax eſſe pergit, conſcientia eius *clauium poteſtate* ligatur, & a communione ſacrae coenae ſuſpenditur, donec ad ſe redeat, moreſque corrigat.

Id in leuioribus delictis ita: in grauioribus vero, & notoriis peccatis, aliter proceditur. Nempe citato peccatori ad paſtorem & presbyterium, quoties opus eſt, peccatum exaggeratur. Si grauitatem agnoſcit, et intra ſe confuſus vere dolet, erigitur in veniae ſpem, Act. III. 17. 18. 19. certis tamen conditionibus. Nimirum

Primo, vt aliquandiu in poenitentia vera Deum peccata deprecando, carnem mortificando, vitaeque emendationem re ipſa exhibendo, *ſeſe exerceat* (cuiusmodi poenitentiae exercitium vel ad proximam communionem, vel vltra, extenditur, prout ſe fructus poenitentiae proferunt: non negligente interim Eccleſia pro lapſis ad DEVM vota.)

Secundo, vt poſtmodum Eccleſiae triſtitia affectae (omnes ſcandalizatos publice, aliquando per ſe, aliquando per paſtorem deprecando) *ſatisfaciat, eique ſe ratione iſta reconciliet.* Quod ſi tamen peccatum non omnino publice notum eſt, deprecatione coram presbyterio acquieſcitur. Omnia eo fine, vt confuſus peccator verius reſipiſcendi, atque cautius poſthac agendi, ceteri vero alieno periculo ſapiendi, occaſionem habeant, 1. Tim. V. 20.

III. DE

III. De excommunicatione incorrigibilium.

Si ſcelus nimis flagitioſum ſit, aut peccator poenitentiae loco contumaciam exerceat, tranſitur ad *extremum clauium gradum, excommunicationem:* quam Chriſtus & Apoſtoli in Eccleſia vſurpari volunt, Math. XVIII.17. 1. Cor. V. 5. &c. Hic igitur peccator a ſanctorum communione totaliter excluſus, *Satanae traditur, niſi adhuc reſipiſcat.* Excommunicatione publice promulgata, populus totus, obſignaturus quaſi quod nomine Chriſti actum eſt, exclamat, *amen:* non abſque ſuſpiriis & lacrymis piorum. Ita excommunicati obſtinati peccatores pro publicanis & ethnicis habentur: quemadmodum iuſſit Chriſtus. Neque tamen ſpes gratiae vlli negatur, ſi per ſeriam poenitentiam a damnationis via in ſalutis viam regredi velit. Quod ſi cui poenitentiae gratiam dari vident, gratulantur: & poſt ſufficientem poenitentiae, vtrum ſeria ſit, probationem, publice iterum cum laetitia totius Eccleſiae, recipiunt, 2. Cor. II. 7. Atque ita *alteram clauium partem* (poenitentibus coelum aperiendo) adminiſtrant.

Diſciplina haec Eccleſiaſtica, per omnes gradus, nec hypocritice, nec impetuoſe & tyrannice, ſed vt Apoſtolus monuit, Gal. VI. 1. *in ſpiritu lenitatis, & cum compaſſione intima,* 2. Cor. II. 4. 5. 6. 7. *nomine & auctoritate Chriſti,* 1. Cor. V. 4. *in aedificationem, non deſtructionem,* 2. Cor X. 4. 5. 6. & XIII. 10. In delinquentes extendi, a poenitentibus auferri, ſolet.

CON-

Google

CONCLVSIO.

ATque hi ſunt *ritus ordinis noſtri Eccleſiaſtici*, quos maiores noſtri e verbo DEI hauſtos amplexi, per duo iam ſecula, multa cum perſecutione & patientia, ſed multo ſuo & populi DEI cum fructu, obſeruarunt, pariterque nos (nihil hactenus aedificationi propius ſeruiens animaduertentes) obſeruare, cum DEO annitimur. *Si quibus Eccleſiis aliis eandem hanc, aut ſimilem, ordinis rationem ſequi allubeſcit, non inuidere, collaudare potius Deum parati ſumus*; modo obtineat Apoſtolicum illud, *omnia decenter & ſecundum ordinem fiant*, 1. Cor. XIV. 40.

DEVS miſericors eundem ſibi complacentem ordinem ſanctum inter nos, & vbique per chriſtianitatem ſuam, ſtabiliat, firmet, perficiat, in Eccleſiae ſuae ſalutarem aedificationem, nominis autem ſui laudem!

AMEN.

AD

Digitized by Google

AD RATIONEM ORDINIS ET DISCIPLINAE FRATRVM BOHEMORVM ANNOTATA QVAEDAM.

Ad Introitum.

(a)

IMo tot etiam ſapientum virorum extant ORDINIS elogia, vt mirum ſit, tam paucos mortalium quid rei ſit, et quam ſalutare, quod ORDO dicitur, attendere, nedum vt intelligant et obſeruent. Quin et diuinarum querelarum plena eſt Scriptura, *omnes homines ab aeterni ordinis legibus aberrare, ac in confuſiones infinitas adeo prolabi, vt peruerſa nequeant corrigi, et defectuum non ſit numerus*, Eccl. I, 14. 15.

O quam vere dixit, qui dixit, *ordo rerum anima eſt*. Vt enim corpus virum, per animam viuit, mouetur, ſentit, actionesque ſuas edit, anima ſublata corruit et fit cadauer: ita *quicquid vsquam rerum bene conſtitutarum viget, ordinis beneficio viget*. Vis exemplum dabo. Dic mihi quem vſum, aut oblectationem, hae litterae.

A a, d, e, i, m m, n, o o, r r r, u,

dare poſſunt? aut redactae quidem in aliquem, ſed non plenum, ordinem? exempli cauſa ſyllabicum,

Am, or, dor, er, um, an, i?

Aut denique in voces etiam redactae, ſed confuſe poſitae, ſine diſtinctione certa: vt

Ord orer uman ima.

Quid hic intelligis? intelliges autem mox, ſi diſtincte poſuero,

Ordo rerum anima.

Annon? Nihil tamen aliud modo dixi, quam ante, ſed aliter: easdem litteras, ſyllabas, voces, ſed prius inordinate, nunc ordinate, prolatas. Et ecce ibi fuit res inutilis, ſermonis cadauer nullam dans intellectui vitam (hoc eſt ſenſum nullum:) nunc eſt corpusculum animatum, vegetum, ſenſu et motu plenum. Idemque obtinet in omni ſermone, cogitatione,

operatione : *ſolus vnus ordo omnibus rebus dat viuere, eſſe durare, recte adhibitus; labi autem et interire, diſſolutus.* Experire in quocunque ſapientiſſimo libro: diſſolue in eo ſententias, verba, ſyllabas, litteras, vt adſint quidem, ſed non cohaereant, mox librum deſtruxeris, ex luce tenebras effeceris. Idem erit, ſi vincula corporis humani, vel alterius animalis, aut ſocietatis alicuius humanae, aut aedificii, horologii, et cuiuscunque rei, diſſolueris. Veriſſime igitur Poeta

Vis corrumpere cuncta in orbe?
Vnum ordinem corrumpito.

Et Plato *Ordine cuncta bona procedunt, inordinata etiam ordinata diſſipant:* Boethius denique

Quicquid praecipiti via
Certum deſerit ordinem
Laetos non habet exitus.

Et haec quidem ſic de ordine generatim.

(b)

De ordine Eccleſiaſtico in ſpecie aliquid apponendum eſt, quam a Deo et ſanctis viris vsque commendatus ſit, quanta eius agnita et celebrata vtilitas.

1. *Origines* (Hom. II. ſuper 2. caput Num.) ita ſcribſit. *Moſes dicit: homo ſecundum ordinem ſuum, et ſecundum ſigna ſua, et ſecundum domos familiarum ſuarum, incedat in caſtris.* Et Paulus dicit: *omnia honeſte et ſecundum ordinem fiant. Annon tibi videtur vnus eſſe Spiritus* Dei, *qui in Moſe et Paulo loquitur? Secundum ordinem Moſes incedi iubet: ſecundum ordinem omnia in Eccleſia geri praecipit Apoſtolus, &c. Non obſeruare igitur decorum Chriſtianis dignum, eſt legis et Euangelii ſtatuta contemnere, et nihil ſecundum ordinem gerere.*

2. *Chriſoſtomus* Homil. XXXVII. ad Corinth. I. *Nihil aeque aedificat, vt ordo rectus, vt pax, vt caritas; ſicut etiam contraria diruunt. Non ſolum autem in ſpiritualibus, ſed in omni re ſimiliter, id videris. Nam ſiue in choro, ſiue in nauigio, ſiue in curru, ſiue in caſtris, ordinem confundas, maioribusque ſuo loco emotis minora in eorum ordinem poſueris, omnia corrumpis, et ſic quae ſunt ſupra fiunt infra, &c.*

3. Et quid plures allegare opus? nemo antiquorum eſt, qui non ordinis laudes celebret: resque ipſa loquitur, Eccleſiam quamque particularem, quando plus intra ſe ordinis habet, tanto magis eſſe indiſſipabilem, etiamſi cetera ſatis vacillent: quemadmodum in Eccleſia Graeca et Romana videre eſt. Vt mirum ſit, quosdam noſtro aeuo ob ordinis illius abuſum, in ipſius ordinis odium prolabi, ipſaque ordinis vincula ſublata velle, ac in Eccleſiis ſuis tentare. Non meliore profecto ratione, atque ſi quis fulcra et columnas amplae domus auferre velit ideo, vt ne ſibi prae aliis trabibus, aut

Google

aut parietum partibus,plus aliquid tribuant. Aut ideo vellet corpus humanum non tot diſſimillimae formae et muniorum habere membra; vt ne ſe alia aduerſus alia efferendi occaſionem habeant. An vero hoc ſecundum Deum ſapere eſt? ideone corpus Eccleſiae lumbrico alicui corpori, ex mere ſimilaribus conſtanti partibus, ſimile eſſe mauolemus, quam corpori humano, diſtinctiſſimis vndique membris decorato? quis ita deſipiet?

4. Nam quia Deus non tantum *in opere creationis* ad numeros, menſuras, ponderaque diſpoſuit omnia: ſed etiam de *arca diluuii* Noae conſtruenda, *Arca foederis*, (cum altari, candelabro, ceteraque tabernaculi ſacra ſupellectile) Moſi condenda, et glorioſo templo Salomonis exaedificando, Ezechieli autem delineando, mandata dans, omnia numeris, menſuris, ponderibusque impleuit: tandemque DEVS ORDINIS dici honori ſibi ducit, 1. Cor. XIV. 33. quid quaeſo ex omnibus his, niſi omnia quae Dei ſunt (eſt autem Eccleſia inprimis) ordinis eſſe debere plena, concludemus?

5. Ipſam veterem Eccleſiam, populum Iſrael intueamur! *Cur hunc Deus in XII. tribus diuiſum, militarique ordine AEgypto exire voluit?* Exod. XIII. verſ. 18. *Cur quo ordine caſtra circumcirca tabernaculum locanda, rurſumque mouenda aut ponenda eſſent, praeciſe terminauit? Cur populum in decurias, centurias, millenarioſque diuidi, et ſingulis ſuos decuriones, centuriones, chiliarchas, duces, praefici mandauit? cur Eccleſiaſticis miniſteriis tribum vnam ſeparans, eos in Leuitarum, ſummique Pontificis gradus, diſtinxit? ipſos rurſum Leuitas per trinum ordinem, ſacerdotes vero* (per Dauidem) *in certas tribus, diuidens? cur et diuini cultus adminiſtrandi ritus omnes, ad minimas vsque minutias, praeſcripſit?* Cur, inquam, niſi quia Deus ordinis latentia vbique ordinis myſteria, attentioni noſtrae ſic vbique commendata voluit?

6. Nouam Eccleſiam quod concernit, *anno ipſe Dei filius in terra nobiscum verſans, Eccleſiamque fundans, ordinem ſimul fundauit?* Dum de toto fidelium populo primum LXX. diſcipulos, et ex his rurſum XII. Apoſtolos, elegit: inter hos duodecim tres iterum ſolos ad ſecretiora adhibens, qui poſtea *totius aedificii, Eccleſiae, columnae* (κατ' ἐξοχὴν) dicti fuerunt, Gal. II. 9. Annon hos ſolos, a ſe vocatos et ita praeparatos, ad miniſterium confirmauit? Luc. XXII. 30. Ioann. XX. 21. aliis, non vocatis, ſed ſe vltro ingerentibus, non admiſſis, Matt. VIII, 20. Annon *Paulus totam Chriſti Eccleſiam, ex Apoſtolis, Prophetis, Euangeliſtis, Paſtoribusque et doctoribus, ac fidelium populo coagmentatam, eſſe dicit corpus vnum, compactum et connexum per omnem iuncturam adminiſtrationis, ex vi intus agente pro menſura vniuscuiusque membri, &c.* Epheſ. IV. 11. 16. Hinc idem Apoſtolus ordinem tam crebro Eccleſiis commendat, aduerſusque irrepentes ataxias adeo zelat. Vt cum ad Coloſſenſes ſcribit: *ego corpore abſens, ſpiritu praeſens, gaudio videns ordinem veſtrum, et*

ſoliditatem fidei veſtrae in Chriſto, II. v. 5. ad Theſſalonicenſes autem: *denunciamus vobis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt vos ſubducatis ab omni fratre inordinate ambulante &c.* 2. Theſſ. III. v. 6.

7. Ex quibus omnibus patet, *quisquis ordinem vlla in re* (maxime autem in re maxima, regno DEI quod Eccleſia eſt) *laudat, commendat, ſuadet, eum non aliud quam quod Deus, omnesque ſancti ac ſapientes viri faciunt, facere.* Et viciſſim: *quisquis vlla in re* (maxime autem in maxima, regno Dei, quod Eccleſia eſt) *ordinem turbatum aut disſuaſum it, eum rem Deo et omnibus ſanctis contrariam agere*: eoque aut impietatem, aut ſtultitiam admittere, grauem Deo redditurus rationem. Vnde Poeta: *vel deſerit Deum deſertor ordinis.*

(c.)

Eccleſiae noſtrae primus fundator non fuit vnus aliquis, ſed multi pii in vnum collecti. *Huſſus* enim iam e viuis erat ſublatus: *Rokizanum* vero, vt ſeceſſioni a confuſionibus, quam ſuadebat, auctoritatem commodaret ſuam, exorare non poterant. Fecerunt ergo quod Apoſtolus ſuadet, *ſtuduerunt conſeruare VNITATEM Spiritus per connexum pacis, vt eſſent vnum corpus et vnus Spiritus, &c.* Eph. V. 3. 4. denominatione etiam non aliunde quam ab hac ſancta intentione, deriuata: vt huic ſuae ad VNANIMITATEM SPIRITVS recollectioni VNITATIS FRATERNAE inderent nomen. Quod et obtinet hucusque inter diſperſos: vtinam et res ipſas plene!

(d.)

De Eccleſiae verae notis operoſe diſputant. Verum quid opus: nonne Apoſtolica illa Act. II. 42. et Epheſ. IV. 1. 6. ſufficiunt? Nonne illa commode ad tria haec vocantur? *I. Doctrinae puritatem*, iuxta Euangelium Chriſti. II. *Vitae ſanctae ſtudium*, ad imitationem Chriſti. III. *Ordinis cuſtodiam*, ad ſeruandam ſpiritus vnitatem. Simplicisſima haec ſunt, fucum minus admittentia.

(e.)

Siquis noſtrum de reſiduis Eccleſiae Bohemicae, Apoſtolicum illud hoc loco vſurpare velit, *habemus quod gloriemur per Chriſtum Ieſum, in iis quae ad Deum ſunt.* Rom. XV. 17, non vanus fortasſis fuerit, cum gloriari in Domino pars diuini cultus ſit: bona ſua non vt ſua, ſed vt Dei dona (ſiue poſſeſſa adhuc ſiue amiſſa) celebrando. Ego tamen qui has adiicio notas, eundem Apoſtolum religioſe ſequi propono, dicentem: *ſi voluero gloriari, non ero deſipi-*

deſipiens, *veritatem enim dicam*; *ſed parce loquar*, *ne quis de me reputet ſupra id quod cernit eſſe me*, *vel audit ex me*, 1. Cor. XII. hoc eſt, propono nihil niſi veritatem loqui, ea ſolum de nobis narrando, quae noſtris in conſtitutionibus et praxi fuerunt vere. Et quidem ea ipſa quoque parce: non ad gloriolam inde captandum; ruborem potius et dolorem, ob amiſſam tam pulcre formatam (vt magni exiſtimarunt viri) Eccleſiam. Habeat etiam in confuſione noſtra vndique ſibi debitum honorem Deus: habet etiam e ruinis noſtris ruinas cauendi exemplum Eccleſia Dei.

Annotata ad Caput I.

(A.)

Prima haec erga illos gratia Dei fuit, potuiſſe confuſiones notare, diſtinctionisque anhelare lucem.

(B.)

Mirari ſubit, cur Theologi moderni ſyſtemata Theologiae concinnando, Apoſtolicam illam de *FIDE*, *CARITATE*, *SPE*, non ſeruent trichotomiam: ſed plerumque duas tantum Theologiae partes, de *FIDE & VITA*, conſtituant. Quaſi aut nihil ſublime, ſit quod per fidem Chriſti pie viuentibus promiſit Deus; aut illud obiter hic vel illic interſpergi ſufficiat. Cum tamen et *primum illud ſolemniſſimum*, *cum fidelium patre Abrahamo initum Dei foedus*, *diſtinctiſſime tria illa proponat*; et per vniuerſam ſcripturam illa aeque notari poſſint. Ibi enim Abrahamum ita alloquitur Deus.

I. *Ego ſum Deus omnipotens*, Gen. XVII. v. 1, hic fides fundatur in ſolum vnum Deum.

II. *Ambula coram me*, *et eſto integer*. Hic amor et obedientia.

III. *Et ego tibi ero clypeus*, *mercesque tua ampla* valde Gen. XV. 1. Hic ſpes aeternae protectionis, aeternaeque retributionis.

Similiter Chriſtus, noui foederis fundator, Ioan. XIV,

I. *Creditis in Deum? etiam in me credite*, v. 1.

II. *Si diligitis me*, *praecepta mea ſeruate*, v. 15.

III. *Aſſumam vos*, *vt vbi ego ero*, *et vos ſitis*, v. 3.

Digitized by Google

Diſcedens vero mundo ſimiliter, Math. XXIIX. v, 19.20. Et Apoſtoli ſaepe: *vt 1. Cor. XIII. 13. Epheſ. I. 15. 18: Coloſ. I. 4. 5. 1. Petr.* I. *v. 3. 7. 8. Actor. XXIV. 14. 15. 16.* et alias paſſim. Quam proinde partitionem recte Auguſtinus *Enchiridio ad Laurentium* retinuit: et maiores noſtri. Recte inquam: *quia Chriſtianiſmus a theoria inchoatus, per praxin deducendus eſt in chreſin*: hoc eſt a *fidei* fulgore per *caritatis* feruorem in ſuauitatem ſpei, de perennatura miſericordia Dei, promouendi ſumus.

(C.)

Apoſtolicas traditiones, puriſſimos eſſe fontes, primitiuaeque Eccleſiae conſuetudines, proximos inde riuulos, nemo Chriſtianorum dubitat. Nec ergo dubitare debet, ea quae poſt Apoſtolos irrepſere, ad has regulas exigenda eſſe: melioraque eſſe fontibus proximiora.

(D,)

Vtinam ſic vbique: vt nihil vſquam temere, aut priuato cuiusquam arbitrio, communi tantum Eccleſiae conſenſu, mutetur. Quod quia in nuperis (a variis varie tentatis) reformationibus obſeruatum non eſt, mirumne videatur, quod Eccleſiae adeo ab inuicem difformes factae, in tot lites, de Adiaphoris etiam, prolapſae ſint? Emendet DEVS!

(E.)

Verum eſt Eccleſiam appellari GREGEM, miniſtros Eccleſiae PASTORES: non tamen vago ſenſu, vt quae pecus praecedat aut ſequatur nihil interſit, promiſcuaque ſint omnia. Sed tantum vt pii Deo ſuo ſe eſſe curae, deque paſcuis vitae ſibi proſpici, et ſalutis duces atque cuſtodes diuinitus dari, ſciant et gaudeant.

2. Ordinis alioquin in Eccleſia, maiorem quam in grege rationem eſſe habendam, inde conſtare voluit Deus, quod eandem Eccleſiam ſuam *populum* ſuum, *domum* ſuam, *ciuitatem* ſuam, *regnumque* ſuum, et *caſtrorum* ſuorum *aciem ordinatam*, appellatam voluit. In his autem omnibus politica ſocietas eſt, perſonarum gradibus diſtincta. Hinc Gregorius Nazianzenus: *ordo in Eccleſiis conſtituit, vt alii oues ſint, alii paſtores, alii praeſint, alii ſubſint,*

alius

Digitized by Google

alius velut caput ſit, alius pes, alius manus, alius oculus, alius aliud quoddam corporis membrum, ad totius Eccleſiae communitatem, vel vtilitatem, ſuperius vel inferius. Hunc ordinem reuereamur, o fratres! hunc tueamur et conſeruemus! alius ſit auris, alius lingua, alius manus, alius aliud quiddam, &c.

3. Obſeruanda hic inſuper ſint duo.

I. *Omnem ordinem eſſe a Deo, tametſi ordinis determinatio non ſemper immediate a Deo veniat, ſed a prudentia humana.*

II. *Etiam illa quae humanae ſunt inſtitutionis obligare conſcientias: ſi diuinae inſtitutioni non repugnant, ſed illi ſubordinantur.*

4. Primi veritas pateſcit exemplis diuinae approbationis, in rebus tum politicis tum Eccleſiaſticis. Vt quod conſilium a Iethrone Moſi datum, *de ſubordinandis ſibi Iudicibus*, ratum habuit Deus. Et quod toties populi Iſraelitici, iudicem ſibi (propter aliquod heroicum factum) eligentis, aſſenſu et benedictione ſua firmauit. Et quod cum Dauid Leuitas et Sacerdotes in claſſes certas (melioris ordinis cauſa) diſtribuiſſet, non aliter id atque ſi a Deo ipſo profectum eſſet acceptum, conſtanterque (vtroque durante templo) obſeruatum fuit. Et quicquid praeterea e ſcripturis adduci poſſet: poſſent autem innumera.

5. Quod autem haec conſcientias obligent, vnicum Petri Apoſtoli effatum abunde oſtendit, dicentis: *ſubiecti eſtote omni HVMANAE ORDINATIONI, PROPTER DOMINVM, ſiue Regi, vt ſupereminenti, ſiue praeſidibus, &c.* 1. Petr. II, 13. Conſonat Paulus, *magiſtratibus politicis* (etiam infidelibus) *ſubiici oportere fideles docens, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, Rom. XIII. 5. Quae duorum Apoſtolorum auctoritas temeritati humanae (vt ne cuiquam Deum et conſcientiam reuerenti, quidquam ratione recta ſemel conſtitutum turbare libeat) obices ponit.

(F.)

Laſitius quartam auditorum claſſem addit, *poenitentium:* qui in aliquod ſcandalum prolapſi tantiſper ab Eccleſiae communione ſuſpenduntur, donec ſe per veram reſipiſcentiam Deo, conſcientiae ſuae, Eccleſiaeque (quam contriſtarunt) reconcilient. Quod hic vbi ordinarii tantum gradus recenſentur, omittitur: infra vero, vbi de diſciplina agitur, Capite VII. attingitur.

(G)

Perfectus hac in vita nemo eſt, eſſe tamen ſtudere debent omnes? iuxta illud Chriſti, *perfecti eſtote ſicut pater veſter in coelis perfectus eſt*, Matt. V. 48.

aliasque

aliasque ſimiles, saepe in ſcripturis occurrentes, exhortationes. Hinc Apoſtoli auditores ſuos, prae ceteris longius progreſſos, *perfectos* appellarunt, 1. Corint. II. 6. et XIV. 20. Philipp. III. 12. Hebr. V. 14. &c. quorum imitari et ſtudium et ſtylum temeritatis non eſt.

(H.)

Presbyter, nomen graecum, latine *Seniorem* notat, tribuiturque ab Apoſtolis tum Eccleſiae paſtoribus, tum eorum in attentendo gregi adiutoribus, *qui in doctrina et ſermone non laborant*, 1. Tim. V. 17. quales hi noſtri: vernacule nobis Gaudcowe zbern/ hoc eſt *iudices coetus*, ſeu *cenſores plebis*, itemque *ſeniores politici* dicti (N.B.) Non equidem ignoro, *Hugonem Grotium operoſe probare*, *Presbyteros Apoſtolis non fuiſſe alios praeterquam paſtores*, locoque illi ad Timothium alium dare ſenſum. Quia tamen tandem fatetur, *etiamſi tales Eccleſiae ſeniores*, *paſtorum in Eccleſiaſticis iudiciis aſſeſſores*, *humanae prudentiae inſtitutum ſint*, *eſſe nihilominus perutile*, *et retinendum omnino*: neminem quod cum ratione obloquatur facile reperturum ſpero. Quas ille conditiones adiicit, vt nequidquam abuſus irrepere poſſit, bonae ſunt, ſub finem capitis XI, libri, quem *de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra inſcripſit*.

(I)

De his eorum officiis conſcriptum habemus libellum: quo Eccleſiaſticae huius dignitatis auctoritas ſtabilitur, parteſque muneris digne adminiſtrandi explicantur. Summam horum Laſitius habet Cap. XXII. et XXIII. vbi videri poſſunt.

(K)

Seniores politicos, viros, diſciplinae Eccleſiaſticae vna cum paſtoribus cuſtodes, habent aliae quoque reformatae Eccleſiae, vti notum: *matronas eo fine adhiberi*, *niſi apud fratres*, *auditum non eſt*. Fieri vero id etiam Apoſtolicarum Eccleſiarum imitatione, allegata oſtendunt loca: quod autem vſu bono, docuit experientia. Addo Grotii teſtimonium: *conſtat in veteri Eccleſia matronas fuiſſe*, *quae meliores ceteras ad vitam honeſte inſtituendam hortarentur*; *quas et πρεσβύτιδας appellarunt*: *et quia ſupra ceteras mulieres, ſedebant in Eccleſia*, *προκαθημένας*. *Abrogauit eas Canon XI. Laodicenae*, *cum*

ad

Digitized by Google

ad id tempus manſiſſent, *vt notat Balſamon.* Cur autem abrogauit? ob quos abuſus? nullum apud nos notare potuimus. Reuocandum videtur, quicquid aedificationi ſeruit.

(L)

Conſueuit ſane, ſed non ſatis optato euentu. Patuit enim non fruſtra maiores Apoſtolicum illud, *ſcientia inflat*, metuiſſe. Sicut et Eraſmus ipſe, ob renaſcentes litteras gaudiũ ſuum non ſine metu exprimens, epiſtola quadam: *omnia pollicentur* (inquit) *feliciſſime rem ſucceſſuram. Vnus tamen ſcrupulus habet animum meum, ne ſub obtentu priſcae litteraturae caput erigere tentet Paganiſmus.* O vocem ominoſam, nimis vaticiniam! Sub iſta enim gentilis ſapientiae luce Chriſtianiſmum verum, purum illum et ſimplicem (praeter Chriſtum crucifixum omnia ignorare affectantem) euanuiſſe propemodum, agnoſcunt et deplorant viri ſancti. Sicut et nos iam veritatem illius experti, quod Eraſmus cauſſam ſui metus reddens addidit: *ſic enim fert natura rerum humanarum, vt nullius vnquam boni tanta fuerit felicitas, quin huius praetextu mali quidpiam ſimul conaretur irrepere.* Irrepſit profecto apud nos etiam: dum in plerisque litteraturam affectantibus, nouum illud plura ſciendi deſiderium extinxit priſtinum Eccleſiam aedificandi ſtudium: cantillarique cum Seneca neceſſe habuimus, *poſtquam prodierunt docti, deſierunt boni.* Eheu quam multos [apud nos etiam] arbor ſcientiae abduxit ab arbore vitae? Non irrationale igitur tandem fuit Eraſmi votum: *optarim frigidas iſtas argutias* (humanæ eloquentiæ, Logicarumque ſubtilitatum) *amputari prorſus, Chriſtumque illum ſimplicem ac purum reſtitui, penitusque humanis mentibus inſeri.*

(M.)

De Miniſterii apud fratres gradibus diuerſis, Laſitius Cap. III. docet, quod non ſine exemplo Chriſti, Apoſtolorum, primæuæque Eccleſiæ adhibeantur. Quibus addi poteſt quod ſupra poſui, Annot. ad Introitum (b) §. 5. & 6. pulcrumque illud *Gregorii Nazianzeni* ex oratione funebri *Baſilii Magni*: quem dilaudans, quod per Eccleſiaſticos gradus legitime ſemper aſcenderit, hæc addidit: *nauticam legem laudo, quae gubernatori futuro primum remos tradit, deinde ad proram eum collocat, demumque poſt diuturnam remigationem, ac ventorum obſeruationem, ad gubernacula conſtituit. Eadem rei militaris eſt ratio: miles primum, deinde centurio, tandem imperator.*

1. Quod autem iidem gradus non per ſaltum conferantur, ſed or-

dine ad naturae leges ſit, quas & in artificioſis obſeruamus libenter, præcipitia & confuſionem vitaturi. De quo ita *Chryſoſtomus* (Homil. 5. ad Coloſſ.) *In ſcalis primus gradus transmittit ad ſecundum, ſecundus ad tertium: neque a primo venire licet ad quartum, ſicuti fieri non poteſt, vt ad ſecundum veniatur ante primum: alter ad alterum via eſt, &c.* Nempe ſenex non fit, qui non ante vir, neque vir, priusquam iuuenis fuit, neque puer, qui non prius infans. Gradata enim Deus eſſe voluit omnia: vbique *gradatim ire eſt ſapienter ire.*

3. *Qui ergo graduum diuerſitatem a miniſterio ſublatam volunt, non intelligere videntur quid agant*: quia *miniſtrorum paritas nec ad Eccleſiae decus facit, nec ad ſtabilimentum.* Non *ad decus*: quia varietas vbique delectat, identitas vbique ſatietatis, tandemque faſtidii mater eſt. *Non ad ſtabilimentum:* quia res quaeque tum demum firma eſt, cum partibus minoribus ab maiores ſeſe referentibus, maioribusque ad totum, per propria vndique vincula ſibimet cohaerent omnia. Ideo Deus inter coeli ſidera varietatem poſuit: *vt alius decor ſit ſolis, alius lunae, alius ſtellarum*! quin *& ſtella ſtellae praeſtat decore*, 1. Cor. XV. 41. Eccur igitur ſpirituale coelum, Eccleſiam, ab hac idea vellemus abire? In *aedificio* vero num omnia lignamenta trabes? aut columnae? aut culmina? num in *corpore* noſtra omnia membra vnum membrum? Tolle differentiam capitis a corpore, oculorum ab auribus, linguae a corde, manum ab pedibus, quid erit? nonne monſtrum? quam pulcrum eſt non ſapere ſupra Deum!

(N.)

De Acoluthis Fratrum plura Laſitius habet Cap. IV v. 10. ad finem.

(O.)

Diaconos pluribus deſcribit Laſitius Cap. 5. §. 1. &c.

(P.)

Conſiſtorii vox antiquis locum, vbi iudices conſiſtebant, aut conſidebant, ſignificans, ad Eccleſiaſticos iudiciales conſeſſus pridem adhiberi coepta eſt, & adhibetur: ſicut & graeca vox *Synedrii.* Fratribus locus talis vnus, certus, fixus, defuit, quia tamen res non defuit, *ſeniores nimirum populi ad conſilia electi, & auctoritati; vbiubi ad conſilia conueniebant, ſenatus Eccleſiaſticus, conſiſtorium, ſynedriumque fuit.*

(Q)

(Q.)

EPISCOPORVM nomen ex Apoſtolicis ſcriptis notiſſimum eſt: vis autem eius ex ipſo graeco ſermone, SPECVLATOREM ſeu INSPECTOREM notans. Recte, ſi veritas non deſit: ſtudium ſcilicet fidem, vitam, mores, commiſſorum ſibi fideliter *ſpeculari, inſpectare*, *attendere*. Hinc *epiſcopum* Hieronymus *ſupraattendentem* vertit (ad Euagrium, in I. Petr. V.)

2. Inutilis igitur eſt quorundam ſuperſtitio, *epiſcopale* nomen propter abuſum in papatu abominantium. Nam & nomen *Eccleſiae*, *Euangelii*, *miniſterii*, *clauium*, *ſacramenti*, & quid non? abuſu ibi profanatum eſt. Si propterea omnia ex antiquitate reiicimus, ne nomina quidem retinentes, quid tandem remanebit? *Nomenclatura ſacra impoſitionis diuinae*, *ſupellex ſacra domus Dei eſt*: non abiicienda ſi polluta, ſed emundanda, *Ieſ. LII. 11. & LXVI. 20.* Annon vaſa ſacra templi Dei Balſaſar turpiſſime profanauerat? *Dan. V.* 3. *IV. 23.* non tamen propterea in templum Dei recipi, vſibusque priſtinis reſtitui, indigna habita? *Eſdr. I. 7.* 8. Æterni vſus regulam nobis aeterna Dei ſapientia Chriſtus tradidit, *res origine bonas*, *abuſu tantum malas*, *non abiiciendi*, *ſed ad principia reuocandi*, Matth. XIX. 8. Fateor equidem vbi Reformatis inter Papiſtas (*quibus epiſcopalis dignitas opes*, *honores*, *mundanamque pompam ſonat*) viuendum eſt, totius nomine illo graeco abſtineri, latinumque illius loco, aut vernaculum, adhiberi; *modo res ipſa interim* (*vigilantia ſuper gregem Domini*) *tanto diligentius vrgeatur.* At vbi extra periculorum ſepta ſumus, cur Eccleſiam ornamentis, firmamentisque ſuis, exuamus?

3. Si quis dicat: *Apoſtolis idem eſt Epiſcopus qui Eccleſiae paſtor*, reſpondeo, eſto. *Sit quisque paſtor Epiſcopus Eccleſiae ſuae*, hoc eſt *inſpector* ac *ſuperintendens* gregis ſui: an ideo ipſe inſpectore quoque ſuo non egebit? Vidit Apoſtolica Eccleſia egere omnino: ideoque vt plurium Eccleſiarum inſpectores, ſuum rurſus inſpectorem (κατ' ἐξοχὴν *Epiſcopum* dictum) haberent, inſtituit. *Cur pia haec antiquitatis prudentia contemnitur? An grex paſtorum non etiam grex eſt? grex autem ſine paſtore quid eſt? Omnia videns oculus noſter, ſeipſum non videt: ſed videtur ab alio oculo. Ergo et Eccleſiae inſpector alios inſpectans ſeipſum non videre poteſt: alio igitur inſpectore, qui illi hoc idem quod ille aliis praeſtat praeſtet, ne aſpernetur.* Quem ſi eſſe expedit, legitime quoque conſtitui expedit: vt quis cui inuigilare debeat, & a quo exigendum ſit, ſi non recte res adminiſtrentur, omnes ſciant.

4. Verbo, ſiue vnus ſit, ſiue plures, qui eccleſiarum miniſtris attendant; & ſiue graeco nomine *Epiſcopi* dicantur, ſiue latino *inſpectores* vel *ſuperintendentes*, aut vernaculo, cuiuis genti proprio vocamine, nihil adeo intereſt:

Digitized by Google

tereſt: modo Eccleſia (etiam ex multis particularibus Eccleſiis collecta) non ſit. *Domus ſine Ianitore, grex ſine paſtore, chorus ſine chorago, nauis ſine gubernatore*, &c. Siue quidem officium hoc ſtatum ſit, ſiue ambulatorium: de quo mox.

(R.)

Ordinarie duo erant in Bohemia, duo in Morauia, vnus in Polonia, aliquando tamen ibi etiam duo.

(S.)

Quaeritur, *Superintendentiam, ſeu regiminis praſidentiam, praſtetne ſtatam eſſe* (perſonis ſemel electis perpetuo relinquendam) *an ambulatoriam*? Reſp. Quædam noſtro aeuo Eccleſiae poſterius malunt, praxique exercent, hiſce rationibus motae. I. *Quod ſic occaſio ſit exercendi omnes.* II. *Quod praecaueatur ambitio & faſtus, cum omni dignitatis abuſu, ne vllus Diotrephes turbare queat Eccleſiam.* Aliae vero Eccleſiae (fratrum etiam) malunt prius. 1. *Quia ſic Deus omnia inſtituit lege ſua, iudices, reges, Leuitas, Sacerdotes, ipſumque ſummum pontificem*: vt ſemel conſtituti, manerent ſemper. 2. *Quod Chriſtum id vel Apoſtolos mutaſſe, nullo praecepto vel exemplo oſtendi poteſt.* 3. *Homines potius prudentiae ſuae ductu.* Ex. gr. *Iudaei pontificatum ſummum annuatim inter ſe commutando, tempore* Chriſti, Matth. XXVI. 3. Ioh. XI. 51. Act. IV. 6. *In quod conſilium veniſſe videntur occaſione abuſuum ſummae illius dignitatis, quamdiu penes ſingulos perpetuos manebat;* proterue enim multa occipiebant, alius alium detrudendo, vt ex Maccabaeorum libris conſtat. *Sed an euentu bono inſtitutum Dei mutarunt?* ex euangelii hiſtoria euidens fit, vix vnquam peius atque ſub ambulatoriis iſtis habuiſſe Iudaicam Eccleſiam, fidei & morum reſpectu, Actor. V. 17. Ideo tandem penitus a Deo reiecta, 1. Theſſ. II. 15. 16.

4. Nec habemus exemplum Chriſtum quicquam ambulatorium inſtituiſſe, ſtata omnia. Ex. gr. *diſcipulos e populo elegit* 70. illisque poteſtatem dedit docendi, baptizandi, miracula edendi: *manſerunt.* *Ex his rurſum ſelegit* 12. *Apoſtolos*: *manſerunt.* *Ex Apoſtolis rurſum ad ſingularia opera tres adhibebat*: an in orbem? non: eosdem perpetuo, *Petrum, Iacobum, & Ioannem.* Qui & quamdiu vixerunt, *columna* dicti fuerunt, Galat. II. v. 9.

5. Nec Apoſtolos Eccleſiarum paſtores, aut ſeniores, temporarios inſtituiſſe, aut vices mutari permiſiſſe, vllum extat veſtigium: extant in contrarium teſtimonia. Vt eſt illud Chriſti ad Epiſcopum Smirnenſem: *eſto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae*, Apocal. II. 10.

6. Nec

Digitized by Google

6. Nec in Eccleſia primitiua, poſt Apoſtolorum tempora, viciſſitudinarii regiminis vlla extant veſtigia.

7. Eoque nec in vlla hucusque Eccleſia Graeca, Latina, Armenica, Abyſina, &c. omnia vbique ad formam diuinae ordinationis, perpetua.

Patet igitur, pro Antiſtitura perpetuitate & plura & validiora eſſe argumenta: contrariaque illa facile ſolui poſſe. Nempe vt

(1) *Exerceant omnes ex ordine.* Reſp. Recte, ſed in remigatione inferiore, vt Nazianzenus loquitur: ad clauum non adhibendi niſi iam exercitati.

(2) *Prohibeatur ambitus, faſtus, tyrannis.* Reſp. Prohibeatur, ſed viis ordinationem Dei non euertentibus: quas annon ipſe Deus oſtendit? Addatur ſcilicet Eccleſiæ Antiſtiti Synedrium ſuum, vt Moyſi & Aaroni 70. ſeniores: citra quorum conſenſum nihil agat in maioribus. Et ex inſtitutione Chriſti, *non ſi dominentur Apoſtoli* (eorumque ſucceſſores Epiſcopi) *quomodo reges gentium: ſed qui maximus eſt in Eccleſia, ſit ſicut minimus; & qui aliorum ductor, ſicut qui miniſtrat*, Luc. XXII. 25, 26. hoc eſt: *Non permittendae illis opes & honores mundani neque poteſtas in alios violenta: ſed vt ſint actores & miniſtratores; ita ſubiecti omnibus, quomodo illis ſinguli. Cuiusmodi aduerſus periculoſam licentiam circumſcriptae poteſtatis annon alibi exempla? Nonne Spartani regem ſuum ab exorbitando cohibere poſſunt, adiunctis illi ephoris?* Nonne *Veneti* ducem ſuum aſſiſtente illi ſemper ſenatu? *Et Fratres Bohemi* ſeniores ſuos, aſſociato cuique ad latus vno & altero conſeniore? repetitisque ab his etiam iunctis, ſynodali auctoritate, actorum omnium rationibus: *Nempe tum demum bene prudentia humana diuinae ſubſeruit ſapientiae, cum ordinationem diuinam non tollit, ſed a ruina praefulcit.* Quod vltimo dicitur, *antiſtites fratrum per vitae dies in officio* (niſi quis minus digne ſe gerat) *relinqui:* addendum eſt, epiſcopos fratribus per hos ducentos annos fuiſſe (vti *a Regenuolſcio in Hiſt. Eccleſ. Slauonicarum Lib. III. Cap. X. recenſentur*) LV. inter omnes tamen hos neminem loco fuiſſe motum, legimus. Quod diuinæ bonitati, diſciplinaeque ſalubritati acceptum ferendum. Sed qui aetate aut laboribus eneruati, ipſimet officio vltro cedentes rude donari petierunt, & impetrarunt, ſex ſeptemue fuerunt.

(T.)

Iſta plantularum Eccleſiae cura ita fuit inſtituta, vt quisque paſtor adoleſcentulum bonae indolis vnum & alterum domi ſuae, conſentientibus, imo plerumque expetentibus, parentibus alere, exercitareque, teneretur. Quos viſitationis tempore antiſtites, aut in propoſito confirmabant, &

 ad

Digitized by Google

ad ſe aut alio (ad vberiores exercitii occaſiones) transferebant: aut rurſum (ſi non idoneum forte organon videbatur) dimittebant. Penes ſe autem eosdem Eccleſiae alumnos maiore numero ſuſtentare, maioribusque profectuum occaſionibus inſtruere, antiſtitum erat.

(V.)

Nempe iuxta canones antiquiſſimos, qui Apoſtolici vocantur, praecipientes *Presbyteros ab Epiſcopo ordinari. Epiſcopum autem nonniſi a duobus vel tribus* Epiſcopis.

(W.)

De hac paſtorum Eccleſiis praeſentatione (ſine praeuia alibi vſitata populi, aut qui ius patronatus habent, electione) plena informatio erit Capite II. Annot. Rr. Ibi videatur.

(X.)

Ita nimirum in hac fraterna coalitione alii ab aliis dependemus, vt omnes tandem non niſi ab vno illo ſolo, a quo coelum & terra pendent, pendeamus. Verum de hoc dependentiae bono, independentiaeque noxa, Cap. VII. pluribus agendi occaſio erit.

(Y.)

Quae Apoſtolicis Eccleſiis neceſſitas fuit plurium Eccleſiarum paſtoribus inſpectorem praeficiendi, *Epiſcopum*; eadem fuit (poſt Eccleſias multiplicatas) pluribus Epiſcopis praeficiendi inſpectorem, *Archiepiſcopum*; metus nempe ſchismatis, & Eccleſias in vnitate continendi deſiderium. Fratribus quidem *Archiepiſcopos* conſtituendi nulla fuit neceſſitas (Eccleſiis eorum non ample diffuſis) neceſſe nihilominus tamen fuit inter pares etiam honore, ordinis cauſſa, *Synedrii praeſidem* conſtitui: ſed citra noui tituli, novaeque ordinationis ritum.

(Z.)

De libros apud nos edendi conſuetudine, recte annotauit Laſitius,

Cap.

Digitized by Google

Cap. XXII. *Nihil exiiſſe in lucem, non prius a pluribus, quibus id commiſſum fuit (delectis e ſeniorum & miniſtrorum numero) examinatum. Idque ideo, vt certiora eſſent, quae prudentes aliquot perpenderunt: neue aliquid ineſſet falſi, in errorem lectores abducens; aut ſtomachoſi, eosdem offendens.* It. *Nihil prodire ſolitum (niſi ſingulares ſubeſſent cauſſae) VNIVS alicuius, ſed VNITATIS, nomine: vt alia aliis membra eiusdem corporis honorem adferrent, eoque inani gloriae (animos ſcriptorum plerumque titillanti) anſa praecideretur: ſcripta vero ipſa, tanto maius pondus & auctoritatem haberent. Qua hodie alibi ſublata diſciplina* (pergit idem) *dum quod cuiuis in mentem venit, id illi ſpargere in vulgus licet, nemoque ſe non ita doctum & liberum exiſtimat, quin ſibi quiduis excogitandi, & (vt humanum ingenium eſt) vel optima damnandi, integra facultas ſit: inde eſt vt tot de iisdem rebus opiniones, & tam multa errorum, ſectarumque genera prodeant.*

2. Hæc ille: quibus addo, *polemicis ſcriptis nos occupari non ſolitos.* Tum quia ſimplicitati noſtræ parum conueniebat litigiis occupari, tum quia illius rei apud alios exiguum notare fuit vſum, euidentiſſima potius damna. Quas enim non tragoedias ille diſputandi pruritus excitauit? & quid profectum eſt? Non ſopitae ſunt diſcordiae, ſed auctae, nec deciſae lites, ſed in minutiſſimas minutias conciſae, vt quaeſtionum, & ſubquæſtionum, nullus ſit numerus. Vbi autem illud Hilarii, *non per ſubtiles quaeſtiones nos Deus ad coelum vocat*, manebit? Atque vtinam inter ſubtilitates iſtas, non illius quod in opere fidei primarium eſt, obliti fuiſſent? *Caritatis* mutuae, *manſuetudiniſque*, quam a ſe diſci iuſſit Chriſtus, tum demum animabus requiem promittens, Matth. XI. 29. Sed ſtupenda vidit ſeculum noſtrum, quomodo Euangelicam profeſſi veritatem, contra Euangelicam manſuetudinem cum inuicem egerint, & in quot acerbiſſimas factiones abierint. Noſtri ergo nec duces, nec aſſeclae tumultum, eſſe voluerunt: id operam dare conſultius rati, vt boni eſſent quam docti: ruſticioreque illo (vt Seneca loquitur) contenti titulo, paci, concordiae, ordinique inter ſe conſeruando potius, quam inſectandis aliis, ſtuderent.

3. *Apologias quidem pro veritate doctrinae, & innocentia vitae, ſcripſerunt, ſine tamen inuectiuis in alios: tantum pro impetranda pace.* Nec ſemper quoties impetebantur: ſilentium quandoque ſibi facientes clypeum. Atque id vsque adeo, vt ſcriptas etiam quasdam, imo a prelo exemtas, ſuppreſſerint apologias: cuiusmodi ſcriptum in manu eſt, vnum & alterum, ſolidum ſatis. Sed quando cum aduerſario proteruo res fuit, qui conuiciari potuit, nocere non potuit, maluerunt (re melius expenſa) proteruiam ſilentio vlciſci, chartas vero rixatrices tineis arrodendas tradere.

4. *Pau-*

Digitized by Google

4. *Pauca ergo ſcribebant, ſed practica, prout rerum ſtatus requirebat.* Ex. gr. Tempore belli (tum nobis vicini Turcici, quod vltra ſeculum Hungariam motibus, nos metu, quaſſabat) *de Bello* ediderunt tractatum, quam atrox iræ Dei ſit flagellum, & quomodo auertendum, &c. Tempore item famis *de fame*; peſtis *de peſte*, &c. Si pacis tempore luxuriari videbant animos, moresque prolabi, ſcripſerunt ac ediderunt (non magnæ molis, ſed ponderoſum) libellum (Náuratwa *de Emendatione morum*,) informantes ſeipſos per omnes ordines, ætates, ſexus quid cuique loco ſuo (ad veri Chriſtianismi leges emendandum eſſet, &c. Vtinam imitemur, vtinam emendemus, altius prolapſi omnes!

(*Ad pag. 18. & 19. de Conſenioribus.*)

Toto orbe decretum eſt, vt ad tollenda ſchismata & diſſidia (qualibet in vrbe) *vnus de Presbyteris electus ſuperponeretur ceteris*, inquit Hieronymus. Si tamen regio vna circa vrbem amplior erat, paſtorumque numerus maior, quam vt omnibus muniis ſufficeret Epiſcopus, deſignabantur certis locis *Chorepiſcopi*, qui minoribus in negotiis Epiſcopi vices obirent. *Nihil ergo praeter antiquitatis exemplum hac etiam parte nobis vſurpatum fuit.*

2. Quod de conſiliorum fide (§.10.A.a.) monetur, tam ſtricte fuit obſeruatum (ad conciliandum decretis reuerentiam, praeueniendumque incommoda, ex garrulitate oriri ſolita) vt aliqui ob vulgata intempeſtiue conſilia *ſenatu moti fuerint.*

Annotata ad Caput II.

(Bb.)

Addendum (ſexto) ad videndum, *num aliquid totam concernens Vnitatem emendari habeat, & quomodo?* quale ab initio Eccleſiae noſtrae fuit *de gladii poteſtate, & magiſtratu*; itemque *de rebaptizandis, qui e Papatu veniebant, diſceptatio.* Nempe, nolebant noſtri peccatum, quod in Romanenſibus taxamus omnes, peccare, *impeccabilitatem* ſibi, ſeu *inerrabilitatem*, & dehinc *irreformabilitatem*, tribuendo. Recte, quia vt fidelium quisque, ita Eccleſia tota, organa muſica in Dei manu ſumus; exactiſſime licet concinnata, chordis tamen laxari, & in disharmoniam prolabi, reconcinnarique ſubinde, opus habentes. Quod dum non obſeruant quidam, ſed ſibi plenam iam per-

perfectionem, eamque fixam, imaginantur, non ſolum nihil emendant, ſed etiam altius ſemper prolabuntur: immemores, *Eccleſiam non ſolem eſſe* (Eccleſiae ſponſo id datum) *ſed lunam, lumine creſcere & decreſcere poſſe*, &c. Verum ea de re agi non huius eſt loci: promiſſum tantum Dei addam: *emendanti viam oſtendam ſalutare Dei*, Pſ. L. 23.

(C c.)

De ſynodi loco ſoli epiſcopi inter ſe concludebant: tum ille in cuius dioeceſi celebranda erat, paſtori loci rem aperuit, & quomodo neceſſaria providenda eſſent, docuit. Reliqui paſtores nonniſi paucos ante dies inuitati, ſilentiique admoniti. Qua prudentia tum propter hoſtes foris tum ad euitanda domi incommoda, vti mos fuit.

(D d.)

Seniores tamen & conſeniores vnum anteuertendo diem, ad prædisponendum omnia melius: quem praecedaneum diem quomodo transmittere ſoliti, paucis innuam. Conueniebant deſtinato ſeſſionibus loco: praemiſſaque a praeſide pathetica oratione procubuerunt, diuinam ardenter implorantes opem. Precibus peractis, fiebant a praeſide ad concordiam, amorisque redintegrationem, exhortationes: quo ad conſilia pro communi ſalute, animis vndique puris accedere poſſent omnes. Mox praelegebatur a notario *regeſtrum officiorum*, quod vocabamus, (*liber erat, quo poteſtas a Chriſto Eccleſiae data deſcripta fuit: cum officiis eorum, quos dominus ianitores eſſe, ac vigilare iuſſit*, Marc XIII. 34.) Hoc peracto, iterum praeſes, vt ad iſta tanquam lydium lapidem quisque ſeipſum examinans, quicquid negligentiae, aut vllius vitii, ſiue in ſe, ſiue in confratre ſeniore (aut conſeniore) videret, & conſcius eſſet, ne celaret: nunc expurgandi fermenti (quantillum etiam ſit) tempus eſſe.

His dictis egrediebantur ſeniores aliud in conclaue, ibique iterum praeſes collegas puriſſimi candoris admonens, vt tanquam in ſanctuario Dei, in conſpectu omnia videntis, pectora ſua ſibi nudarent, ad videndum aperte, *num vnum ſint in domino, numq; recto pede incedere quisque ſe aut fratrem credat? an vero aliud quid ſiue ipſe videat, ſiue ab aliis ſuſurrari audiat? Vt quale ſit cognito; atque ſi quid vere ſubeſt emendato, plene pura conſcientia, plenaque confidentia, ad agendum opus Dei* (praeſenti etiam in ſynodo) *accingere ſe omnes poſſent.* Verbo, non diſcedebant inde niſi complana-

tis

Digitized by Google

tis inter ſeipſos primum omnibus, quae diffidentiae mutuae materiam dare poſſent.

5. Redintegrato hac ratione conſenſu, amplexuque fraterno in conſpectu Dei firmato, regrediebantur in ſynedrium, fratresque conſeniores quid egerint, quid contulerint, quid inuenerint, rogarunt: ſimiliter inter illos, & cum illis, complanantes omnia.

6. Demum ad negotia tranſibant, quid in praeſenti ſynodo cum vſu agendum exiſtimaretur ſymbolas conferentes, & quomodo externis neceſſitatibus proſpectum ſit inuitatis, &c.

(E e.)

Senioribus quidem in ipſa paſtoris domo, reliquis apud ciues pios in vicinia: qui vt angelos Dei excipere gaudebant.

(F f.)

Gratiae aguntur Deo pro deductis omnibus comitatu angelico, & ex mutuo laetabili conſpectu gaudiis.

(G g.)

Diſpoſitis per triclinia, aut etiam (aeſtate) ſub dio, menſis. *Leuiculum videri poſſit, quod iam dicendum in mentem venit: & tamen quia ordinis particella eſt, & ad mundanarum vanitatum imminutionem facit, dicam.* De πρωτοκλισία, loci praerogatiua, quam Phariſaei olim alii prae aliis captanda ineptiam prodebant, Luc. XIV. 7. nullae apud nos lites: quia dum quisque cuius anni ſynodo, & quo inter alios ordine, vocatus ſit nouit, locum ſuum obſeruare nouit.

(H h.)

Etiam haec in ſpecie minutula fouendae dilectioni fraterne ſeruire, experientia docuit: *optimum quippe cibi condimentum fraterna cordis ſimplicitas, cum exultatione*, Act. II. 46.

(I i.)

Solebant enim antiſtites labores iſtos publicos mature, inter ſe & confratres, partiri.

(Kk.) Pa-

(Kk.)

Paſtoribus enim propoſitiones a ſenioribus ad deliberandum offeruntur: vtque ipſi etiam deliberanda colligant, & in propoſitiones redacta ſenioribus exhibeant monentur. Quod vt non confuſe fieret, eligebant ſibi (e medio ſui, per ſuffragia libera) præſidem & notarium. Diaconi & Acoluthi ad conſilia non admittebantur: ſed vt ne otioſi eſſent interim, aut diuagarentur, dabatur illis ad praelegendum materia certa, vnde poſt examinabantur: etiam illis aliquo actionum directore, ordinisque cuſtode, a ſenioribus dato.

(*Ad pag. 20. §. 7.*)

De ordine ſententias rogandi & ferendi, formandique inde concluſiones, dicendum eſt aliquid; ad notandum ibi quoque ordinis boni veſtigia, aeque in paſtorum atque ſeniorum collegio.

1. Facto conſeſſu, & ſilentio, mouet praeſes negotia (quorum gratia conuentum eſt) inchoari, colligendo primum propoſitiones: vt quibus de rebus deliberandum veniat, mox ab initio in proſpectu ſit.

2. Colliguntur ergo, vno quoque agendorum capita ſummatim indicante, deinde vero (ſi iuſſus fuerit) explicante: donec quid neceſſario (tanquam ἔϱγον) tractandum, quid vt impertinens amouendum, aut ſaltem ad poſteriores curas (tanquam interim πάϱεϱγον) ſeponendum ſit.

3. Tum primo primae ad ventilandum ſumuntur, requiſitis omnium ordine ſententiis; vt mentem ſuam quisque quam paucis poteſt aperiat, rationibusque muniat.

4. Dicunt ergo ſententias ordine, a iunioribus ad ſeniores procedendo, non contra, vt praeſes vltimo dicat. *Quem ordinem (non a primis & ſummis inchoandi, ſed ab imis & vltimis) conuenientiorem eſſe, quam ſi ſecus fiat experientia docuit.* Nam vbi ſententiam primi dicunt primo, vix fieri poteſt, vt praeiudicia euitentur, & res ab omnibus digne ſatis expendatur. Primum, quia iuniores audita priorum ſententia prius, aut opinione ſapientiae (quae penes ſenes eſt) obumbrantur, ne rem acrius inſpiciant; aut, tametſi aliud videre ſibi videantur, auctoritate tamen ſeniorum deterriti libere quod ſentiunt proferre verecundentur. Qua ratione, aut iudicium, aut iudicii libertatem, ligari & ad τὸ αὐτὸς ἔφα viam ſterni, contingit. Si vero iuniorum quis aliquid exquiſitum (quod ſenioribus in mentem non venerat) afferat, duplex adeſt incommodum: nempe quod ſeniores ſuam retractare ſententiam fortaſſe pudebit; aut ſi acceptabitur, iunioribus ite-

Digitized by Google

rum ſibi prae aliis placendi periculoſum obiicitur lubricem. Quae incommoda praxi noſtra praeueniuntur. Nam dum iuniores quid ſentiant, ante alios ſibi dicendum ſciunt, adſueſcunt meditari, & cum attentione ac reuerentia (etiam tacitis ad Deum ſuſpiriis) in rebus verſari, liberumque eſt cuique quicquid ſentit expromere libere: quia dum nemo adhuc ſuperiorum ſententiam dixit, nemini praeiudicatur. Seniores vero, ſi quid boni allatum eſt expoliunt melius, auctoritate ſua illaeſa: ſi quid autem exquiſitius habent, proferunt liberius: vbique ſic attentione attentionem, & iudicio iudicium, acuente, *ita fuit praxis noſtra.*

5. *Hoc etiam.* Ne conſultationes vagae ſint, nemo de alia materia (quam quae praeſentis eſt propoſiti) loqui permittitur: donec ad concluſionem deducta ſit.

6. Nec vno tempore plures loquuntur, ſed vnus, a nemine interturbatus: niſi forſan impertinentia, aut verboſe nimis, aut cum bile, loqui velit, tunc a praeſide reuocatur.

7. Poſtquam vero dixit, & alter loqui orſus eſt, tametſi priori aliud quid incidat, ſermonem readauſpicari non audet, niſi peractis omnium ſuffragiis. Ibi demum (accepta a praeſide venia) ſententiam ſuam aut illuſtrat & firmat, aut emendat.

8. Omnium vero ſententias, & quibus ſingulae muniuntur rationibus, conſignat notarius: ſuam etiam, ſi quid ab aliis diuerſum habet.

9. Demum praeſes omnia cum inuicem liberando, num ad eundem ſcopum colliment, vel in diuerſum eant, & num conciliari poſſint, expendit. Si poſſunt, oſtendit quomodo vna communis confiteri queat ſententia, vt allatae rationes perſtent omnes. Si non poſſunt, oſtendit biuium: & quae rationes pro hac, quae pro illa, faciant, explicat. Iterum (ſi res valde ſeria ſit) diſquiſitioni permittens, quaenam rationes praeualere putentur, & quomodo contraria incommoda amoliri liceat.

10. Liberum itaque denuo cuique loqui (ſed ordine ac paucis) rationesque rationibus conferendo, quid ſibi videatur explicare, donec nemini aliter videatur. Atque tunc demum concluſiones, tanquam communes, inferuntur libro. Quo rationabili proceſſu obtinetur, vt Eccleſiae totius mentem videre, de rebus ceu vno ore loqui, resque vnanimiter agere, omnes poſſint.

(Ad pag. 21. §. 13.)

Reperio inter dehortationes antiquae cuiusdam ſynodi ſequentia.

1, Ob-

Digitized by Google

1. Obſeruari, Fratres quoſdam nimia cum quouis conuerſatione, gravitatem muneris ſui proſtituere: cauendum.
2. Quoſdam etiam, vt vrbani videantur, faceriis dare operam: emendandum. Cum enim Apoſtolus ſcurrilitatem Chriſtianis interdicat omnibus, multo magis fugiendam eſſe doctoribus ipſis (Chryſoſtomo pronunciante: *nugae in ore laici nugae ſunt, in ore ſacerdotis blaſphemiae.*)
3. De nundinarum frequentatione vitanda: ſicut & conuiuiis.
4. Et ſe non immiſcendo negotiis politicis: neque conciliandis nuptiis.
5. De non facienda medicina.
6. De fugienda auaritia & nummorum aucupiis: in primis vſura.
7. *Vltra ducentos thaleros pecunia paſtor ne poſſideat: ſi quid ſuperabundat, ad pios vſus, & in pauperes, transferat.*
8. Litterarum commercium cum iis qui extra ſunt, nemo colat, niſi ſingularis ſubſit cauſſa, conſcio praepoſito.
9. Titulorum pompam fugiant omnes, amabili *fratrum* compellatione contenti.
10. Teſtamentis alienis condendis conſilia ne miſceat, proprium quisque paratum habeat: tricas vbique, a morte etiam, effugiendi cauſſa. Et ſimilia.

(*Ad pag. 24. §. 4.*)

Intimum hoc examen conſcientiae ſeuere paragebatur, ad imitationem principis paſtorum, Petrum ſuum vltimo examinantis, Ioh. XXI. 15. &c. quo *miniſterii candidato* ad ſe penitus excutiendum occaſio dabatur: *num Chriſtum puro amore, an vero panis cauſſa, ſequi proponat?* 1. Ioh. VI. 7. *Num gregem an lanam quaerat? Num auditoribus non tantum euangelium Dei, ſed animam quoque ſuam impertiri paratus ſit?* 1. Theſſ. II. 8, & ſimilia. Fuitque hoc vltimum conſcientiae experimentum aliquando adeo pathetice inſtitutum, vt aliquos (conſcientiam, vel aetatem, aut teneritudinem ſuam, expauentes) officium deprecatos exempla non deſint: paratiores propriam operari ſalutem, quam ad alienae curam adhiberi. Erecti demum promiſſionibus diuinis, vocationem diuinam cum timore ac tremore ſequuti.

Digitized by Google

(*Ibidem in fine, ad §.3.*)

Quo ordine hic euocantur (prout aetatis aut donorum habita ratione a ſenioribus collocati ſunt) eum poſtea ſeruant ſemper, niſi quis ad altiora vocatus fuerit. Vide hic paulo ante, ad G g. annotatum.

(*Ad pag. 24. §. 6.*)

Formula teſtimonii talis fuit: *venerabilis in Chriſto frater, epiſcope, teſtamur in conſpectu Dei & Eccleſiae huius, praeſentes viros eſſe honeſte prognatos, honeſte educatos, honeſteque ac inculpate vitam egiſſe hucusque; examinatos etiam a nobis, doctrina & fide ſanos, rectaque intentione ad ſeruiendum Chriſto & Eccleſiae repertos. Rogamus proinde, Eccleſiarum quibus ſerui turi ſunt nomine, vt eis paſtorale munus, poteſtate a Chriſto & Eccleſia tibi data, conferas, & in eo confirmes.* Reſpondere ordinator: *Teſtimonium hoc veſtrum coram Eccleſia Chriſti datum, admittitur: petitionique veſtrae ſatis fiet in nomine Dei.*

(*Ad pag. 25. §. 9.*)

Inter obligationem hanc, & inſequentem confirmationem, interponi ſolet ſolemne quid, ſilentio non praetermittendum. Alloquutus eos ordinator denuo, ſic inquit. *Dilecti fratres, vt auxilii diuini firmam concipiatis ſpem, audite pro vobis deprecantem aeternum pontificem Chriſtum, qui ſanctificaturus iamiam ſe in victimam pro peccatis mundi, omnes ſuos redemptionem hanc gentibus nunciaturos ardentiſſime ſuo patri commendabat,* &c. Tum alter antiſtitum ex Ioannis XVII. capite vltimam illam Chriſti orationem ita praelegit, vt raro absque lacrymis audiatur. Demumq; ad ipſum confirmationis actum, χειροτονίαν venitur.

(*§. 12. ibidem.*)

Nempe ſi actus hic (ordinationes miniſtrorum) ſynodalis vltimus fuerit: ſin, differtur. Siue tamen hic, ſiue poſt adminiſtratur Euchariſtia, vltimae *benedictionis formula* (non tantum in genere ad omnes, pro more, ſed in primis) *ad nouellos paſtores, iam aliorum futuros ad ſalutem duces dirigitur.*

(*Ad*

Digitized by Google

(Ad pag. 26. Pp.)

Rituales libri (ſacra miniſteria peragendi *formae*, quas *agenda* vocant) non appenduntur apud nos catecheticis libris, vt in manus vulgi veniant, ſed ſeorſim editi ſolis paſtoribus dantur: non priuatim in angulo, ſed in Eccleſiae conſpectu, qui ritus hic deſcribitur. A paſtoris vero obitu redeunt iidem libelli in ſeniorum manus. *Qua ſuperſtitione?* dicet quis. Reſp. Sit aliis ſua iudicandi libertas: ego non ſic agendum exiſtimo, vt ſacrorum myſtis nihil myſtici (plebi potius venerandum quam proterue inſpectandum, & dehinc vilipendendum) relinquatur. *Religio gaudet velis*: ipſeque omnium ſummus magiſter quaedam apoſtolis ſeorſim, clam vulgo loqui ſolitus. Apoſtolus vero cum epiſcopo Timotheo mandat, vt quaedam *committat hominibus fidis, qui ad alios docendum idonei ſint*, 2. Tim. II. 2. annon diſcrimen quoddam inter ea quae omnibus, & quae aliorum futuris doctoribus, dantur, innuit? verbum certe quo vtitur, παραϑέσϑαι, *aliquid ſingulare committendi, ſeu concredendi, & tanquam depoſitum ad ſeruandum commendandi*, vim habet. Et quum de Chriſto ſcriptum legimus, illum ſacro textu perlecto, libroque ſepoſito, ſermonem ita orſum, vt omnes intentis in eum oculis mirarentur, verba gratiae, profluentia ab illius ore, Luc. IV. 20. 22. putamusne aliis haec aliter euenire? nempe ſi ex ore legati Dei impraeuiſa profluant verba. Auditores reddi attentiores, gratiaeque Dei profundius admiratores. Nam ſi praeſcripta tantum recitantur ſemper, quid erit quod attentionem excitet? curioſitatem potius, vt ſuo in libro eadem intuendo, hic & ille, num accurate ſatis legantur attendat: quis hic deuotioni locus? nec vero autumandum eſt, noſtros ad iſtos ſibi traditos libellos, verba & ſyllabas, alligari: liberum eſt quicquid ad excitatum zelum facit (iuxta occaſionum varietatem) e ſapientaie myſticae theſauris depromptum adhibere. *Vnde fit, vt ſine nouo cordis motu ſacris myſteriis vix vnquam interſint pii auditores.*

(Ad pag. 26. Qq. & pag. ſeq. Rr.)

Si vsquam hoc aeuo illud Chriſti, *ſicuti me miſit pater, ita & ego mitto vos*. Item: *non vos elegiſtis me, ſed ego elegi vos*, obtinet, confidimus apud nos obtinuiſſe. Vbi nemo myniſterium ambibat, *non vocatus*: nemo etiam ſibi gregem quaerebat, *non miſſus*: nec vocationem aut miſſionem expectabat aliunde, quam ab illis, *qui & vocati & miſſi erant ipſi*. Nec proinde vlla fuit apud nos Eccleſia, vbi loci dominus, aut magiſtratus paſtorem ſibi quaereret:

Digitized by Google

ret: ſed curam hanc paſtoribus animarum ſuarum primariis confidenter (*quem ſibi doctorem & ductorem dari e re iudicarent*) permittebant. Omnino ad Eccleſiae apoſtolicae exemplum: vbi ſuffragia quidem ordinandorum a plebe accipiebantur, ſed quorſum ordinati eſſent mittendi, ſeniorum circumſpicientiae fuit, Act. XIV. 23. 1. Tim. I. 3. & 2. Tim. IV. 12. Tit. I. 5. Hinc *H. Grotius: paſtores a plebe fuiſſe electos, ex tota noui teſtamenti hiſtoria non apparet;* de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra. cap. X. p. 252. Eandem fuiſſe Eccleſiae poſt apoſtolorum tempora praxin, patet ex Hieronymo, qui dicit: *audiant epiſcopi, qui habent conſtituendi presbyteros per vrbes ſingulas poteſtatem.* Et ex Laodicenſi ſynodo, cuius canones ſunt oecumenico conſilio approbati, quae populares electiones reiicit. (*H. Grotius pag. 263.*) Atque *ita fieri debere, rationes oſtendunt. Nempe quia ſic melius acuitur.*

1. *Epiſcoporum pro Eccleſiis cura.*
2. *Miniſtrorum de ſua miſſione fiducia.*
3. *Piorum auditorum erga Chriſti ſeruos* (non a ſeipſis venientes, Matth. VII. 15. aut vltro currentes, Ier. XXIII. 21. ſed miſſos) *confidentia*: vt nihil per ambitum fieri certi, dicere quod Cornelius Petro poſſint: *adſumus parati audire omnia quae tibi mandauit Deus.*
4. *Eccleſiaeque omnes* ſperare poſſunt omnibus ſic iri prouiſum, dum primariis Eccleſiis viri primariis Dei donis conſpicui praeficiuntur, &c.
5. Et quia *diſcipuli magiſtrum ſibi non ipſimet legunt, aut mercede conducunt* [quia quid ſibi neceſſarium ſit non intelligunt] *ſed curam eam parentibus, aut tutoribus relinquunt:* cur ſi hic ſimiliter fiat, non recte fieri putemus? certe enim Eccleſia Chriſti ſchola eſt: Eccleſiae inſpectores, patres. 1. Cor. IV. 15. vt iam taceam, oues ſibi non quaerere paſtores: ſed quem gregis dominus praeficit, illi obſequi, &c.
6. In ſumma, *apoſtolicum illum ordinem turbari nullius hominis intereſt, praeterquam ambitioſorum*: qui prenſationibus, pretio, precibus, importunitateque ingerere ſe malunt, quam expectare vocationem. Sunt rurſum qui ex tali nundinatione quaeſtum faciunt, magno Eccleſiae dedecore, & noxa. Nam dum mercenarii gregem occupant, quem paſcent ſperas? gregem, an ſe? imo ventrem, ciſtas, phantaſiamque ſuam: clamet licet dominus, *vae paſtoribus qui paſcunt ſe ipſos!* annon ſacrilegii genus eſt, officia ſacra ſeu vendere

&

Digitized by Google

& emere, ſeu ambire & rapere? quid facilius, quam vbi ſic res agitur; agrum domini ſilueſcere, gregem domini tabeſcere, operarios fidos eſurire, ſuperciliosos inſoleſcere, mercenariosque cum ipſa venali turba bruteſcere?

Equidem apud nos etiam tandem *prurigo illa, ſecundum peculiares cupiditates ſibi doctores eligendi*, 2. Tim. IV. 3. irrepere tentabat, ſed non bono euentu. Mutuae enim illae prenſationes inter cauſſas laxatae diſciplinae, collapſique ordinis fuerunt. Memini, nominareque poſſem illuſtrem e baronibus, errorem hic agnouiſſe ac deprecatum fuiſſe. Cum enim oblatum paſtorem recuſaſſet, aliumque ſibi (quem propter eloquentiae dotes adamauerat) dari pertinaciter inſtanda obtinuiſſetque, poſtea illum fiducia ſui elatiorem, aſperioremque expertus, auferri a ſe petiit: pollicitus nunquam amplius ſe admiſſurum, vt iudicio eorum quibus ſalutem ſuam credidiſſet, & quibus communis aedificationis cura eſt, non acquieſceret. Quae res quia profundae conſiderationis eſt, oro Deum, vt ſpiritu ſuo regat illos, quibus prolapſas Eccleſiae res priſtinum in ſtatum reducendi, occaſiones offeruntur.

(*Ad pag. 27. Ss.*)

Nempe inter deceſſorem viuum, ad aliam Eccleſiam transferendum, & nouum hunc ſibi ſuccedentem.

(*Ad pag. 29. Tt.*)

Superattendentes vnitatis a ſolis paſtoribus eligi, non vero a plebe aut magiſtratu conſtitui, non eſt cur inſolens videatur: venit enim a prima primaeuae Eccleſiae praxi. De quo notus eſt inſignis *Hieronymi* locus: *Alexandriae* (inquientis) *a Marco euangeliſta vsque ad Heraclem & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper vnum ex ſe electum, & in excelſiore gradu collocatum, epiſcopum nominabant.* A qua conſuetudine cum progreſſu temporis fuiſſet receſſum, populusque in epiſcoporum electione parem cum clero ſuffragiorum vim obtineret: *optabat Nazianzenus electionem permitti vel ſolis clericis, vel potiſſimum illis: ita enim minus malorum Eccleſiis obuenturum, quam ſi ditiſſimorum & potentiſſimorum ſuffragia praeualerent.*

Porro quia dici poſſet, apoſtolorum tempore Eccleſiam fuiſſe naſcentem, nulla ſeculari poteſtate fultam (ſicut nec fratrum Bohem. Eccleſiam) *an ergo poſtquam Deus promiſſa impleuit, Eccleſiaeque reges nutricios, & re-*

Digitized by Google

ginas nutrices, dedit, Ieſ. XLIX. 23. *non illis tantundem in Eccleſiam Chriſtianam iuris, quantum regibus hebraeis in Eccleſiam ſuam, illiusque praeſules, concedendum ſit?* Videatur (poſt alios accuratiſſime materiam hanc pertractans) *H. Grotius*: qui affirmat, ſed ita ne ſua libertate exuatur Eccleſia.

Aliam litem mouent alii, *an paſtores ad epiſcopatum* (inſpectionem) *electi nouo aliquo ritu ordinandi ſint?* Reſpondeo.

1. Quid mali, ſi eis noui labores noua ſolemnitate (cum inuocatione nominis diuini) commendentur?
2. Si presbyteri (melior populi pars, paſtoribus in adiutores electi) ritu aliquo ordinandi ſunt, quid ni paſtorum inſpectores?
3. Expreſſum habemus in viris apoſtolicis exemplum: qui cum quosdam e medio ſui ad peculiare miniſterii opus (praedicandi inter gentes euangelii) ſelegiſſent, nouam ordinationem addiderunt, Act. XIII. 3.
4. Quam conſuetudinem, Eccleſiis orbis ex eo tempore commune factam, cur aliquis ſublatam velit? quid rationis afferre poterit?

(*Ad pag. 30. V v.*)

Ad venerationem actionis huius facit, tam grauiter factam in nomine Dei electionem ſacro ſilentio tegi, donec tota Eccleſia praeſente in eodem Dei nomine retegatur.

(*Ad pag. 30. X x.*)

Patroni tamen Eccleſiarum, qui adſunt, coetu dimiſſo remanent: ſacroque ſenatui redintegrationem gratulati epiſcopo nouo nouam benedictionem ipſi quoque ſeorſim comprecantur.

Annotata ad Caput III.

(*Ad pag. 32. A.*)

Narratur hic: 1. Totum diem domini cultibus ſanctis publice fuiſſe impenſum (de quo poſtea pluribus.)

2. Verbum Dei vt copioſe habitaret in nobis, operam datam; ſcripturis propheticis, euangelicis, apoſtolicis, enarratis.

3. Id-

3. Idq; ad harmoniam, omnibus religionis capitibus ita in ſeriem redactis, vt qualibet hebdomade vnus quidam *communis locus*, ex vtriusque teſtamenti oraculis, illuſtraretur.

(*Ad pag. 32. B.*)

De cantuum ratione in Eccleſiis noſtris extat viri eruditi ac pii *Eſromi Rudigeri*, teſtimonium (in proaemio libri II. paraphraſeos pſalmorum) his verbis. *In canendi ſtudio neſcio an Eccleſiae fratrum Bohemicorum ſuperent reliquas omnes. Neque enim ſcio qui plus, aut tantum etiam, canant laudem, gratiarum, precum & doctrinae: addam etiam, qui melius*, &c. Haec ille tum (anno 1577.) cum cantionale noſtrum nondum aliud haberet quam cantiones euangelicas, numero DCCXLIII. Breui autem poſt acceſſit pſalterium Dauidis ad melodias gallicas compoſitum, cum aliis veteris Eccleſiae canticis. Addidit Eſromus (ad baronem *Ianum Zerotinum* praefatione directa) *canitis etiam ea quae docentur omnia, & cantica veſtra multa homiliarum inſtar habent.* (Nempe alludendo ad aliud apoſtolicum, *docendo & admonendo vos mutuo pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus*, Col. III. 15. Pergit idem: *talia cantica ſunt vox Eccleſiae, quae tunc tota ſimul agit quod agit, cuius rei maxima eſt in precibus efficacia.* (Cantabant enim omnes, iuuenesque ſenesque, ceu vno ore.) Subiungit denique epigramma, a ſe compoſitum, his verbis:

Quae populus tibi CHRISTE tuus cecinitq́; canitq́;,
Omnibus atque locis, temporibusq́;, canet,
Nunc etiam CHRISTE canit tua concio fratrum,
Te praeſtante fouet quam pia nobilitas.
Hic vbi arant Morauí, & ſulcis contermina ſurgens
Exulat in patria terra Bohema ſua.
Parua manus, ſed te per ſecula longa profeſſa,
De cinere Huſſiaco quae tibi ſola ſuper.
Externis ſpectata eadem quoque gentibus, omnis.
At patriae, & laudis gloria noſtra, tua eſt (Chriſte.)

Adiunxit *Simon Steinius*, Heidelb. Prof. epigramma, cuius clauſula haec eſt:

Huſſi ſancte cinis, grande inter arenas!
Per ſobolem toto viuis in orbe tuam.
Viuis & oſtendis tandem hoſtibus ignea verum
Tollere quod nequeat flamma minaxque rogus.

 Et

Digitized by Google

Et *Matthias Martinius*:

> *Amphion cedat, concedat Thracius Orpheus:*
> *Victa eſt Gzechaeo pectine graeca chelys:*
> *Pectine, qui coelum diuini potente rogatu*
> *Pulſat, & iratum flectit amore DEVM.*
> *Tanta eſt hic fidei vis, CHRISTI ſanguine ſparſae!*
> *Et tanta eſt pietas, deuenerata DEVM!*

Addam hac occaſione; ſuperſtitioſum videri, quod quidam hodie nihil in Eccleſiis cantari volunt ***praeter Dauidis pſalmos***; ea ducti ratione, ***quod immediate verbum Dei contineat.*** Quaſi vero apoſtolus fruſtra ***pſalmis hymnos & cantica ſpiritualia*** iunxiſſet. Aut fruſtra Deus per os Dauidis ***cantica noua*** cantari praecepiſſet; & quidem iis locis, vbi Meſſiae regnum praenunciatum eſt, Pſalm. XCVI. XCVIII. & CXLIX. Aut quaſi ſpiritus Dei in noua Eccleſia neminem ad cantica noua praecinendum afflare poſſit, vti *Moſen*, ***Deboram***, ***Dauidem***, ***Aſaphum***, ***Ethanem***, &c. Aut quaſi efficax ſit argumentum, ſi quis in Eccleſia nullas conciones (humanas ſcilicet myſteriorum enarrationes) tantummodo ipſum purum Dei verbum, nudo in textu, audiendum velit. Aut denique quaſi pſalmi qui noſtris linguis canuntur immediate Dei, vel Dauidis, verba ſint: cum ſint verba interpretum. In ſumma. ***Habuit Eccleſia vetus cantica ſua, habeat & noua, ſuo ſibi conuenienti modo, myſteriis clarius detectis.***

(*Ad pag. 33. C.*)

Coetus Eccleſiaſtici nihil niſi pietatis ſcholae ſunt: examinibus ergo aeque vt ceterae ſcholae carere non poſſunt. Alioquin, vt diſcipuli ſibi permiſſi, cum ſe omnia ſcire putabunt, iuſſi tamen reddere, aut docere, & operari, nihil recte poterunt,

---

(*Ibidem E.*)

Accepit verbum ad elementum, & fit ſacramentum.

(*Ibidem F.*)

Non ergo apud nos compatres & commatres pro more tantum aſſumuntur, aut dicis ergo, nec adhibentur tantum vt actionis huius teſtes; ſed

ſine

Digitized by Google

ſine magis ſerio, *vt reuera regenitorum Dei filiorum compatres & commatres fiant, ad enutriendum illos Deo ſancte obligati.* Monentur itaque parentes, ne adhibeant ignotos aut peregrinos, aut ſenes breui [forte] morituros, aut eminentiores tantum honoris, aut fauoris, vel pecuniae cauſſa, &c. vt ne vllae ſpuriae intentiones tam ſanctum opus foedent.

(*Ad pag.34. G. & 35. H.*)

Calumnia fuit fratribus obiecta, eos iuramento ſibi homines obſtringere, vt quisquis ſe illis ſemel addixiſſet, ab vnitate illorum ne recederet. Non enim ſibi, ſed Deo, conſcientiisque propriis, ad conſtantiam in ſemel ſuſcepto veri chriſtianiſmi propoſito homines obligabant, ipſius apoſtoli ſuaſu, 1. Pet.III. 21. Imo Chriſti exemplo, dicere ſoliti: *ſi quis poſt me venire vult, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* It. *Quisquis admota manu aratro reſpicit, ad ea quae retro ſunt, non eſt idoneus ad regnum Dei.* Et iterum: *Quisquis non valedicit omnibus quae habet, non poteſt meus fieri diſcipulus.*

(*Ibidem I.*)

Hic poſſent videri homines obſtringere. Reſp. Ita, quatenus qui ſe Chriſto dat, etiam ſeruis eius debet, Chriſti loco, 2. Cor. V. 19. 20.

(*Ibidem K.*)

Ecce obſequii fructus! refugium habere ad Chriſtum in ſuis ſeruis, pro conſilio vel ſolatio, in quocunque conſcientiae caſu.

(*Ad pag. 36. L.*)

Fruſtra ergo fuit *Illyric. Flacius,* iſtam nouellorum tali ritu receptionem, baptiſmi iterationem vocans. *Nihil ad baptiſmum deeſſe video* (inquiebat) *praeter aquam.* Reſp. ergo non baptiſmum vides (qui ſine aqua non fit) ſed *foederis iterationem.* Quam inſtituimus tum propriae conſcientiae cauſſa, tum ad tollendum ſcrupulos, quos Anabaptiſtae ſibi & aliis mouent. *Paedobaptiſmum ea ratione oppugnantes, quod infantes Eccleſiae initiati foedus cum Deo iniuiſſe, vel ignorant, vel non meminerunt, vel non intelligunt: id autem contingere non poſſe vbi adulti demum, ſcientes, volentes, Chriſto ſeſe deuouent.* Fatendum eſt; ſed incommodo illi remedium datur, vſurpatus

Digitized by Google

tus ab antiquis (antequam in abuſum veniſſet) & qui adhuc in Eccleſiis quibusdam pie vſurpatur, *confirmationis ritus*. Vbi foedus in baptismo initum nouelli Chriſtiani (ad ſacrae coenae communionem iamiam admittendi) renouantes, ore proprio carni, mundo, ſatanae, renuntiant, deoque obedientiam plenam ſpondent. *Pulcrum hoc eſt, & ad imitationem eius quod Moſes iuſſu Dei fecit:* vt populum in pueritia, vel infantia, promulgationi legis praeſentem, neque geſtorum memoriam habentem, denuo doceret, foedusque inter Deum & illos renouaret, cum iamiam congreſſuri eſſent cum hoſtibus, Deut. V. 1. &c. & XXIX. 1. &c. Vbi toties dicitur (NB.) *iterari foedus cum illis, cum quibus initum fuit.* Quidni hoc typus fuerit ad nos, & filios noſtros? qui per mare rubrum ſanguinis Chriſti & paruuli traducimur, lexque nobis ſtatim fertur, vt ſimus populus ſelectus, ſanctificatus Deo. Quin vero tunc *nondum nobis mentem dederat Deus ad cognoſcendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum* (vt in figura dicitur, Deut. XXIX. 4.) *renouandum eſt foedus Dei cum illis, qui adoleſcentiae ingrediuntur annos, vbi iamiam pugna cum carne, mundo, vitiisque variis, inſtat,* &c.

(*Ad pag. 37. M.*)

Chriſtus enim ſanctum dare canibus prohibuit: ipſe vero antequam ad myſticum epulum ſuos admitteret, pedes eis lauit; Petro, ablui renuenti, non habiturum ſecum partem aperte minatus. Quo verbo ille tertius illico ſe ſubmiſit. Quisque igitur ante ſacram coenam naeui alicuius admonitus, ablui non vult, amotione a conuiuio Chriſti perterrendus eſt, donec a contumacia deſiſtat.

(*Ibidem N.*)

Quantum ſit animae fideli gaudium, a peccati & irae Dei ſenſu abſolui, expertus fuit Dauid *cum exultarent omnia eius oſſa*, Pſal. LI. 10. Quam ſpiritus exultationem in nobis magis excitaturi, noſtris in coetibus, duo haec agimus poſt denuntiatam abſolutionem.

1. *Exclamat vnanimi voce totus fidelium populus AMEN*, ſicut & alias poſt ſolennes publicas preces, aut denuntiatam benedictionem, &c. quod neque nouum, neque ſuperſtitioſum eſſe, patet ex apoſtolo, 1. Cor. XIV. 16.

2. *Incinit tota Eccleſia hymnum laudis effuſam in ſe Dei celebrans miſericordiam.* Cum vſui deſtinatos habemus certos breues cantus: quorum ſpecimen dabo vnius ex eorum numero [En vermutij ſe Duſſe mij] facta ceu ad verbum translatione. *Eia triſtari deſine anima mea! confide domino tuo! Ecce*

tibi

Digitized by Google

tibi iam omnia condonauit, veritatis teſtimonio firmauit: tamque corpore & ſanguine ſuo ſigillabit, nolle tibi amplius iraſci, neque peccati reliquias imputare. Excipe fidenter verba fidelis Dei! permitte te ſecure aeternae eius miſericordiae! facilius coelum & terra tranſibunt quam verba eius peribunt. Circumeat vt leo malignus hoſtis, fiduciamque erga te meam deuocare quaerat: nihil formido, victorem habens mecum, qui draconis contriuit caput. Et cur formidem? Atqui me confidere iuſſiſti, auxiliari promiſiſti. Sanctis tuis varia ſaepe immiſiſti tentamina, Deus, nec tamen quemquam deſeruiſti, quia ſolum probaſti. Nemo tuis verbis fidens periit: haec me exempla erigunt, tuis nobis nuntiata teſtimoniis. Ideo mecum diſpone pro voluntate tua, & neceſſitate mea! quicquid crucis impoſueris, non me deſerueris, confido. Tuis me totum permiſi manibus! deduc me per mortis vallem in animae requiem, & in reſurrectionem vitae. Ibi ego tibi pſallam. Teque cum ſanctis celebrabo, totis meis viribus, o triune Deus! accipe laudis ſacrificia, corde toto effuſa! nihil ſub ſole melius habeo, tecum in coelis eſſe geſtio! AMEN. Hoc in exemplum poſui, quomodo abſolutione percepta exultare in Deo doceantur animae fideles. Sunt autem id genus plura, varii argumenti.

Annotata ad Caput IV.

(*Pag. 44. lin. 19.*)

Ad promptam erga omnia ſuperiorum mandata obedientiam, ſingulari cura exercebantur apud nos iuniores: vt ad alienam potius, quam propriam, voluntatem viuere adſuefacti, tum Chriſtianismi fundamentum [quod eſt *ſui abnegatio*] intelligerent facilius, tum ad alios olim regendum euaderent habiliores. Quippe *neſcit imperare, qui non didicit parere.*

(*Pag. 64. lin. 5.*)

Vtique ſuo & communi bono. Sic enim ad attentionem in rebus agendis adſuefacti iuuenes, ad quaecunq; negotia [etiamſi forte ad aliud poſtea vitae genus tranſiiſſent] habiliores euadebant: vt inter politicos etiam ceu prouerbio vſurpatum fuerit, *e fratrum diſciplina.* Contra quam ſcholaſticis, qui nihil niſi ſcholaſtici, *ſcholaſticismus* ſeu *pedantismus* [i. e. ad negotia ineptitudo] obiici ſolet. Quare? quia nihil niſi theoretici, merique Thaletes, ſidera contemplantes, quae ante pedes ſunt non videntes, eoq; in foueas incidentes, merito ab ancillis irridendi.

Anno-

Digitized by Google

Annotata ad Caput VII.

Quae capite V. & VI. traduntur, ſua luce clarere, neque commentario egere, puto. Quod autem capite VII. p.53. dicitur *ſalubri diſciplinae inſtituto, iam inde a primordiis vnitatis noſtrae, omnes ſe ſubdidiſſe* : addendum eſt, *ſponte non coacte*, cuſtodiſſeque eandem ſimiliter *ſponte*. Vt intelligatur legitimum Eccleſiae ordinem, vinculumque illius diſciplinam, non eſſe durum, violentum, ſeruile quid [vt effrenatis videri ſolet] ſed ſuaue illud iugum, & leue onus Chriſti, in quo animae Deo deditae requiem inueniunt, Matth. XI. 29. 30.

(*Ad Concluſionem p. 56.*)

Caritatis verae character eſt, *non ſibi tantum bene eſſe velle, ac optare, ſed omnibus.* Atque ſi non actu ipſo curam & ſolicitudinem pro omnibus Eccleſiis gerere [id quod apoſtolorum fuit 2. Cor. XI. 28.] at ſaltem orare pro omnibus ſanctis, Epheſ. VI. 18.

Digitized by Google

PARÆNESIS
ad Eccleſias
nominatim Anglicanam,

DE OPTIMA ECCLESIASTICI REGIMINIS FORMA PIE SOLICITAM.

ITa de Eccleſiis Slauonicis, in primis Bohemica, medullaque huius VNITATE FRATRVM Bohemorum, relatio facta eſt: quo fine, attigimus ſub hiſtoriae finem §. 132. 133. 134. Nempe vt iis, qui in emendatione rerum Eccleſiae operam ponunt, hinc etiam bonarum cogitationum naſci poſſit aliquid. Iam ad vos oratio mea ſe vertet, quibus ab initio loqui orſus ſum, *orbis Britannici Eccleſiae*. Apud quos *de optimo Eccleſiae regimine* controuerſia integro ſeculo agitata eſt, & quidem ſtatus vsque publici conuulſionem violenter. Quis ſperaſſet, tantillam fronte prima quaeſtionem tantas procellas, terraeque motus & ignes, excitare potuiſſe? Apparuit hic etiam quae ſit zeli vis, ſi pro Deo & conſcientiarum libertate inardeſcat, ſiue recte, ſiue ſecus: & quanta circumſpectione ſit opus, ſi tandem ſibilus aurae lenis, ſalutareſque ipſius Dei informationes, audiri debent.

2. Cum autem tanti momenti negotium ſemel apud vos determinandi occaſiones veniant, atque vt recte determinentur, totius Chriſtianitatis intereſt, orandus eſt vobis Deus, veſtrique cauſſa Eccleſiis, vt vos omnes (pium nempe *Dauidem veſtrum vobis redditum, cum magno regni ſenatu iam congregato, ſynedrioque eccleſiaſtico iam congregando, & quicunque ad ſacra haec adhibebuntur conſilia*) Spiritu ſuo ſancto ita regat, vt conſilia veſtra exitum Deo glorioſum, vobis autem & Eccleſiae ſalutarem, inueniant, amen.

3. Et quia *Deus quod ordinarie agit, per ordinaria media agit*, diuinaeque prouidentiae fiducia prudentiam humanam non excludit, ſed includit: opus fuerit (poſt inuocatam coeleſtem gratiam) vndecunque conſilii ſani aliquid haberi poteſt, prudenter exquiri, modeſte communicari, ſedulo expendi, ſapienterque tandem quod optimum fuerit repertum eligi, conſtitui, ſtabiliri. Nec deeſt boni ſucceſſus ſpes, poſtquam vos negotium hoc ſerio ver-

ſare, non tamen praecipitare, conſilia potius in anteceſſum varia (cum propria domi) tum ſubminiſtrata aliunde, audire, demumque omnibus recte euentilatis ad concluſionem venire velle, conſtat. Non deerunt piorum pro vobis ad Deum ſuſpiria, nec bonarum cogitationum ſuggeſta vndecunque adminicula: Deusque ſuperaddet directionem, ac benedictionem.

4. Nempe quia Eccleſia catholica vna eſt, cuius ciues omnes Chriſto fideles, per quaſcunque particulares eccleſias aut gentes diſperſi, ſumus: requirit ſanctorum communio, vt pro communibus impetrandis ſolatiis vota & preces, ſuffragiaque & ſententias, occaſione data conferamus. Qua fiducia fretus ego quoque extraneus ſententiam dixi! non quidem meam; ſed Eccleſiae meae, & aliquot piorum ſapientumque virorum, Eccleſiae luminum. Qui rebus apud nos ita vt erant conſtitutis teſtimonium dabant; *tale hoc Eccleſiae regimen, aut eſſe illud ipſum, quod inſtituit Chriſtus, & vſurparunt apoſtoli, aut illi proximum: ideoque Eccleſiis omnibus optandum.* (videatur praemiſſae hiſtoriae §. 76. 79. 80. 82. 85. 90. 94. 96. 106. 107. 108. 111. 112. 113. 115. 122.) *An vero ita eſt*?

5. Non venditamus perfectionem, quam ſub coelo non eſſe nouimus: neque nos praeferimus aliis, naeuorum nobis conſcii. Quia tamen non deſerenda eſt cauſſa agi caepta (nempe *vt quicquid vſquam boni eſt, commune fiat*) videntur qui hanc Eccleſiaſtici regiminis formam probarunt, non omnino fuiſſe falſi: ex eo primum, quia nec iudicii inopes dici poſſunt viri tanti: nec affectu abducti, vt placere quaererent hominibus mundo obſcuris, quos laudando aliquam potius exiſtimationis iacturam extimeſcere habebant, vt in Eraſmo patuit, Hiſt. 60.

6. *Deinde, ſi quis proprio iudicio circa haec verſari velit, vix aberit quin ipſemet in easdem veniat cogitationes.* Nempe ſi expendat: (*a*) quod vnitatem hanc non vnus aliquis inchoauit, ſed multi, *hiſtor. 45. annot. p. 78.* (*b*) Ergo non philautia ducti, ſed ſalutis amore. (*c*) Nec ingenii luxuriae, ſed inter conſcientiae luctas & angores, *ibidem.* (*d*) Nec praecipitanter, ſed cum variis multos annos de liberationibus. *hiſtor. 47 99.* (*e*) Neque praeſumtuoſa ſui fiducia, ſed cum metu ac trepidatione, eoque precibus ad Deum multis & anxiis, 48. 50. 60. (*f*) Et cum multo ad homines reſpectu, conſiliique vbi ſperari aliquid potuit requiſitione: apud *Romanos, Graecos, Valdenſes, Huſſitas, Lutheranos, &c.* 61. 66. 68. (*g*) Et cum propoſito omnia explorandi, & quod vſquam bonum eſſet retinendi: vsque adeo, vt ſibi canonem conderent; *ſi qui exſurrecturi eſſent melius reformati, illis ſeſe iungere poſteri vt tenerentur.* (67.) Prorſus igitur nihil ſchiſmaticum redolebat haec vnitas. (*h*) Quae autem interim collecta habebant ea praxi ſic exercuere, vt igne perſequutionum (per continua duo ſecula) vere probata eſſe dici poſſit: nec

ali-

Digitized by Google

aliquid his melius [ſcripturis nempe diuinis & apoſtolicae praxi conformius, & quod conſcientias tranquillet melius] adhuc repertum.

7. *Sed non deſunt pro his rebus alia etiam maioris ponderis, & ceu apodictica, argumenta.* Quale hoc primum eſt: *quod Eccleſia haec fratrum, tale corpuſculum fuit, quale apoſtolus totius Eccleſiae corpus eſſe vult: compago ſanctorum, per opus miniſterii ad mutuam aedificationem, in vnitate fidei, ad ſincere ſe gerendum in caritate: coagmentatum congruenter, & compactum, per omnes ſuppeditatas commiſſuras, EX VI INTVS AGENTE*, Epheſ. IV. 12. Ita enim hic omnes, alii aliorum exiſtendo membra, communibus ad communem aedificationem colligabantur legibus: non externi alicuius ſplendoris, opum aut honorum, allectamentis, aut vllius coactiuae violentiae vinculis, ſed ſola intus agente vi eiusdem fidei, amoris, ſpeique glutine coagulati.

8. Secundo, *quia hac talis fraternae Eccleſiae politia ita in ſe ipſa comparata eſt, vt tametſi ſe politiis huius mundi, imo omnibus hominibus in bonum ſubmittat, nihil tamen de Eccleſiae libertate, quam ei ſanguine ſuo Chriſtus parauit, amittat* (obſeruante D. Oleuiano, *hiſt. 115.*) Et quod plus eſt, quod omni bene conſtitutae politiae conueniat, nihilque turbet. (Id quod omnino optandum, ſi *Policia* & *Eccleſia* in ſocietatis humanae ſalutem conſpirando, non niſi vt externum & internum differre debent.) *Conuenit enim hoc tale Eccleſiae regimen ſtatui Monarchico*, quia habet epiſcopatum. *Conuenit Ariſtocratico*, quia habet ſenatum. *Conuenit Democratico*, quia habet ſynodos. Ideo Caluinus & Bucerus (ambo fratrum ordinis laudatores, *hiſt. 79. 80.*) ad reformandum Eccleſias in loca diuerſa vocati, quisque illum ſic applicuit, vt regimini politico accomodaret: Caluinus in republica (*Geneuae*) presbyteratum inſtituens; Bucerus in regno (*Angliae*) epiſcopatum relinquens. An autem recte ſic diuulſerint, quae iuncta operantur melius oſtenderunt inde ortae, & tante pernicio inter fratres agitatae, lites. Porte ſi audiuiſſent Salomonem, *funiculus triplex difficile rumpitur, has rupturas non fuiſſent experti.*

9. Tertium pro hac tali Eccleſiaſtici ordines forma firmiſſimum argumentum eſt, *quod corruptionis ſuae antidota intra ſe ipſam habeat, ordinem ac diſciplinam, ataxias aut praeuenientem, aut ſi ſerpere tentent compeſcentem.* Ex gr. (*a*) Quod *ambitioni & ſimoniae locus hic nullus relinquitur*, vbi nemo ipſe currit, nemo aliis praecurrit: omnes tantum veniunt vocati, eunt miſſi; eo quo mittuntur, non alio; & tum cum mittuntur, non alias. Nec ad vllam functionem quisquam promouetur vnius alicuius arbitrio (vt proſopolepſia peccari poſſit) ſed ceu communi omnium: iudicio cunctorum minus periclitante quam ſingulorum. *Et quia omnes etiam ſinguli ſunt, errareque poſſunt, recte ſemper in conſilium adhibetur, qui errare non poteſt, Deus*: praemiſſis in omnibus ſynodis, ante ſingulas miniſtrorum (paſtorum & epiſcoporum) electio-

electiones, ad Deum (cum totius diei ieiunio) precibus (Act. XIII. 2.3.) (*b*) *Auaritiae* hic antidotum eſt ipſa paupertas, cui tum neceſſitate ipſa adſueſcunt omnes, lautis deſtituti ſtipendiis; tum legibus, nummorum corradendorum curam prohibentibus (*vide annot. p. 21. 6.7.*) (*c*) *Arrogantiae* hic obex ponitur; quia cum ſuperbiae vitium notabile exoſumque ſit, quisquis tumorem proderet, eo ipſo ſui promotionem ipſe impediret. (*d*) *Rixarum* antidotum non deeſt, fraterni amoris in omnibus ſtudium: aut ſi quid humana infirmitate contingat, ad latus amici reconciliatores nunquam deſunt. (*e*) *Haereſi* aut *heterodoxiae*, non eſt locus, vbi nemo peculiare aliquid habere, omnes ad conſenſum & harmoniam omnia componere, conſueſcunt. Et vbi praxi potius caritatis Chriſtianae, quam ſubtilibus circa fidem ſpeculationibus, omnes exercentur. (*f*) Neque quisquam aduerſus alium diſputando, aut ſcribendo, inſurgit (cuius rei triſtia alibi exempla) quia propter communis ordinis vincula nec audet nec poteſt. (*g*) *Curioſitatis* denique deſunt occaſiones, vaſtae bibliothecae, per quas ſe arbitratu ſuo voluant & periculoſe inuoluant, ardeliones: diuinis potiſſimum libris deliciari docentur omnes.

10. Hoc etiam: *beatas praedicat apoſtolus Eccleſias, vbi ſerui Chriſti tanquam angeli Dei, tanquam ipſe Chriſtus Ieſus, excipiuntur*, Gal. IV. 14. 15. Obſeruauit autem D. Altingius (lecto fratrum ordine anno 1633.) *Omnia ibi ad pietatem, ordinisque ſacri debitam venerationem, ſingulari cura eſſe directa.* Quod ſi eſt, veram igitur imaginem regni Dei, habemus & ſpem benedictionis & vitae vsq; in ſeculum, promiſſae fratribus habitantibus in vnum, omnia gratiae diuinae vnguenta & rores in commune habentibus, Pſalmo CXXXIII.

11. Si locus pateretur, luculentiſſimus ſcribi poſſet commentarius. *Qualiter Chriſtus ſpirituale illud regnum ſuum (quod in mundo quidem, non tamen de mundo, eſſe voluit) fundauerit, & quomodo ab apoſtolis adminiſtratum ſit: ad facilius agnoſcendum chriſtianorum enormitates, quibus ſpirituale hoc & coeleſte regnum in tot mundana, terrena, corporea, adeoque carnalia ſchemata transformando, deformarunt: quid item tot nouis transformationibus & reformationibus hucusque profectum ſit, aut non ſit.* Sed cum me diffundere non poſſim, *flecto genua mea ad patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, vt det vobis pro diuite ſua gloria fortiter corroborari per ſpiritum ſuum in interiore homine, vt in caritate radicati, aſſequi valeatis cum omnibus ſanctis, quae ſit illa latitudo & longitudo, profunditasque & ſublimitas, & noſſe dilectionem Chriſti omni notitia ſupereminentiorem, vt impleamini ad omnem vsque plenitudinem Dei*, Epheſ. III. 14.

12. Dicit quis, *tanta rerum iſtarum commendatione quid quaeris? anne vt tua illa perſuadeas?* Reſpondebo: Si bona ſunt, vtique ſui communicatiua ſunt, & vt communia fiant non inuideri, ſed optari, debet. Meae vero animae ſi

ſic

Digitized by Google

ſic bene eſt, non poſſum non cum Paulo dicere, *optem a Deo, vt omnes ita ſitis quomodo ego ſum, exceptis afflictionis meae vinculis*, Act. XXVI. 29. Nihil inde meae quaerendo Eccleſiae, quae iam non eſt: neque mihi, qui ſepulchrum ingredior. Sed tibi communis mater Eccleſia catholica: quam ſic amo & colo, vt tibi vbicunque poteſt, & quacunque parte poteſt, meliuſcule eſſe optem. *Extra partium ſtudia natus ſum, & vixi, & morior: Chriſto vni, vna cum illis, quos mihi duces dederat, aut me illis, adhaerens.* Vtinam omnibus qui Chriſti nomen inuocat, perſuadere detur idem! vt nempe Chriſto (ſolo Chriſto, nudoque Chriſto) duce ſibi conſtituto, *Paulum, Apollo, Cepham*, & quoſcunque, ignorent: vniusque ſalutis & gloriae aeternae ſcopo ſibi fixo ceteras nugas (contentiones *de primatu, praedominio, titulis, reditibus*, tanquam mundanas impertinenter admiſtas quisquilias) exeſſe iubeant.

13. *Tune tantillus tanta mouere audes*? Reſp. Date veniam vt dolori indulgeam meo, qui ob Eccleſiae meae ruinam, veſtrae metum, oſſa exurit mea. Ruinam dico Eccleſiae: tum meae, quae iam in ruderibus iacet; tum veſtrae, quae periclitatur, niſi vos miſerationes praeueniant Dei. Qua de re vobiſcum loqui, o Chriſtiani, amor Chriſti, communisque ſalutis deſiderium, cogit. Facio enim quod in ſterquilinium proiectus Iob fecit, circumſtantibus ſe amicis dicens, *doceo vos in plaga Dei verſans*. Iob. XXVII. 11. Si & *exhortari* audeo, illud audeo quod Chriſtianis officio datum eſt omnibus, 1. Corinth. XIV. 31. 2. Cor. XIII. 11. & Hebr. III. 13. An & *conſilia dare*? Ita: eo iure quo pauperrimus etiam ciuis, & nullius aeſtimii, communi periclitante patria ſubuenire conſilio, ſi quod videt, obligatur Eccleſ. IX. 17. Et quo ancillula captiua Domino ſuo, viro principi, conſiliari auſa, 2. Regum. V. 3. *Audite me qui Deum timetis! verba mea non ventus erunt, ſed res: nec loquentur priuatum quicquam, ſed communem ſalutem.*

14. Noui naturae humanae indolem, quam, cuique noſtrum *placere ſibi rebus ſuis, contemnere prae ſe alios*, facile ſit. Scio *cedros* aeſtimare altitudinem ſuam, *quercus* robora ſua, *palmas* elegantiam ſuam, *ficos* & *vites* fructus ſuos; *rhamnum* vero ob exilitatem contemni, quod vel a beſtia agri conculcari poſſit, Iudic. IX. *Eſto igitur: ſit gens Bohema gentium minima; & Eccleſia Bohemica Eccleſiarum minima; & fraternitas Bohemica Eccleſiae gentis ſuae portio minima.* Quid inde ſequitur? nihil eſſe quod a puſillo magnus quis diſcere poſſit? audite Chriſtum, ſapientiam aeternam, quid ille, dum magni Apoſtoli de magnitudinis in regno coelorum praerogatiua contenderent, egerit! aduocauit puerulum, eumque in medio ſtatuens dixit: *amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & fiatis vt pueruli, non intrabitis in regnum coelorum*, Matt. XVIII. 1. 2. 3 Fiat applicatio, & eritis vobis ipſi doctores, o doctores magni. Spero enim omnes vos credere, *Chriſtum adhuc nobiſcum eſſe, & vsque ad*

Digitized by Google

ad conſummationem ſeculi: moresque noſtros videre, & continuatas de maioritate contentiones audire: nec illi deeſſe oportere puſillos aliquos, quos in medio magnorum ſtatuens exemplo eſſe iubeat.

15. *Contendite igitur inter vos, ſi ita placet, o magnae Eccleſiae, de praeeminentia!* maiorne ſit *Graeca* an *Romana*, *Gallicana* an *Anglicana*, *Germanica* aut *Heluetica!* concertate de *fide* aut *ceremoniis*, vel *hierarchia*, quam acriter vsque poteſtis. Chriſtus ecce vobis in medium ſiſtit puerulum, & (vt Zanchius dixit) infantem, a pompa & phaleris nudum, nulla re praeterquam ſimplicitate conſpicuum, praeferre ſe aliis, rixari cum quoquam, ambire opes aut honores, neſcium; & qui domi ſe continere, ſua agere, alienis non miſceri, Deo in ſpiritu & veritate ſeruire, coelum reſpectare, terrae diffidere, nihilque magis quam ne vllius officii intermiſſione Deum vel homines offendat, metuere & cauere: atque dum haec agit, aut latere aut contemni, didicit. *Quomodo ſi quis ſe humiliauerit, dominus illi maioritatem in regno coelorum promittit*, (v. 4.) *& quisquis talem puerulum ſuſceperit in nomine Chriſti, Chriſtum ſuſcepturum*, (v. 5.) *Contra vero ſi quis talem ſcandalizauerit, molam ei aſinariam, & profundum maris, minatur*, (v. 6.) *aeternum vae ſimul denuntians omnibus, qui ſcandala dum poſſint non vitant*. (v. 7.)

16. Et quid aliud diſcordibus ſuis Corinthiis, deque rebus fluxis in conſpectu infidelium altercantibus, ſuaſit apoſtolus? *ſi lites habetis* (inquiens) *de iis quae ad vitae huius vſum pertinent, eos qui nullo in Eccleſia loco ſunt in ſubſelliis collocate: ad pudorem veſtrum dico*, 1. Cor. VI. 4. Quid ſi ad pudorem noſtrum nunc etiam vobis, o ſapientes, o diuites, o ſine aliis regnantes Corinthii (c. IV. v. 8.) dicat idem? reuera enim de quibus litigatis, res vitae huius tantum ſunt, *ordinis & eminentiae, opum & redituum, auctoritatis vel exiſtimationis, praerogatiua. Hoc autem quantillum eſt vobis, qui mundum & angelos iudicabitis?* (v. 2. & 3.) *qui thronum Chriſti, beataque in aeternum regna expectatis?* Apoc. III. 21. Dum ergo vos tanti tantillis de rebus litigatis, ecce vobis contemtibiles quosdam, & vltimi ſubſellii, oſtendit Deus, a quibus meliorum ſtudia diſcere incipiatis. Illos dico, qui ſub cruce Chriſti gementes, vos glorioſas ſic alloqui poſſunt: *Deus nos vltimos vobis oſtendit, tanquam morti deſtinatos: nam ſpectaculum facti ſumus mundo, & angelis, & hominibus. Nos ſtulti pro Chriſto, vos autem prudentes in Chriſto, nos infirmi vos autem validi: vos glorioſi, nos ignominioſi. Ad hoc vsque tempus & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis caedimur, & incertis ſedibus erramus: & laboramus, operantes propriis manibus: conuiciisque affecti bene precamur, tanquam purgamenta mundi facti ſumus, omnium peripſemata*, &c. 1 Cor. IV. 9. ſeqq.

17. Haec ita Paulus priori ad Corinthios epiſtola: quam illi monitionem quomodo attenderit, patet ex epiſtola poſteriore, vbi eos, *quod apoſtolicam*

ſpre-

Digitized by Google

ſpreuerint humilitatem, ſeque per pompoſos, grandiloquos, ſtipendiiſque lautis ſaginatos, a ſimplicitate Chriſti abduci paſſi ſint, varie increpat. Et quid mirum? ipſi prophetarum & apoſtolorum principi id contigit, vt ob humilitatem & manſuetudinem, Ieſ. XLII. 1. 2. crucemque & afflictionem, contemptus fuerit, indignus habitus quem intuerentur, Cap. LIII. 2. 3. Adeo ſemper mundus nihil niſi potentiam, pompam, ſplendoresque reſpectans, decipere ſe ipſum amat: quod piis attendendum & cauendum. *Stultitia enim Dei ſapientior eſt quam homines, & infirmitas Dei validior quam homines. Quae ignobilia ſunt mundo, & pro nihilo habita, eligit Deus; & ea quae non ſunt, vt quae ſunt aboleat: vt ne glorietur in conſpectu eius vlla caro*, 1. Cor. I. 25. 28. 29.

18. Tametſi igitur vobis magni in Eccleſiis magni litigatores, ergo aliquem magnum *Ioſephum*, qui fratribus ſuis, *ne contendatis in hac coeli via*, cum auctoritate ediceret, Gen. XLV. 24. Aut *Moſen*, qui vobis, *viri fratres eſtis, cur vos iniuriis afficitis*? acclamaret, Act. VII. 26. Aut *Ezechiam*, qui vos, quod ille ſacerdotes & Leuitas, *filii mei ne erretis amplius, vos enim elegit Deus*, &c. regali maieſtate moneret, 2. Chron. XXIX. 11. Aut denique *Conſtantinum Magnum*, qui ſeruis Chriſti epiſcopis, molliter increpatis, *omnes lites exureret*, opto. Quid tamen prohibet Chriſti veſtigiis inſiſti, vobisque magnis apoſtolis puerulum in medium ſiſti, & quid ab illo diſcendum habeatis monere? quid vetat & apoſtolicum vrgere inſtitutum, vt ortis inter vos ob ea quae praeſentis tantum aeui ſunt litibus, contemptiſſimis in Eccleſia diiudicatio committatur? diuini iuris id fuerit, quicquid aliud *ratio ſtatus* iis, qui *ſtatum regni Chriſti* non intelligunt, aut intelligere nolunt, dictet.

19. *Hoc igitur diuino iure freta Eccleſiarum minima, tametſi oppreſſa, Bohemica, orat vos Eccleſiae magnae, vt de rebus tam humilibus, tam tranſitoriis, tam nihili, lites ſeponatis.* Quid enim? *de loci aut dignitatis praerogatiua contendetis.* Atq; Chriſtus omnem ambitionem ſuis adeo interdixit, vt eum qui primatum affectaret ad vltima retrudi mandaret, Matth. XX. 26. & XXIII. 11. 12. *De titulis*? atqui humilitatis magiſter phylacteriorum dilatatione tanquam faetido phariſaico faſtu, damnata, *ibid. 5.* ſuos mutua fratrum compellatione ſatis eſſe honoratos voluit, v. 8. *Contenditis de myſteriorum intelligentia maiore?* atqui omnes, dum hic ſumus, infantes ſumus: vix particellam eorum, quae deducti ad perfectionem (Dei miſeratione) intelligemus, intelligentes. Quid ni balbus balbum vel intelligat, vel ferat? *de praebendorum iure contenditis*? atqui Chriſtus, *beatius eſt dare quam accipere*, Matth. XX. dixit, ſuisq; ad euangelii praedicationem emiſſis, curam Zonae interdixit, Matth. X. 9. addita regula, *dono accepiſtis dono date.* Apoſtolis vero gloriandi materia fuit, *euangelium gratuito praedicaſſe* (etiam apud opulentiſſimos Corinthios) vt ne oneroſi eſſent cuiquam, 2. Cor. XI. 7. 9. *& ex euangelio diteſcendi ſtudium mercenariorum*

Digitized by Google

nariorum character maneret, ibid v. 20. & alibi ſaepe. Sinceris ergo Chriſti ſeruis Chriſtum imitari, apoſtolorumque ſucceſſoribus, apoſtolorum veſtigia premere, gloriatio ſit in domino.

20. *Si adhuc paruitas obſtat*, dicendum erit cum Sirach, *parua inter volucres apis eſt, principium tamen dulcoris fructus eius*, Sir. XI, 3. *Formica quid abiectius?* ad eam tamen vt prudentiae magiſtram, toties ablegamur? & nonne reſpublica parua etiam ordinatiſſima eſſe poteſt, maiori cuicunque in ſpeculum? *naue ferar magna, aut parua, vehar vnus & idem*, dicet ſapiens. Nimirum *quantitatis nulla eſt efficacia* (niſi forte vt mole ruat ſua:) *actiones a forma fluunt*. Auſi ſunt maiores mei confratrum euangelicorum litibus (in Germania, Heluetia, Polonia) fraterne ſeſe interponere, auxilioque Dei aliquid alicubi egiſſe: quid ni nos eorum reliquiae litigantium adhuc reliquias inclamare? auſi Maximiliano imperatori Eccleſiae reformationem ſuadere (*hiſt.* 108.) quid ni nos extremi ad extremum, deducti idem optare? Beati martyres noſtri, *Hus & Hieronymus*, in mediis flammis cantabant hymnos Deo, cauſſae bonitate freti: quid ni nos eiusdem cauſſae heredes ad vltimum vsque? triumphaturi cum Chriſto, virtute illius non tantum in Babylonicis flammis, ſed & poſt illas, vltimasque mundi flammas.

21. *Quid autem requiris*, dicet quis? Reſpondeo: *commiſerationem. Commiſerationem dico veſtri ipſorum, vt ne* vos ſic conſtanter perditum eatis, o Chriſtiani. *Quomodo perditum*? quomodo Chriſtus dixit: *omne regnum aduerſus ſeſe diſſidens vaſtatur, & domus aduerſus ſeſe diſſidens cadit*. Vos enim, o popule Chriſtiane, quam varie, quam atrociter, quam noxie (ad mutuam vsque euerſionem) diſſideatis, teſtes ſunt coelum & terra. Non diuerſas tantum *nationes, vrbes, familias*, diſſidere dico, ſed & easdem *nationes, vrbes, familias*, intra ſeipſas tot modis diſſociari, diſcrepareque, vt vix alibi exemplum. Quaſi data opera coniuraſſetis agere contraria illis, quae mandauit Chriſtus, vt *eſſemus vnum*. Attendite obſecro quid Paulus dicat: *ſi eodem loci conueniret tota Eccleſia, & omnes loquerentur linguis* (nouas linguas diuinitus edocti) *ingrederentur autem idiotae aut infideles, nonne dicent vos inſanire*? 1. Cor. XIV. 23. Quid ergo fieret, ſi nunc tota in vnum locum, ex tot Chriſtianis gentibus & ſectis congregata Eccleſia, conſpici poſſet? omnesq; hos iurgantes, mordentes, digladiantes, & ſibi inuicem digitos, manus, pedes, capita, amputantes, viderent infideles, quid dicerent? furiis nos agitari. Annon autem ita eſt? *altero iam ſeculo omnium ſcholarum & templorum pulpita nihil niſi altercantur, odiaque alii in alios concitant atrociſſima*: cum tot in publicum prouolantibus crimino ſis, & infamibus aduerſus inuicem ſcriptis, vt mundus iam non ferat. *Quadragintaque inſuper annis omnes Europeae gentes nihil aliud egerunt, quam quod Midianitae olim, tubarum Gedeonis clangore in vertiginem acti*: vt obuer-

fis

Digitized by Google

ſis inuicem gladiis ſeipſos confoderent, mutuisque vulneribus (ſine extraneo hoſte) conciderent? Vident autem omnia haec, & rident, Iudaei & Turcae, mirabundi, quomodo ſic in ſenſum reprobum dati ſimus, vt non expectato illorum gladio, propriis nos conficiamus armis, reſiduis etiam nobis mox illorum praeda futuris. Talis certe riſus, propudioſus nobis, fuit *Solymanni Turcarum imperatoris*: cui cum (poſt ademta Chriſtianis quadraginta per Aſiam & Europam regna) Chriſtianos reges & reſpubl. foedere inito bellum parare, nunciaretur: ſublata manu, diuaricatisque digitis. *Quam parum metuo, vt iſti mei concreſcant digiti, tam parum illam Chriſtianorum coniunctionem metuo*, dixit. Atque ita fuit, vt illi tam communi ſuo tunc hoſti victoriarum curſum ſiſterent, conuenire inter ſe non potuerunt, nec adhuc poſſunt: de ſe ipſis autem euertendis conueniunt ſemper. Maxime demum, & omnium furioſiſſime, poſtremis hisce 40 annis: quibus per ipſos Chriſtianos tantum Chriſtiani ſanguinis profuſum eſt, quantum poſt hominum memoriam a nullo extraneo hoſte. Tantaque Chriſtianis regnis paſſim inducta vaſtitas, vt cum propheta exclamare liceat; *niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma & Gomorrha eſſemus. Eheu, eheu, eheu!*

22. Haeccine vero ſunt *virtutes veſtrae, popule Chriſtiane, annuntiandae in laudem eius qui vos vocauit in admirabile lumen ſuum? vt apoſtolus loquitur, vosque* propterea *genus electum, regale ſacerdotium, gentem ſanctam, & populum, quem ſibi vt proprium vendicat Deus, appellat*? 1. Pet. II. 9. Eheu, eheu! Venite, oſtendamus nos nobis ea forma, qua nos ſibi & nobis, ceu in idea, delineauit, plaſmator noſter. Ipſe dico Filius Dei, qui nos ad imaginem ſui reformaturus ita loqui orſus eſt.

Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt regnum coelorum Matth. V. 3. Sed vbinam eſtis pauperes ſpiritu Chriſtiani? quis nunc non opinione ſua plenus, dicit, *diues ſum & locupletatus, nullius egeo*? *Apoc. III. 17.*

(2) Pergit Saluator: *Beati mites, quoniam terram poſſidebunt*, v. 4. Vbi eſtis mites? terram quidem poſſidere volunt Chriſtiani: ſed etiam inter ſe ferro & flamma partiendo.

(3) *Beati qui lugent; quoniam ſolamen recipient*, v. 5. Recipere ſolamen nemo iam Chriſtianorum cupit, ſed non egere ſolamine: hoc eſt in praeſens potius gaudere, voluptuari, delicate agere.

(4) *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam; quoniam ipſi ſaturabuntur*, v. 6, Vbi ſunt iſti? opes eſurire & ſitire, ſeque carnis cupiditate, oculorum libidine, & faſtu vitae explere, communia ſunt per totum Chriſtianum orbem ſtudia.

Digitized by Google

(5) *Beati miſericordes; quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*, v. 7. Immiſericorditer inuicem tractare, vi & fraudibus graſſari heroicae artes factae ſunt Chriſtianis.

(6) *Beati mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt*, v. 8. Mundum malumus quam munditiem, luxurien quam temperantiam: molliores quam antediluuianus mundus, aut Sodoma aut Gomorrha, facti.

(7) *Beati pacifici; quoniam filii Dei vocabuntur.* (v. 9.) Quam ſimus pacifici, lites, iurgia, bellaque furioſa quibus nos mutuo euertimus, loquuntur.

(8) *Beati qui perſecutionem patiuntur.* v. 10. &c. Quis credit? praeter miſcellam quandam ſtultam, deliram, contemptui datam plebem. Ceteri Chriſtiani vultures eſſe quam pulli, lupi quam oues, malunt: crucis myſterium exoleta res facta eſt apud eos.

Eheu Chriſtiani, quam praeter nomen nihil retinetis Chriſtiani! quos Chriſtus e mundo ſe elegiſſe dixit, Io. XV. 19. nihil iam niſi mundum ſapiunt, loquuntur, quaerunt, Eheu!

23. Quid autem agitis vos *Euangelii miniſtri, populi Chriſtiani magiſtri*, quos ad euocandum electos mundo Chriſtus miſit? Siccine ille vos populum ſuum inſtituere docuit? Diogenes philoſophus, adoleſcentem indecore ſe gerentem conſpicatus, plagas ingeſſit paedagogo, *ſiccine hunc inſtituis?* inquiens. At populus Chriſtianus veſtri ſunt diſcipuli, o paſtores! vos eorum ad Chriſtum paedagogi, 1. Cor. IV. 15. Nonne metuitis ne coeleſtis Διογενὴς (Dei Filius) diſſolutiſſimos & abominabiles diſcipulorum veſtrorum videns, diuque tolerans mores tandem vos plagis adoriatur ſuis. Minatur certe, Ier. XXIII. 1. *Vae paſtoribus, qui diſpergunt gregem paſcui mei!* Et Ezech. XXXIV. *Vae paſtoribus qui paſcunt ſeipſos! adipem comedentes lanam induentes, quod optimum eſt mactantes, gregem tamen non paſcentes, infirmum non ſolidantes, aegrotum non ſanantes, confractum non obligantes, depulſum non reducentes, pereuntes non requirentes, ſed vi dominantes ouibus meis, &c. Ne viuam ego, dictum eſt Domini Iehouae niſi repoſcam gregem meum e manu ipſorum, & faciam vt ceſſent paſcere ſeipſos.* Paſcitis enim plerique (quam vere viuit Deus) nonniſi vos ipſos: ſalutis populi nulla vobis ſeria cura. Nemo veſtrum pauper eſſe vult, ſed diues, opulens, nullius egens! & quomodo igitur alios beatam illam Chriſti paupertatem doceat? nemo corde mitis, & humilis, aliisque cedens, ſed vt ſibi alii cedant omnes: & vnde igitur manſuetudinem & obedientiam (ſuaue illud iugum & leue onus Chriſti) diſcant Chriſtiani? verbo, *crucem declinatis omnes, qua vel ipſi crucifigatis carnem cum affectibus & cupiditatibus ſuis, vel aliunde impoſitam toleretis patienter: & quomodo igitur ad imaginem crucifixi effingere poteſtis alios, vos ipſos non per omnia conformantes crucifixo? eheu! totus Chriſtus paradoxus factus eſt populo Chriſtiano:* quia cum

talem

Digitized by Google

talem repraeſentant duces ſui: qui ſuis exemplis alia, prorſus alia docent, quam docuit Chriſtus. Eheu!

24. *Vos autem humanis rebus cum poteſtate praeſidentes vicarii Dei, reges, principes, ceterique in eminentia conſtituti:* nunquam e ſummo illo faſtigio (vbi vos tanquam in ſuprema ſpecula locauit Deus) proſpectando, quid rebus humanis fiat melius attendere incipietis? de vobis dictum eſt: *rex ſolio iudiciali inſidens, diſſipat oculis omne malum*, Prou. XX. 8. Iudicium quidem Dei eſt, ſed traditum vobis: quis ideo *Deos, filiosque excelſi* appellauit, Pſalm LXXXII.6. Veſtrum ergo eſt inſidere throno: ſed oculis in omnia apertis, fortiterque mala omnia diſſipantibus. Eccur igitur tot mala in orbe Chriſtiano, poteſtati veſtrae ſubmiſſo toleratis? cur non populum Chriſtianum a tot flagitiis *poteſtate gladii* (ſi paſtores *poteſtate clauium* non poſſunt, aut non curant) cohibetis? cur ipſos paſtores tantam in ataxiam prolapſos in ordinem non cogitis? cur veſtrum nonnulli eos vobis rerum Dominatoribus, dominari permittitis? cur eos, qui vobis & populo ad coeleſtia duces eſſe debent, terreni immergi toleratis? oculati hic profecto erant Bohemi, *qui clericis ſeculariter non eſſe regnandum* in Baſilienſi concilio aſſeruerunt, & diſputatione dierum 50. e ſcripturis inuicte demonſtrarunt Hiſt. 38. 39. eoque vt ex eo tempore apud ſe inter ordines regni haberentur, neque comitiis regni, aut iudiciis politicis vllis vuquum aſſiderent, obtinuerunt: vsque ad nuperam illam poſtremam liberae gentis & Eccleſiae cladem; vbi ſupremo etiam procerum ordini antelati, regnareque iuſſi ſunt. Sed vbi manebit illud Chriſti, *vos autem non ſic*, Luc. XXII. 26. Aut liberum eſt Chriſtianis non audire Chriſtum? atqui vox de coelo lapſa eſt, *hunc audite! ſub tribus commoueri terram, & quartum non poſſe ſuſtinere., ſapiens obſeruauit Salomon. Nempe ſi regnare permittatur, cuius erat ſeruire; ſi ſtulto permittatur ſaturitas; ſi exoſa maritetur; & ancilla fiat heres herae ſuae* Prou. XXX. 21. 22. 23 Inuerſio enim haec eſt rerum, abſurda & intoleranda: qualium cum plenus ſit mundus, totaque res chriſtiana, cur toleratis vos Dii terrae, quos excelſus ſuo ſedere ſolio, oculisque diſpellere omne malum, iuſſit? An vt ne vnquam deſit, ſub quo gemat & commoueatur terra? eheu!

25. *Si aliquando evigilandum eſt o Chriſtiani, euigilemus iam! euigilemus per Deum viuum!* vt ſe cor noſtrum conuertat ad patres noſtros, resq; noſtrae in eum ſtatum, quo fuerunt ab initio: *ne Dominus veniens percutiat terram anathemate* (Mal. vlt. vlt.) Eo namque abominationum prolapſi ſumus (etiam mutuis perſecutionibus & lanienis) *vt quibus nos rebus cultum praeſtare putamus Deo* (humanis victimis, Ioh. XVI. 2.) *iuret Deus ſe non praecepiſſe, nec ſibi aſcendiſſe in cor ſuum: ideoque ſe diſſipaturum haec, & ſubuerſurum omnes gladio, &c. Ier. XIX. 4.*

26. Anno 1529. facta fuit in Germania principum & ordinum, aduerſus latum contra conſcientiarum libertatem edictum, *proteſtatio*: a qua euangelicis PROTESTANTIVM appellatio fuit attributa, & hucusque. At ecce, *poſt elapſos 130. annos, nondum cauſſae deſunt contra conſcientiarum oppreſſores proteſtandi!* non tantum illos, qui tunc & nunc ſoli regnare auidi neminem contra hiſcere volunt, ſed & iam contra *vos ipſos proteſtantes*: quia & vos violentiis mutuis omnia impleuiſtis, nec ceſſatis. Dum pro conſcientiarum libertate zelatis omnes, eam tamen in vobis inuicem oppugnatis omnes: nemo vel tantillum a ſe diſſentientem tolerare ſuſtinens. Eheu quid fit? ſemperne proteſtationes erunt contrariae facto? *Quid ſi iam Deus ipſe proteſtari contra omnes incipiat? Chriſtianos non eſſe Chriſtianos*: quia leges Chriſti non ſeruant. *Catholicos non eſſe catholicos*: quia non vt omnibus bene ſit, ſed ſibi tantum ſolis, quaerunt. *Euangelicos non eſſe euangelicos*: quia contra euangelium viuunt. *Reformatos non eſſe reformatos*: quia dum ceremoniis differre ab aliis volunt, vita nihil differunt. *Eheu exorbitauimus omnes! ego etiam cum meis: vae niſi emendamus!*

27. Ad quam emendationem vt nos diſponat Deus, non ſolum proteſtatur verbo ſuo, *audite coeli & terra: filios mihi enutriui, illi autem rebellant in me*; ſed et caſtigat bellis atrocibus, aliisque plagis. Nos tamen nec dum euigilamus? adhuc Ionas praeuaricator, propter quem excitatae procellae nauem quatiunt, ad nauigii latera altum dormit, communis interitus ſecurus? (Ion. I. 5.) *omnes nos illi Ionae ſumus, inobſequioſi Deo*, propter quos turbata eſt abyſſus irae Dei, communem totius Chriſtianitatis nauem iam iam abſorptura; quanquam non abſorpſerat ibi. Ibi enim *tametſi diuerſorum Deorum cultores, in communi tamen periculo communiter ad preces conuerſi orabant omnes, ſuum quisque inclamans Deum*: (v. 5.) Nos tametſi vnius Dei cultores, ne fauces quidem mortis eo, vt communiter ad Deum conuertamur, deducere poſſunt; ſed eiulantibus aliis, alii iubilant; pereuntibus aliis, alii exultant. Eheu confuſionem in communi naui noſtra! quod magis, *ibi crimen fatente Iona, ſeque interitui pro aliis deuouente, non feſtinarunt illum eiicere; ſeruare potius quaerebant* (v. 10.) At nos procellarum cauſſas alii in alios detorquendo, praecipitamus furioſe, quem quisque poteſt: eheu! *Ibi vt nauem littori appellere, nocentemque cum innocentibus ſeruare poſſent, laborarunt ſtrenue omnes*, v. 13. Apud nos aliis ad mortem vsque ſudantibus, alii otiantur; alii remigare volentibus remos excutiunt: aut ſi propellere quoque videri volunt, alii huc alii illuc propellunt, omnia confuſe, & cum tumultu, rixis, pugnis. Nonnulli furore quodam acti communem nauem ſub aliis perforant; modo vt alios perire videant, vna perituri. Eheu, eheu!

Digitized by Google

28. *Quid ergo tandem fiet, ſi pergimus?* pereundum erit naui, qua vehimur, neceſſario: ſiue a fluctibus eam extrinſecus obruentibus, gentium infidelium ſuper nos diluuio; ſiue a nobis ipſis, ſic in mutuam perniciem concitatis. Vae tibi Eccleſiae nauis, talibus vectoribus; remigimus, naucleris! niſi ab hac vertigine liberatis aliam Deus indat mentem.

29. *Ecquid autem conſilii vel ſpei?* ſpei multum in miſericordia Dei, ſi conſilia ſana vellent audire homines. *Quae illa?* qualia nobis in naue Ionae, iam iam ſubuertenda nec tamen ſubuerſa; & in ipſa Niniue, iam iam peritura nec tamen pereunte, oſtenduntur. *Primum*, vt quiſque praeuaricator cum Iona euigilet, culpamque confeſſus, iudiciorum Dei abyſſo humiliter ſe permittat: eadem opera & alios diſcrimine leuaturus, & ipſe forte gratiam inuentus. Deinde, vt nauem huius naucleri, orbis Chriſtiani capita, iunctis inter ſe pro communi ſalute conſiliis, omnia quae ad Deum placandum, homines vero in ordinem redigendum faciunt, ſalubriter diſponant. Tandem vt populus vniuerſus, bonis ſuperiorum exemplis & monitis excitatus, ad Deum & virtutem reduci ſe patiatur: inuocando vnanimiter Deum, quemadmodum illi & iſti (in naui & Niniue) fecerunt; nihilque omnium intermittendo, per quae Deo & ſibi reconciliari remos pariter ducant, omnibusque neruis ad ſalutis portum contendant.

30. Propius ad rem veniendo, *ſalutis Eccleſiae quatuor ſunt cardines.* Nempe.

I. Vt ſe totus Chriſtianus populus vniat.
II. Vt in ordinem redigat.
III. Vt vinculis diſciplinae colligat.
IV. Tandemque ſpiritu vitae impleat.

31. *Vniat* dico: vt non ſimus amplius tanquam oues diſperſae, aut grex leonum, vrſorum, luporum, ſerpentum & baſiliſcorum, diſperdentium ſe inuicem: ſed (quemadmodum promiſſum eſt) placide accubantium, ſimulque paſcentium, manſuetorum cum feris, robuſtorum cum imbellibus, &c. tanquam ſub vno paſtore grex vnus. *Nec tamen ita vt pecorum grex, vbi promiſcua ſunt omnia: ſed ita vt exercitus acie ordinata* Cant. VI. 3. *vt regnum Meſſiae*, melius ordinatum quam Salomonis, 1. Reg. IX. & X. *vt ciuitas regni magni*, Pſal. XLVIII. 3. *vt domus Dei*, 1. Tim. c. III. 15. vt denique *corpus viuum*, diuerſiſſimis membris diuerſarum functionum *plene inſtructum, perque omnes commiſſuras coagmentatum, ſpirituque vitae plenum*, 1. Cor. XII. v. 12. Epheſ. IV. 12. &c. Absque qua ſi fuerit, cetera fruſtra erunt, *vnio* dico, *ordo, connexio*: quia pleniſſimis etiam membris, decoreque locatis, & bene connexis, corpus, vna abſente anima cadauer eſt.

Digitized by Google

32. O diſperſi per Europam, Aſiam, Africam, Americam, perque inſulas maris, & per tot religionum, ſectarum, opinionum, cerimoniarumque multiuia, Chriſtiani populi! quid aliud iam facti eſtis, obſecro, quam Ezechielis illa per mundi campos disiecta Iſraelis oſſa? Ezech. XXXVII. 1. 2. Vtinam Deo tempus adducere placeat, quo in vobis omnipotentem ſuam exerceat virtutem! iubendo vt ſonitus fiat & commotio, appropinquantibus ſibi oſſibus inuicem, v. 7. *haec foret vnio* vno quoque ad ſuum alterum (*ordine membris debito*) colligantibus omnia neruis, aſſurgenteque carne, & ſuperinducta cute. v. 8 *haec forent vincula*, ſuperueniat denique a quatuor ventis ſpiritus, qui omnes ſpiritualiter mortuos perflet, vt viuant, v. 9. 10. *nempe vita Chriſti*: Quis viuet cum id faciet Deus! Num. XXIV. 23.

33. *Impoſſibilia optari dicit quis, & nunquam futura.* At optandum tamen eſt, quicquid bonum eſt. Hoc autem optare docet Spiritus S. Pſal. CXXII. *vt Ieruſalem ſit ciuitas vna, optime conſtructa, ciuitas plane coagmentata inter ſe pariter*, v. 3. *quo vnanimiter aſcendant omnes tribus Domini, ad celebrandum nomen Iehouae*, v. 4. *vbi erectum ſit tribunal, Chriſti*, v. 8. *ad conſeruandam pacem & tranquillitatem, aeque in praemunitionibus atque palatiis*, v. 6. 7. *vbi omnes Eccleſiae ciues ſint fratres & amici, perfecta pace*, v. 8. *commune bonum quaerere & procurare auidi*, v. 9. Ciuis ergo Eccleſiae bonus non eſt, qui non commune bonum totius Eccleſiae quaerit, aut optat ſaltem.

34. *Quiſque id venatur quod amat*, aiunt. Mihi ergo quia Deus amare dedit, I. *Vnitatem rerum*, praeſertim Eccleſiae; II. *ordinem rerum*, praeſertim Eccleſiae; III. ſtabilitatem *rerum*, praeſertim Eccleſiae; IV. *vitamque & vigorem rerum*, praeſertim Eccleſiae: non poſſum non illa votis omnibus proſequi. Amiſſaque *minore noſtra vnitate, ordine, vinculis, vita, non poſſum non maiorem vnitatem, ordinem, vincula vitamque, vniuerſo Chriſtiano populo* optare: in quantum *plus eſſet bonorum habere vnitatem in communitate, quam communitatem in paucitate.*

35. Vtinam Eccleſia aliqua maior & illuſtrior (quae ſit vt ciuitas ſupra montem poſita, Matth. V. 14. elata ſuper colles, Ieſ. II. 2. caeteris in exemplum initium faciat! *coalitionis* dico perfectae, *coordinationis* perfectae, *connexionis* perfectae, quantumque ſub coelo datur *renouationis ad vitam Chriſti* perfectae. In his enim Eccleſiae perfectio, decor, ſalus, conſiſtit.

36. VNITATEM Eccleſiae optare debemus, quia optauit qui niſi optimum optare non potuit, optimus ſaluator. Qui pro nobis in victimam ſe ſe ſanctificaturus, cum lacrymis orauit: *pater ego me ſanctifico pro illis, vt & ipſi ſanctificentur in veritate*, Ioh. XVIII. 19. *Omnes credituri in me, o vt OMNES ſint VNVM, ſicuti tu pater in me, & ego in te: vt & ipſi IN NOBIS VNVM ſint*, 1. *ego gloriam, quam dediſti mihi, dedi eis, VT SINT VNVM SICVT ET NOS*

NOS SVMVS VNVM, 22. *Ego in eis, & tu in me, vt ſint CONSVMATI IN VNVM: & vt cognoſcat mundus quod tu me miſeris*, 23. Eheu Chriſtiani, paveſcite! amiſſa vnitate amiſimus id, vnde mundus nos eſſe populum Dei, Chriſtumque eſſe miſſum a patre mundo ſaluatorem, agnoſcere debuit. Quam ſi retinuiſſemus, mille mundos lucrari iam potuiſſemus: vt ergo vel adhuc, *ad vnitatem redeamus, vt agnoſcat mundus*, &c.

37. Qualem vero VNITATEM optas? qualem mandato & exemplo Chriſti inchoarunt Apoſtoli: quorum Eccleſia *cor fuit vnum & anima vna*, Actor. IV. 32. Hoc eſt, nullum ibi erat partium ſtudium; ſed idem omnium ſenſus & conſenſus, communiſque aedificationis (vt inter eiuſdem corporis membra) ſtudium. Vtinam ita reddere nobis COR vnum & ANIMAM vnam, placeat Deo! vt paſtores cum grege quiſque ſuo; & grex quiſque cum paſtore ſuo; & Clerus totus inter ſe; & populus totus inter ſe; Dominatoreſque omnes cum ſubditis ſuis; & ſubditi cum dominatoribus ſuis; tota quaeque Eccleſia intra ſe; & omnes eiuſdem regni aut prouinciae Eccleſiae intra ſe, vnum ſint corpus vnaque anima!

38. *Aperi oculos popule Chriſtiane! & agnoſce extra vnitatis fundamentum toti aedificio Eccleſiae nihil eſſe ſimilitudinis, dilabida omnia.* Omnibus in rebus (naturalibus, artificialibus, moralibus) vnica ſalutis & proſperitatis baſis eſt *vnitas*: ad quam ſic reducenda ſunt omnia, prima & vltima, ſumma & ima, dextra & ſiniſtra, vt motu vno moueantur omnia. Ad hanc ideam conſtruxit Deus mundum, & in mundo ſingularia omnia. Animalis puta cuiuſuis (imo & plantae cuiuſuis) corpus ligamentis perpetuis vndique cohaerens. Ad eandem ideam omnem humanam ſocietatem (Eccleſiaſticam etiam) reduci neceſſe eſt: *quia vbicunque multitudo ibi confuſio, niſi multituto* (ordinis vi) *reducatur in vnitatem.* Vnitate rupta, impoſſibile eſt multitudinem non dilabi: quia inpoſſibile pluralitatem (vnionis vinculo non connexam) non venire in diſſenſionem, & ex diſſenſione in pugnas, & ex pugna in interitum.

39. Non ſufficit tamen ad plenam Eccleſiae incolumitatem VNITAS, *addendus eſt ORDO:* quia Ecllesia non eſt corpus ex partibus ſimiliaribus collectum (vt eſt arenae ceruus, aut lignorum ſtrues, aut pecorum grex, aut corpus lumbrici, vbi partibus ſatis eſt ſimul eſſe) ſed ex variis membris, loco, ſitu, forma, officiiſque diſtinctis conſtructum: quemadmodum in domo, vrbe, exercitu, corporeque humano, videre eſt. Vbi vnumquodque ſuo loco (ima imo, ſumma ſummo, intermedia intermedio, iuxta gradus) vt ſe contineat, & quod ſibi ſpecialiter demandatum eſt agat, neceſſe eſt; aut turbabuntur omnia.

Digitized by Google

40. *Qualem vero Eccleſiis optamus ORDINEM?* qualem iterum inſtituit Chriſtus, & obſeruarunt apoſtoli. Nempe *vt ſint qui praeſint & praeeant, & ſint qui ſubſint & ſequantur, ac obſequantur, ſubordinatione a maximis ad minimos legitima.* In primis autem, *vt vnusquiſque in vocatione, qua vocatus eſt, maneat; ſtationem ſuam non deſerendo, alienam non inuadendo*, 1. Cor. VII. 17. Chriſtus exemplo praeiuit: qui (in vita prophetico fungens munere, in morte ſacerdotali, in coelis regio) dum in prophetico verſantem creare vellent regem, declinauit, Ioh. VI, 15. dum ad externorum bonorum adhibere diſpenſationem, recuſauit, Luc. XIV. 14. Apoſtolisque ſimile dedit mandatum, ſecularibus ſeſe non immiſcendi negotiis, Luc. XXII. 26. Confuſio igitur in Eccleſia eſt, ſi perſonae ad Eccleſiaſtica munera vocatae ſecularibus ſeſe rebus (poſſeſſionibus, dominiis, iudiciis, bellis &c.) implicent: aut contra. Prioris confuſionis exemplum in Papatu omnes vident: vbi Eccleſiaſtici vtriusque gladii poteſtate arrepta, ſpiritualiter & ſeculariter dominantur. Poſterioris in reformatarum Eccleſiarum parte oculatiores: vbi gladii ſpiritualis poteſtatem Eccleſiae paſtoribus politici, nec eam exercere permittunt. Qua de re utile aliquid Eccleſiam Dei monendi, pientiſſimi Theologi *Oleuiani* obſeruatum dat occaſionem, abominatio autem illius rei, extremaque pernicies, non tacendi imponit neceſſitatem.

41. Oleuianus ita (ſupra Hiſt. pag. 39. §, 115.) *Cum triſtem faciem Eccleſiarum reformatarum in Germania intueor, totus bene cohorreſco. Video politias hoſpitia fuiſſe Eccleſiae, at iam multis in locis hoſpitia mutantur in dominia: vt libere in Eccleſias, adeoque illam coeleſtem doctrinam, dominentur*, &c. Quid hoc ſit, explicat *Ioan. Valentinus Andreae*, primarius Lutheranorum Theologus „(in augurali ſua Tubingae anno 1642. habita oratione) his verbis. Impo„tens Papa ſuper Caeſares, reges, omnemque magiſtratuum poteſtatem, „vſurpatum imperium (quod inſolito quidem, non tamen abſurdo nomi„ne, *Papa Caeſareatum* quis appellarit) diuino ſpiritu roboreque aggreſſus „Lutherus, iura dignitates, coronaſque cum ſceptris, libertati reſtituit, „reſtitutaſque verbi diuini auctoritate ſuffulciuit. Intellexit facile Satan, „quam immedicabile ſibi vulnus inflictum eſſet hac magiſtratuum libertate, „fundamentaque regni ſui labefactata. Itaque a vi ad artes & ſtratagemata „conuerſus, quod nemo id metuebat id tentans (indignum ſane tanti be„neficii pretium) pro *Papa-Caeſareatu* (inuerſa ſcena *Caeſareo-papatum* inſtitu„it, Eccleſiaeque Chriſti (vix dum Romanum carcerem egreſſae) obtruſit. „Quaeritis quid hoc verbi ſit? triſte profecto Eccleſiaeque progreſſibus no„xium: quod Conradi Schliſſelbergii (excellentis quondam noſtratis The„ologi) verbis, quam meis, explicare malo. Eſt, inquit, *Caeſareo papatus* „*confuſio Eccleſiaſticae & politicae poteſtatis, qua domini politici in aulis & ciuitatibus*,

Digitized by Google

bus, ſub praetextu cuſtodiae, vtriusque tabulae, rapiunt ſibi gladium ſpiritualem, "
ac ſe dominos ſupra eccleſiam & miniſterium verbi conſtituunt: praeſcribentes no- "
uas, periculoſas, ambiguas, & verbo Dei contrarias, formulas obligationis, ſeu "
notulas docendi, orandi, conciones diſponendi, magiſtratum venerandi, peccata & "
errores laxandi, ſacramenta & claues adminiſtrandi, ceremonias in templis ado- "
randi; ac penes ſe, & ſuos aulicos ac ſenatum, volunt eſſe ſupremam, & quaſi "
Dictatoriam poteſtatem cauſſas Eccleſiaſticas audiendi, cognoſcendi, diiudicandi; "
eligendique & vocandi miniſtros, atque abdicandi eoſdem, quos, & quando velint; "
Eccleſia ſiue conſentiente, ſiue diſſentiente. Omnia in eum finem, ne ipſi a ſpiritu "
Dei per fideles concionatores arguantur, & vt pax politica (iuxta eorum opinio- "
nem) *conſeruetur,* Haec Schlüſſelburgius."

42. Edidit vero *I. Valent. Andreae* peculiarem libellum, ſub titulo APAP (i. e. inuerſus PAPA) quo monſtri illius noui, *Caeſareo-papatus*, portentoſam abominationem, exitioſoſque affectus, deſcribit. Eſſe verſutiſſimum Diaboli ſtratagema, ex euangelii miniſtris ſibi fingere miniſtros ſtatus, & ſeruos Chriſti transformare in ſeruos hominum: circumiicereque Prophetis vincula, ad reddendum eos aut mutos, aut timidos, ne ſint viri obiurgantes; Ezech. III. 25. 26. Recte enim Chryſoſtomus: *hoc eſt enim malorum cauſſa, ſi Eccleſiae propoſitorum auctoritas periit, nullaque illis reuerentia, nullus honor, nullus metus, habetur*, Homil. II. in 2. ad Tim. Nempe cum magiſtratus argui non vult, neque volet populus: quia *regis ad exemplar ſemper componitur orbis.* Atque tum Eccleſia fit qualis fuit prophetarum tempore, effrenis, contumax, corripi impatiens: *nemo eos arguito, nemo increpato quenquam: nam populus hic ſimilis eſt contendenti cum ſacerdote*, inquit Deus, Oſeae IV. 4.

43. Vnde factum, vt iſtis in Eccleſiis (vbi *Caeſareo-papatus* dominatur) *altera clauium regni coelorum neglecta, ſpreta, amiſſa ſit.* Neſcieram ego id, teſtor omniſcium, nec ſcirem forte hactenus (quid aliena in domo fiat incurioſus) niſi id ante annos quatuordecim caſu innotuiſſet. Parcam nomini (loci & perſonae) rem recitabo paucis. Contigit in primaria Germanica vrbe primarium Eccleſiae paſtorem alloqui. Dixit is, dudum ſibi optatam occaſionem cognoſcendi, *vtrum libellus quem aliquando legiſſet*, ratio Diſciplinae ac Ordinis in Eccleſiis FF. Bohemorum, *veram contineret iſtius Eccleſiae hiſtoriam? an vero ideam ſolum, quomodo conſtituenda eſſet Eccleſia?* quaerebam *cur dubitaret?* reſpondit. Quia imaginari non poſſum aliquam exſtare nunc in orbe Eccleſiam. Reſpondi: hiſtoriam recitari, non figmentum. Veras fuiſſe leges, tametſi non ſatis obſeruatas: ideo nunc eleges coeleſti diſciplina caſtigari. Ille: *o vos beatos, qui vtramque habuiſtis clauem! nos alteram amiſimus, ligantem. Tales nos conſtituimur in domo Dei*

oeconomi, qui horrea, cellas, ciſtas, omniaque promptuaria, ſemper aperta relinquere, nunquam claudere, eoque ſancta dare canibus, margaritasque ante porcos proiicere, tenemur. Noui ego, inquiebat, *in coetu meo profaniſſimos homines, auaros, raptores, ebrioſos, adulteros qui ad confeſſionem & coenam accedunt, & a me abſoluuntur, cras in volutabrum certo reddituri ſuum.* Dixi. Non abſoluendi ſunt niſi emendationem promittant: reſpondit: *tentaui, non procedit. Diffamant me tanquam nouum Papiſtam, aut Caluiniſtam. Amareſcit mihi vita*, &c. coepitque ſuſpirare ac lacrymari.

44. Hiſtoriam recito, in veraciſſimi Dei conſpectu: ſi forte vel ſic enormitas & pernicies, aeque *Caeſareo papatus* atque *papa Caeſareatus*, agnoſci poſſit. Æque enim hic atque illic ordo Eccleſiae fundi⟨t⟩us conuellitur, perque ataxiam talem & peccata & poenae cumulantur. Nonne euangelicorum ille *Caeſareo-papatus* ſimilitudinem habet Michae illius Ephrateniſis, Deum nouum ſibi quem domi ſuae haberet, & ſacerdotem qui ad praeſcriptum ſeruiret, fingentis? Iudic. XVII. Annon Ieroboami politicam prudentiam, vitulos ſibi Deos, vitulinosque ſacerdotes miniſtros (quia ſic ratio-ſtatus ſuadebat) architectantis, repraeſentat? attendite obſecro antiqui & noui Eccleſiarum informatores, totque diuerſis (contrariis etiam) modis reformatores & transformatores Deus non irridetur: quod quis ſeminauerit, hoc & metet. *Aaron ſacerdos* cum *Maria prophetiſſa*, excutere tentarunt *Moſis principis* auctoritatem: punitique ſunt a Deo lepra, Num. XVII. 10. 11. Rex Vſias contra, ſpreta ſacerdorum auctoritate munia eorum vſurpauit: punitus & ipſe lepra, 2. Chron. XXVI. 16. Nunc ergo dum apud Chriſtianos vtrumque hoc peccatum peccatur, mirumne, ſi ſpirituali lepra aliisque plagis hi & illi afficiantnr? Vtinam Romanus Aaron cum ſua Maria (Canoniſtis ſuis) erratum agnoſcens reddat Caeſari quod Caeſaris eſt: contentus eo quod ſibi eſt aſſignatum, ſpirituali ouium Chriſti cura, Ioh. XXI. 15. Quod ſolatium pro Caeſareo papanis non exſtat. Scriptum enim eſt: *fuitque Vſias rex leproſus vsque ad diem mortis ſuae*, 2. Chron. XXVI. Vtinam ergo ſaltem cum Vſia feſtinent templo egredi! v. 15. h. e. Eccleſiae diuinitus datam, humano vero errore (& Satanica fraude) ablatam, clauium coeleſtis regni poteſtatem, reſtituere! prorſus reſipiſcendi, luxatumque Eccleſiae ordinem reparandi tempus eſt.

45. Venio ad DISCIPLINAM, tanquam Eccleſiae in vnitate ac ordine continendae diuinitus datum medium, ligamen, vinculum. Appellauit hanc Chriſtus *ſalem*, Marc IX. 50. quia ſal putredini obſtat, alimentisque ſaporem & ſalubritatem conciliat: ita diſciplina morum corruptioni medetur, facitque vt cum timore ac tremore ſalutem operando noſtram, ſollicite nos intra officii metas contineamus. Non fruſtra autem dixit Dominus:

omnis

Digitized by Google

omnis homo igne ſalietur, *& omnis victima ſale ſalietur*, v. 49. ſed ad diſciplinae in omnem hominem, qui ſe in victimam offert Deo extendendae neceſſitatem agnoſcendum. Quia ſeuerum Dei mandatum eſt, Leuitici II. 13. *Quicquid Domino obtuleris ſale condies*, *nec auferes ſal foederis Dei a munere tuo. In omni oblatione offeres ſal.* Quod vtinam *Caeſareo-papani* illi, qui Eccleſias ſuas ſine omni diſciplina, victimasque ſuas (ſeipſos) ſine omni ſale, eſſe volunt, recogitent! quam inuito Deo ſe omni diſciplinae eximendo, periculoſam animae affectent licentiam!

46. *Qui autem diſciplinam adminiſtrabit? quis ſaltem hunc ſuper victimas Dei* (omnes Deo conſecratas animas) *ſparget?* reſpondet Chriſtus ad apoſtolos, *vos eſtis ſal terrae*, Matth. V. 13. Ergo apoſtolorum in officio ſucceſſores, Eccleſiae paſtores. Ergo qui his Eccleſiaſticam diſciplinam manibus excutiunt, ſalem eos ſine ſalſedine eſſe volunt. Quo animae ſuae vſu? eodem quo ſibi a locis ſuis dapes inſulſas praeberi vellent. Quid eſt decipere ſeipſum, ſi hoc non eſt? ſuauia malle quam ſalubria. Sed & attendant! Chriſtus poſtquam dixiſſet, *vos eſtis ſal terrae*: addit immediate, *quod ſi ſal euanuerit* (infatuatus erit, ſalſedinem amiſerit) *quonam ſalietur? ad nihil valet, niſi vt foras eiiciatur, conculcetur.* Cogitate quaeſo, qui veſtrum ſal (apoſtolos veſtros) ſine ſale eſſe vultis, quales eos (quantum in vobis) in conſpectu Dei faciatis. O quam haec expendenda ſunt!

47. *Conceſſa vero diſciplinae in Eccleſia neceſſitate, qualis illa optanda?* reſpond. Qualem inſtituit Chriſtus, & vſurparunt apoſtoli: *vigilans*, *ſeuera*, *tota ſpiritualis & ſalutaris vigilans*; in omnes exorbitantes extendenda, pro delicti tamen gradu, Matth. XVIII. 15. *ſeuera*, ſine proſopolepſia in cariſſimos etiam, aut qui primaria Eccleſiae membra, maximeque neceſſaria videantur, exercenda. De quo memorabiliſſima eſt diſpoſitio Chriſti, quomodo nemini ſcandalorum cauſſam obiicienti parcendum ſit. Siue quis tibi ſit, vt *manus tua* (inquit ad Eccleſiam) actiones tuas omnes dirigens ac gubernans (vt *preſbyter* ipſe, *Epiſcopus, pontifex*) ſiue vt *pes tuus* te baiulans (vt *magiſtratus* aliique *potentes*) ſiue vt *oculus*, tibi lumina miniſtrans (vt quicunque ſubtiliſſimi doctores) *amputa illam & iſtum*, *& erue hunc*, *inquit. Quia melius eſt tibi manco*, *claudo*, *luſco*, *ad vitam conſeruari*, *quam plus membris interire*, v. 8. 9. Melius ergo etiam Eccleſiae, diſciplinae vigore ac rigore a ſcandalis ſeſe praeſeruanti, exilem, obſcuram, mutilamque eſſe, quam cum toleratis peccatorum ſcandalis ad quamcunque amplitudinem, opes, honores, ſplendoremque mundo conſpicuum, ſe promouere. *Tandem diſciplina Eccleſiae debet eſſe proportionata regno Chriſti, quod totum eſt ſpirituale.* Ergo *probra*, *proſcriptiones*, *multae pecuniariae*, *carceres*, *cippi*, *ſupplicia* (quae ſunt ciuilis poenae ſpecies) non ſunt arma militiae noſtrae: ſed *commone-*

factio, confuſio, terror, tandemque iudicio diuino, exequutorique huius Satanae, traditio. Omnia tamen haec non niſi *ſancta intentione*: vt reliqui in Eccleſia metuant, 1. Tim. V. 20. ipſi vero peccantes ipſo terrore ex flammis peccatorum & mortis) expiantur, Iud. v. 23.

48. Reſtat, *quomodo Eccleſiae corpus* (bene coadunatum, bene ordinatum, beneque attentionis vinculis colligatum) *ſpiritu inſuper Chriſti implendum ſit totum.* Hoc enim aliud quid, & ab iſtis diuerſum, eſt: quia & philoſophicum aliquod *collegium*, & *reſpublica* politica (Spartana vel alia, etiam formicarum vel apum) & Phariſaeorum *ſynagoga*, eſſe poteſt bene vnitus, ordinatus, colligatusque coetus, nondum tamen erit corpus Chriſti, Eccleſia, ſpiritu eius deſtitutus. Nam *ſi quis ſpiritum Chriſti non habet, is non eſt eius*, Rom. VIII. 9. Quid ergo eſt *ſpiritus Chriſti*? Spiritus vitae Dei, homines in Adamo mortuos viuificans, 1. Cor. XV. 4. 5. id eſt a Deo auerſos Deo obuertens, e transgreſſoribus legis obedientes legi, e ferocibus mites, humiles, patientes; verbo nouos homines, a Satana, mundo, carne, alienatos, ſeque ſoli Deo ad faciendum & patiendum omnem eius voluntatem offerentes, faciens. Hoc nimirum eſt quod Chriſtus dixit: *ſi quis poſt me venire vult, abneget ſeipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, Matth. XVI. 24. Atque id ſi quis non poteſt, aut vult, negat ſuum diſcipulum fieri poſſe, Luc. XIV. 26. 33.

49. *Haec myſteria Chriſtianiſmi quia vulgo non docentur, aut negligenter fit, vt, quid ſit eſſe Chriſtianum, plerique Chriſtiani ignorent, nedum vt ſint.* Adam, regit omnes, Chriſtus paucos: qui veterem hominem exuere, nouum (ſecundum Deum creatum) induere, & in eum transformari, vnusque cum illo ſpiritus fieri, & non peccare ſicuti ille non peccat, pauci laborant. Cum tamen *ſalutifera illa in Chriſto gratia Dei ideo illuxit, vt abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus, temperanter, iuſte, pieque viuamus in praeſenti ſeculo: expectantes beatam illam ſpem gloriae in aduentu Ieſu Chriſti, qui dedit* ſemetipſum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibi populum peculiarem, accenſum ſtudio bonorum operum, Tit. II Chriſtiani ergo vt tandem ſerio incipiant eſſe populus abnegatus mundo, reſignatus Deo, terram quidem adhuc inhabitans, ſed in coelo conuerſationem habens, Phil. III. 20. optandum & ſerio conandum eſt,

50. Ita circa Eccleſiae ſalutem deſideria mea (imo Chriſti & omnium ſanctorum, coeli & terrae) expoſui (a §. 30. hucusque.) Iam quia effectus ſine efficiente non datur; Deusque quod ordinarie agit, per ordinaria agit media, homines: quaero nunc, ſi videamus Deum hodie circumſpectare virum, qui obducat ſepem, conſiſtatque in irruptione, reperturusne aliquem eſſet? an vero nemine reperto furoris effuſurus ignem? ſicut olim

Ezech

Ezech. XXII. 30.31. vel ſi dicentem audiamus, *quem mittam? quis nobis ibit?* nullus ne reperietur Ieſaias qui dicat, *ecce ego, me mitte!* Ieſ. VI. 8. Miſerere Deus, & mitte aliquos! non *Ieſaias* tantum, in teſtimonium tantum, & obdurationem, & ad interitum, loquutores, ibid. v. 9. &c. ſed potius *Elias*, qui cor patrum conuertat ad filios, &c. Matth. IV. 4. excita & *Dauides*, *Salamones*, *Ioſaphatos*, *Ioſias*, *Zorobabeles*, *Conſtantinos*, &c. prolapſarum in Eccleſia tua rerum reparatores glorioſos!

51. Quos vbi gentium excitare dignabitur Deus, dignabuntur illi rurſum iſthoc honore Deum, vt nihil niſi ad eius praeſcriptum faciant: quia non humanum opus eſt, humano tractandum arbitrio, ſed illius qui ad Moſen dixit: *inſpice, & fac ſecundum exemplar monſtratum tibi*, Ex. XXV. 40. et ad Ioſuam: *ne declines ad dextram vel ſiniſtram*, Ioſ. I 7. vt ergo certi eſſe queant, fideliſque cum illis populus *Dominum ipſum reparare domum ſuam*, aeternae regulae loco habebunt illud Domini, *ab initio non fuit ſic*, Matth. XIX. 8. Hoc eſt, *quicquid non eſt diuinae inſtitutionis, ſed illi contrarium, tolli curabunt*, Matth. XV. 13. & quicquid inſtitutum diuinitus, per humanam vero incuriam neglectum, aut fraude interuerſum fuiſſe apparebit, reſtitui, Matth. V. 17. &c. *Res mediae medioſe habent modo*: h. e. quae conſuetudo ſola inuexit, pietati innoxia, aut placide tolerabunt, aut non niſi neceſſitate cogente tollent.

52. Alterum erit probe obſeruandum, *vt ne quid per tumultum, aut vim* (inuita Eccleſia, aut aliqua eius parte, *fiat*, ſed communi conſilio & conſenſu: vt ne nouae rupturae occaſio detur. Sapiens eſt ſapientis Elihu conſilium: *Iudicium eligamus nobis, & inter nos quid ſit melius videamus*, Iob. XXXIV. 4. Patet enim inde, 1. Fieri non poſſe quia homines aliquando diſſentiant. 2. Diſſentire tamen non ſemper eſſe neceſſe, cum hominibus res diiudicandi datum ſit arbitrium. 3. Diiudicationem vero illam fieri poſſe, ac debere, placide, disquiſitione rationali. *Optimum ergo fuerit lite orta* (ſunt autem tot inter nos ortae) *partes conuocari, placide audiri, rationes rationibus* (ſcripturasque ſcripturis) *conferri, donec ad rei fundum veniendo nemini quod merito deſideret, aut eum ratione opponat, reſtet.*

53. Coepi ego antea (§. 35.) vt maior aliqua & illuſtrior Eccleſia negotium hoc (plenioris & ſanctioris quam hucusque reformationis) in ſancto Dei nomine tentare vellet, optare: nec deſino, quia initium vbi vbi faciendum eſt, ſi Chriſtianiſmi in melius mutatio ſperanda. Nunc quia *nullam ſub caelo Eccleſiam videre eſt, cui plures oculi obuerſi, pluraque ad rem tantam ſuppetant media, & vbi pertinacior optima quaerendi conatus magis vigeat, occaſionesque tam illuſtres offerat Deus, atque in Eccleſia Anglicana:* Te alloquar ſponſa Chriſti, Tuisque profectibus felices apprecabor ſucceſſus.

54. *Tu Anglicana Eccleſia reuera noſtro aeuo es ciuitas ſupra montem poſita, quae occultari non poteſt*, Matt.V.14.*quod quam lux mundi Chriſtus fulgentiſſime radiat;& in qua tot accenſae lucernae* (profunda ſpirituali ſapientia libri)*candelabris exponuntur, vt veſtro de lumine tot Chriſtianae gentes lumen mutuentur, libros veſtros legendo, certatimque ſuas in linguas transferendo.* Vt quod de Theſſalonicenſibus ſuis ſuo tempore dixit Apoſtolus, de vobis dici poſſit, *Euangelium Dei apud vos eſſe non in ſermone tantum, ſed & in virtute, & in ſpiritu ſancto, & in plenitudine multa, vosque factos eſſe exemplaria omnibus credentibus*, 1. Theſſ. I. 5. 7. Quam gratiam vobis non inuidere, ſed augmenta in ea optare, pietatisque zelum imitari, conuenit.

55. *Media perfectioris reformationis vobis prae aliis ſuppetere, dixi:* quia inſtitutis apud vos integro iam ſeculo de omnibus myſteriis regni Dei meditationibus, editisque de omnigenis materiis libris, id egiſſe videmini, quod Salomo, exſtructurus glorioſum Deo templum, primo ſexennio egit: conquirendo materiarum apparatum, deſecandoque ligna in Libano, & conquadrando lapides, & fundendo vaſa in terra argilloſa, comportando denique aurum & gemmas, pro ſplendore domus Dei. Quemadmodum ergo tunc vltima compoſitio difficilis non fuit Salomoni, poſt elaborata prius particulatim omnia, ita nec vobis eſſe poterit: in tanta praeſertim operationum copia, ingenioſiſſimo quoque induſtriam huc ſuam conferente,

56. Nam quemadmodum ibi tot milleni erant alacres operarii, & inter eos ſolertiſſimi artifices, qui ſub ſapiente Salomonis directione (certando quaſi aemula diligentia) perficere feſtinabant omnia: ita in veſtris ſanctam illam aemulationem integro illo ſeculo (durante licet de regiminis Eccleſiae forma diſſidio) videre eſt. Vbi tum ab aliquibus reuerendis Epiſcopis (Iuuello Andrews, Hallo, Vsherio, &c.) tum ab aliis ſapientibus & piis viris ex iis qui repurgatior a ſuperſtitionibus pars videri & eſſe ſtuduerunt, tot amuſſitata opera concinnata ſunt, vt ſtatuendum exiſtimem, ideo coeleſtem Salomonem has inter operarios ſuos permiſiſſe, integroq; ſeculo toleraſſe contradictiones, vt per mutuam aemulationem omnia vtrinque tanto exquiſitiora fierent. Ecquid igitur reſtat, niſi vt idem conatus ad elaborata per partes integre iam componendum, aequali vtrinque zelo extendatur?

57. Quo & occaſiones ipſae, quales toto illo ſeculo non habuiſtis, nec adhuc vlla Chriſtiana gens habet, inuitant. Tranquillato enim iam apud vos turbulento nuper rerum ſtatu, reductisque halcyoniis, & reddito reipublicae glorioſo capite ſuo, & in communem ſalutem communiter conſpirantibus patriae patribus, ipſoque feruentibus votis cooperante populo,

Digitized by Google

pulo, & bene vndique vicinis apprecantibus: annon coeleſtis ſponſus ſuam apud vos ſponſam alloqui credendus eſt? *Iam hiems tranſiit, imber abiit & receſſit. Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra. Surge amica mea, formoſa mea, veni.* Cant. II. 11. In veritate Salomonea vobis oriri videntur tempora; vbi non tantum ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, ſedere licebit vnicuique, ſed & domus Dei aedificabitur, paratis iam eo requiſitis omnibus: modo vt ſapientiae & zeli Spiritu ad plenum impleat Salomonem veſtrum Deus, orare ne intermittite!

58. Faxit vero Deus, vt elaborata hactenus opera veſtra ad imitationem Salomonicorum operariorum componatis, *ſine malleorum & ſecurium ſtrepitu*, 1. Reg. VI. 7. hoc eſt ſine iurgiis ſine violentiis, ſineque aſtutis mutuis circumuentionibus, placide, candide, proſpere. Sed & hoc vos Salomonica ſapientia, circa ſtructuram veſtram, monebit: vt *fundamenta & parietes non niſi e materiis ſolidisſimis, marmore, ſtruantur*, ibid. v. 7. *Tabulataque cedrina ſuperaddantur*, v. 10. *Omnia denique contegantur auro*, v. 22. Hoc eſt, quicquid conſtituetis (a fundamentis ad faſtigia vsque) operam debitis vt ſit *adamantinum*, ex immota rupe verbi Dei exciſum. Aut ſi quid humanae ratiocinationis accedet, *nonniſi cedrinum ſit*: rectum, planum, odoriferum, incorruptibile, ex communibus principiis deſumptum. Demum, purae *caritatis auro* ita contegantur omnia, vt ſe communi communis aedificationis ſcopo euidenter commendent omnia.

59. Et quia *Salomonem auri & gemmarum fuiſſe ſtudioſum ſcriptura memorat*, 1. Reg. X. 10. 11. etiam hoc noſtrum in vſum transferendum erit: vt quicquid inter ſpiritualia etiam bona & dona rarum, pretioſumque eſſe voluit Deus, noſtrum fieri optemus. Quod nos ipſe coeleſtis Salomon illa apud Mattheum XIII. 45. 46. parabola docuit: *ſimile eſt regnum coelorum negotiatori, quaerenti pulcras margaritas: inuenta autem pretioſa quadam margarita, abiit, vendidit omnia quae habuit, & emit eam.* Tales negotiatores fuerunt ante duo ſecula maiores mei, e ſcripturarum S. fodinis, & ex omni antiquitate, omnibusque ſui aeui Eccleſiis, pretioſa quaeque colligentes: vt ex hiſtoria patet. Tales & ſuperiori ſeculo viri deſideriorum, *Bucerus*, *Zanchius*, *Vergerius*, &c. quia omnia itidem perquirentes, apud noſtros quasdam ſingulares inueniſſe margaritas teſtati ſunt. Tales & vos gemmarii, Dei dono, hucusque fuiſtis, pretioſiſſimarumque gemmarum theſauros comportaſtis: in quibus exultatis, multique vobiſcum. Sed quia Saluator dicit, *habenti dabitur*: confidite vobis tanta habentibus plura iri additum, ſi gnaui negotiatores eſſe perrexeritis.

60.

Digitized by Google

60. Gemma quidem pretioſiſſima, coelo & terra praeualens, vnica eſt, IESVS CHRISTVS mundi SALVATOR: ſed ſunt particulares quoque gemmæ, variæ Chriſti gratiæ. Quarum forte ſummam per VRIM & THVMMIM repraeſentare voluit Deus: quæ quid proprie fuerint, ignorant hodie Iudaei & nos cum illis, quia cum templo primo amiſſa fuerunt. Significationis tamen vocum non ignari, quid in Eccleſia noua per id intellectum voluerit Deus, intelligere nos ſperamus. Nempe LVCEM & INTEGRITATEM, ſeu PERFECTIONEM: dicente Chriſto, *ſic luceat lux veſtra*, &c. Item: *Eſtote perfecti ſicut pater veſter in coelis*, Matth. V. 16, 48.

61. Et vos quidem, cariſſimi, inueniſtis dono Dei praefulgidum VRIM: vt lucem veſtram videam, in eaque exultari tot gentium Eccleſiae. Noſtri vero maiores non eo lucis promoti fuerunt, fatendum eſt, plus de THVMMIM ſoliciti: quomodo ſcilicet in conſpectu Dei ambulare poſſent (cum Abrahamo) *integre*, quanta vsque in hac vita licet *perfectione*. Teſtatique ſunt alii ſancti negotiatiores, perfectius apud eos quam alibi (ſuo aeuo) THVMMIM, hoc eſt, *ad perfectionem in Chriſto homines deducendi regulam, reperiſſe*. Quid illorum iudicia aſpernari, non etiam ibidem ruſpando, ſiue gemmam ſiue granum aliquod quaerere, opus eſt? *annitimini, ſancti fratres, & doctrinae lucem, & directionis canonem ac normam, habere perfectisſima*, vt vos & veſtra in exemplar habere poſſint Eccleſiae. Cedet id gloriae Dei, veſtro autem honori in die Chriſti.

62. Commendo vobis ſpecialiter nitidam D. Oleuiani gemmam, ex praemiſſa Hiſt. 115. *Monet me non parum & collegas meos* (inquit) *vltima huius ſeculi corruptio, vt de optima Eccleſiae gubernatione vobiſcum conferamus.* CVPIMVS enim ITA AEDIFICARE, vt AEDIFICIVM AD POSTERITATEM SIT STABILE. *Videmus autem quanta ſit varietas, quamque ſubitae mutationes, in iis Eccleſiis, quae iure veluti ſuo exutae ſimpliciter a politiis pendent. Hiſce malis niſi mature occuratur, ſentient multi pii ſe (ſaltem magna ex parte) in vanum cucurriſſe.* Et quae ibi plura aurea dicta, & legi & expendi digniſſima, ſequuntur.

63. Vos etiam hic margaritas aliquot notate pulcras. 1. *Primo ſcopum* veſtrae quoque nunc ſeu *reformationis*, ſeu *conformationis*, *habere fixum:* vt ad poſteritatem ſtabile ſit opus veſtrum. 2. Terreat vox; *quanta ſit varietas quamque ſubitae mutationes, ſi Eccleſiae iure ſuo exuantur.* 3. *Hiſce malis niſi occurratur mature* (ſicut in Germania occurſum non eſt) ſentient pii, &c. Ah ſentiunt! Senſitque viuus adhuc Lutherus, conquerens homines ſub euangelio peiores quam ſub papatu factos: ac ſi ſpiritus immundus, aſſumptis aliis ſeptem ſe nequioribus, reuerſus eſſet, &c. Quomodo autem aliter potuit, nullis cuſtodiae cauſſa adhibitis ordinis & diſciplinae cancellis?

Digitized by Google

cellis? clauiumque Chriſti magis noxia, quam in Papatu Euchariſtiae mutilatione? 4. *Qua in re quae dominus vobis conceſſit agnoſcimus, pleniusque agnoſcere cupimus, &c. Tantis in rebus conſilia non praecipitanda vtique ſed exquiſite conferenda, deusque in auxilia (ardentibus ac vlla in re) coelo deuocandus.*

64. Quod quaeſtionem apud vos praecipue controuerſam, *de optima Eccleſiae gubernandae forma*, concernit, nihil amplius dicam, poſtquam in tractatu *DE INDEPENDENTIA*, qnidquid ad pacem hic etiam dici poſſe putaui dixi. Hoc tantum. Etiam hic auream Chriſti regulam, *de reformanda prius vita quam fide, aut externis ritibus*, Ioh. VII. 17. aureum habituram vſum. Quia quisquis non ſe & ſua quaerit, ſed Chriſtum ſolum, & in eo ſalutem ſuam & alienam, facillime quid huc magis aut minus ſeruiat, peruidebit: docente illum intus vnctione illa, quam a ſancto habet, 1. Ioh. II. 20. 27.

65. Quaero tamen, *annon, ſi ciuilis ſocietas recte alicubi regimine monarchico* (vbi populus ſalutem ſuam vni alicui potentiſſimo, & ſapientiſſimo, committit) alicubi *Ariſtocratico* (vbi aliquam multis e medio ſui, potentibus & ſapientibus) alicubi *Democratico* (vbi ſeipſum populus per vices regit) *continetur, etiam ſocietas religioſa poſſit ſimiliter*? Hoc eſt, annon aeque tolerari poſſit epiſcopale regimen, vbi inualuit; atque *conſiſtoriale*, vbi obtinet, & *presbyteriale* ſeu *claſſicale*, vbi in vſu eſt? *videtur.* Habent enim ſingula aliquid boni, quod rei publicae ſalutem continet, modo abuſus prohibeatur. E.gr. *Monarchia bonum eſt vnitiua*, conſiliorū multitudinem temere dilabi prohibens. *Democratiae bonum eſt vis diffuſiua*, in diſpenſatione comunis ſalutis nullum facile praeteriri membrum permittens. *Ariſtocratiae bonum eſt vis collectiua*, ſuperiora inferioribus, & inferiora ſuperioribus, connectens: & vt multa ſe contineant ſub vno, vnum autem ſe diffundat in multa, efficiens. Hinc gentibus aliis haec, aliis iſta vel illa forma, magis placuit, & adhuc. Stantque ſua ſe gubernandi forma hi, iſti, illi: quod argumento eſt, ſingulis ineſſe ſuum robur, ad ſocietatem humanam ſuis vinculis continendum. Niſi quod (abuſu admiſſo) *Monarchia facile degenerat in tyrannidem, Ariſtocratia in oligarchiam, Democratia in anarchiam*, omni tyrannide peiorem.

66. An vero trium iſtorum regiminum non poſſit dari *temperatura? pro augendo bono, & minuendo malo?* videtur poſſe, per Chriſti regulam: *hoc facite; illud ne omittite.* Et Apoſtolicam illam: *omnia probate, quod bonum eſt retinete.* Retinendo nimirum ex ſingulis iſtis regiminibus quod exquiſite bonum eſt: *vt ex trino bono conſiat vnum optimum.* (Ex Monarchico, & Epiſcopali,) *vim vnitiuam*; ex ariſtocratico & conſiſtoriali, *vim collectiuam*, & ex democratico ſeu presbyteriali, *vim diffuſiuam.* Talis temperaturae fuit *reſpublica Spartanorum*; regem habens vnum, ſed cui additi erant ephori, actionum inſpectores; hos autem eligendi poteſtas penes plebem fuit. Sic *in Romano*

imperio, cum firmiſſime ſtaret, poteſtas & robur penes populum fuit: conſilium, penes ſenatum: exequutio penes conſules duos. Similis ſapiens temperatura hodieque ſpectatur in rep. Veneta,& regnis quibusdam, *Angliae* praeſertim & *Poloniae*. Adeſt *rex*, pro maieſtate: adeſt tamen ſimul *ſenatus*, ex optimatibus collectus: adeſt & ipſa *reſpublica* per legatos, de ſe ſine ſe nihil ſtatui permittens. Id quod ad ſtabilitatem optimum videtur, adverſus abuſus remedia ſemper in promptu habens. *In Eccleſiaſticis vero annon talem temperaturam videre eſt ſub apoſtolis*? Vbi negotia tractabant, controuerſiasque decidebant 1. *Apoſtoli*, 2. *Seniores*, 3. *Eccleſia* (Act. XV.22.) Noſtro autem aeuo vbi euidentius atque *in Eccleſiis Bohemicis fraternae vnitatis*? *ſub epiſcopis, conſiſtorio, ſynodis*? iudicent Eccleſiae.

67. Quaeritur etiam, *an incommoda & pericula illa, quae huic, iſti, illi regimine ſubeſſe deprehenduntur, eoque abuſus & ſcandala, tolli poſſint*? Reſp. Morbos corporis nullos eſſe incurabiles, ſi peritus medicus ſubueniat mature, ſperant phyſici: nec ergo deſperent in Eccleſiae morbis Chriſtiani, ſi modo coeleſtis archiatri audiantur conſilia. Illi habent cautionem, ne morbus inueteraſcere ſinatur: *principiis obſta!* noſter inueteratos etiam curare potens eſt, ſed *reuocando ad principia*, Matth. XIX. 8. Cuius regulae vi ſi ab epiſcopatu tollatur: quod a principio non fuit, curatus erit morbus. Ecquidnam iſtuc? I. *Secularis dominatus.* II. *Opes terrenae.* III. *Pompae ceremoniarum.* Chriſtus enim dixit: I. *Reges dominantur, vos autem non ſic.* Luc. XXII. v. 25. II. *Nolite poſſidere aurum vel argentum, neque pecuniam in zonis, neque duas tunicas*, Matth. X. 9. ſicut & veteris teſtamenti ſacerdotibus terrenas poſſeſſiones dari prohibuerat Deus: addita cauſſa, *ego pars & hereditas illorum*, Num. XVIII. 20. Deut. X. 9. & XVIII. 2. III. Docuit item Chriſtus *in ſpiritu & veritate ſeruire Deo, non in ceremoniis*, Ioh. IV. 23. quod vehementer vrſerunt Apoſtoli.

68. *Sed tuentur ſe* (ratione opum & dominiorum) *donatione Conſtantini*, qui tanto hoc ſplendore Eccleſiam in honorem Chriſti ornauit, ſanctoque zelo aliis chriſtianis regibus præiuit. At vero multiplex eſt reſponſio. *Primum*, ſciuntne narrare hiſtoriam, vocem fuiſſe auditam, *hodie venenum infuſum eſt in Eccleſiam*? quicquid de voce quis dicat res certa eſt, dona illa (praeter voluntatem Dei data & accepta) in venenum abiiſſe. Tollatur ergo venenum, & conſaneſcet Eccleſia. *Deinde*, demus Conſtantini Zelum fuiſſe pium, patet tamen ſine ſcientia fuiſſe. Diſpenſare enim contra interdictum Dei non ei licuit: multo minus decuit ſeruos Chriſti talia, Domino inuito, admittere. Etiam *Naman Syrus* pio zelo argentum offerebat *Eliſaeo*: ſed meliore zelo ille hanc ſarcinam non admiſit. Admiſit *Giezi*: ſed argentum illi verſum eſt in lepram, 2. Reg. V. Vtinam hodie agnoſcant

gnoſcant ſerui, non Eliſaei ſed Chriſti, quam ſtulte coeleſtis hereditatis loco terrenam elegerint! incipiantque operam dare vt lepra haec tollatur ab Eccleſia! *Tertio*, reſpondeo, Conſtantinus donationis ſuae abuſum Eccleſiaeque per id perniciem, praeuidere non potuit, nunc videt mundus. Si reſurgeret ille ac videret indubie lubentius data retraheret quam dedit, Eccleſiam integritati ſuae reſtituendi deſiderio. Sicut & Moſes forte confregiſſet ſerpentem aeneum ipſe, abuſum videns (quomodo tabulas legis digito Dei ſcriptas confregerat, idololatriam videns.) Quod quia ipſius loco pie fecit Ezechias, 2. Reg. XVIII. 4. quid ni hodie pii Reges piorum maiorum abominabiles in abuſus verſam liberalitatem pie quoque retrahant, & in meliores vſus transferant?

69. Quantum *ad ceremoniarum eccleſiaſticarum pompam*, illam quidem in veteri cultu ordinauerat Deus, ſpiritualia ſalutis myſteria (quae aduentu ſuo Chriſtus eſſet retecturus) adumbrans. Sed quae poſt exhibitum Chriſtum tot apoſtolicis aduerſus illas fulminationibus diſiectae ſunt: cur ergo retrahuntur? ſub Papatu forte, poſt obſcuratam barbaris illis ſeculis euangelii lucem, aliquem habere vſum videri poterant: in Eccleſia reformata quem obſecro habere poſſunt? annon retentas in Anglia (ſub epiſcopis reformatis) ipſi pontificii rident? videre illud eſt in *Eduardi Weſtoni* theatro vitae ciuilis & ſacrae (excuſo Antuerpiae 1626.) pag. 564. & ſeqq. Vbi (poſtquam dixerat *proteſtantium religionem carere religione, eo quod ſacrificio caret, & ſacerdotio, & ceremoniis ſacris*) addit: “Alii proteſtantes, ne prorſus impii videantur noſtris *miſſali ac breuiario* cum ſuo delectu vtuntur. Et quo religionis apud eos forma celebrior appareat, adhibent *canonicos* etiam, ſi diis placet, & *archidiaconos*: adeoque de more Eccleſiae Romanae eorum *cappas, pluuialia & eiuſmodi ſuppellectilem, quam dicunt inueniſſe in ſynagoga antichriſti.* Quo ipſo liquet religionem proteſtantium inprimis furto noxiam &c. *Vel ſi fures haberi recuſant, maneant ſimia noſtrae & antichriſti* &c. Pergit: *Ridentur hi cum omni ſua ſcena non a noſtris modo, verum & a ſuis* &c. Tandem cuiusdam iudicium apponit tale: *videntur Angli papam e ſuo regno fugaſſe adeo feſtine, vt eum coëgerint veſtes a tergo relinquere: quibus iſti, quantum ritu, choros ducentes, induuntur perſonati. Ecce quam colludendo iſtis ludimur, non ſatis reformati reformati!*

70. Glorioſiſſimum itaq; fuerit reformatis epiſcopis, in Chriſti & apoſtolorum redire veſtigia: relictisque terrenarum opum, honorum, pomparum (tam religioſarum quam politicarum) crepundiis, ſublimiora meditari, quaerere, agere. *Superna quaerite* (inquit Apoſtolus) *vbi Chriſtus eſt ad dextram Dei ſedens. Superna curate, non terreſtria. Nam mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*, Col. III. 1. 2. 3. Quod ſi omnibus Chri-

ſtianis mandatur, quanto magis illis, qui proximi Chriſto a terrenis ad coeleſtia cæteris duces conſtituuntur? & quibus rex regum dixit: *mihi data eſt omnis poteſtas in coelo & terra ite.* (μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη) *facite mihi diſcipulos OMNES GENTES* Matth. XXVIII. hoc eſt promouete regnum meum, tum externa praedicatione ad gentes vniuerſas, tum interna vi ſpiritus ad diſcendum a me vitam meam, non terrenam, ſed coeleſtem. *O quanta haec, ſi eminentiam veſtram ſupra omnia terrena aeſtimare ſciatis.* Sed eheu! eminentiſſimi epiſcoporum hodie circa prima Apoſtolorum rudimenta haerent; ad vltimam apoſtolicam perfectionem aſpirant! *Quae illa prima ruditas?* ſomniare terrena cum Chriſto regna, & thronos, ſeſſionesque ad dextram & ſiniſtram. *Quae vltima perfectio?* habere omnia hic pro ſtercoribus, prae eminentia Chriſti: omniaque mundana a tergo relinquendo contendere ad praemia ſupernae vocationis, Phil. III. eoque gloriari ſpe futurae gloriae & gloriari afflictione, cruce, martyriis, &c.

71. Ponerem hic calamum, niſi tuber hoc eccleſiae (ipſa diuturnitate valde induratum) iteratis emplaſtris molliendum videretur. Accipiatur id quomodocunque: ego meliorum deſiderium in conſpectu Eccleſiae pono. Meliora vero ſunt quae facit & ordinat Deus, quam quae homines: quia *Dei opera ſunt perfecta*, Deut. XXXII. 4. *quod ille ſtatuit ſempiternum eſt, quod decreuit nemo transgrediatur*, Pſalm. CXLVIII. 6. Ecce autem quoscunque hominum Deus caeteris ad coelos deſtinat duces, eos terrenis curis prorſus exemtos velle prorſus oſtendit, ſub vtroque foedere. Per Moſen primum, populo Iſrael ſeuere *ne illis hereditatem inter ſe darent* interdicens: ipſis vero ſacerdotibus, *ne vllam terrenam poſſesſionem admitterent*, edicens, Num. XLVIII. 20.

72. Idem fecit Chriſtus. Quos ſibi ad gentes legatos eligebat, eos retia, telonia, & quaecunque lucri aucupia, deſerere cogebat. Quin & ipſe legationem ad genus humanum obiturus, coeleſtes diuitias, honores, thronos, ſepoſuit (vt iſta eſſe incompetibilia doceret) pauper, contemtibilis, humilisque factus, non habens in terra vbi caput reclinaret. Nempe implendus erat *Dauidis* typus, qui de Goliathe triumphare non ſperabat, niſi regiis depoſitis armis paſtoralem indueret habitum: & *Gedeonis*, cui Madianitas diſſipaturo dimittendae fuerunt armatae copiae, ſolae reſeruandae faces & buccinae. Atque tum ſicut Gedeon ad ſuos dixit, *quomodo ego faciam, facite*, Iud. VII. 17. ita Chriſtus ad ſuos, *exemplum vobis dedi, vt ſicut ego feci faciatis*, Ioan. XIII. 15. Cur non imitamur, ſi nos coeleſtis huius legati ſubdelegatos eſſe credi volumus? ille tametſi regalem offerrent dignitatem, non admiſit Ioan. VI. tametſi & regem proclamarent Luc. XIX. 38. non niſi magiſtrum ſe appellare perrexit, c. XXII. v. 11. Interrogatus vero *an eſſet*

rex?

Digitized by Google

rex? reſpondit, *regnum meum non eſt de hoc mundo*: regium ſuum thronum in coelis ſibi ſeruari certus. Cur non itidem nos? promiſſionem eiusdem throni, ſed non niſi poſtquam vicerimus, habentes Apoc. V. 21.

73. Certum itaque ſit, *eminentiam epiſcopalem non in eo ſitam, praedia poſſidere multa, ſplendere auro, cingi ſatellitio, vehi pilentis, aut geſtari lectica, veſtiri ſerico*, &c. *ſed eſſe intima pietate, plenumque diuinae lucis, cum zelo pro gloria Dei & Eccleſiae ſalute, debitaque rerum experientia, & priuati commodi eiuratione*: haec ſunt quae veri epiſcopi abſoluunt ideam. Externi vero characteres ſunt, *eſſe multum in labore & aerumna, in vigiliis, in fame & ſiti, in ieiuniis, & ſolicitum eſſe pro omnibus eccleſiis: cum infirmis item infirmari, alienis offendiculis vri*, 2. Cor. IX. *& ſic ſtigmata Chriſti corpore ſuo portare*, Gal. VI. 17. Atque ſi paralyticum (ſpiritualiter) habeat obuium, dicere: *aurum & argentum non habeo, ſed quod habeo hoc tibi do, in nomine Ieſu Chriſti ſurge* (de vanitatis & peccatorum lecto) *ambula in viis Chriſti* Act. III. Verbo, nihil terrenum ſapere (nam *qui terrena loquitur, terrenus eſt*, Ioan. III. 31.) ſed ſe eſſe legatum domini de coelo, viuificatoris omnium, verbo & opere oſtendere, 1. Cor. XV. 45. 47.

74. Quales epiſcopi, omnesque pro Chriſto legatione fungentes, ſi ſperandi ſunt, profecto mundanas illas appendices, dominia terreſtria, politicosque honores, tolli oportet. Illecebrae enim ſunt, qua profaniſſimi quique ineſcati dignitatibus Eccleſiaſticis ſeſe ingerunt, excluſis & extruſis melioribus. Vanum enim eſt quod Bellarminus ſcripſit, *ſedes Romana ſanctos aut accipit, aut facit.* *Verius* id alius retorſit: *malos aut accipere, aut facere* dicens. Tantum quippe ad faſtigium non poſſunt non adſpirare mundaniſſimi, ambitioſiſſimi, aſtutiſſimi quippe, per mille fraudes: aut ſicut e melioribus eo ſublimari contingit, difficile eſt ab ipſa immenſa excelſitate vertiginem non pati. Quod idem de omni armata pompa & opibus epiſcopalis ſedis dicendum eſt: illis aut ab ambitioſis, auaris, otioſis, delicatis occupari, aut poſtea tales reddere: quia dulcia haec venena (opum & honorum ſplendores) innoxie bibere non cuiusuis eſt.

75. Nemo cogitet: *Mendicus exprobat opes habentibus, quia ipſe non habet.* Tanto enim melius nebulam videt, qui extra nebulam eſt. Sed neque nos tam mendici eſſe poteramus, ſi modeſtia non obſtitiſſet, & veneni metus. *Excitauerant quippe apud nos etiam ſpiritus zeli quosdam, vt donatione ſatis lauta Eccleſiae noſtrae ſubueuire vellent in perpetuum* (in Morauia quidem *BB. de Z.* In Bohemia *Pr. de Roſenberg.*) Modus tantum quaerebatur, quo colore haec aliis quidem poſſidenda legarentur, reditus tamen antiſtitibus vnitatis redderentur. *Sed admiſſum non fuit:* tum quia occultari vix potuiſſet, publicatum vero inuidiam prouocaſſet; tum quia maiores noſtros, veſtigia terre-

Digitized by Google

terrebant, dum ſe quoque homines eſſe, abuti poſſe, recogitarent: maxime tamen propter interdictum Dei.

76. Det Deus apoſtolorum ſucceſſoribus apoſtolicum ſpiritum, vt nihil non apoſtolicum hic ſuaderi cognito, ſi forte de beneficiis ſuis aliter diſponere velit Eccleſia, nemo propterea aut tumultuari & mouere bellum (vt Mich. III. 5. dicitur) aut deſerere officium, animum inducat: potius tanto alacrius diuinae vocationis inſtare operi, quanto ſine ſarcina & pugnam, & opus quoduis, peragere facilius eſt. *Annôn Apoſtoli verbi potius diuini, quam menſarum, eſſe diſpenſatores* (inferiorum cura aliis demandata Act. VI.) *ſponte elegerunt*? Faciant ergo idem apoſtolorum imitatores theſaurorumque ſpiritualium, coeleſtium, aeternorum, ſe diſpenſatores eſſe millies pluris aeſtiment, quam terrenas ſuas ſub cura habere opes.

77. Non haec eo tendunt, vt fideles Chriſti ſerui praemiis & honore ſuo fraudentur: ſed vt aeque labores atque laborum praemia dignius aeſtimare ſciant, quam ſe ſcire oſtendunt, qui externis illis nimium inhiant, interna & æterna negligentius habendo. Liberaliter ſane ſeruis ſuis Deus veteri ſub foedere proſpexit: conſtituens illis *vt totus populus omnes prouentuum primitias, omnesque decimas, cum ſpontaneis praeterea oblationibus* (*omnem medullam olei, & vini, & frumenti, vt* loquitur ipſe Deus Num. XVIII. 12.) *deferrent.* Et tamen eos aliud quid ſublimius ſpectare iuſſit, *ego ſum pars tua & poſſesſio tua,* dicens, vers. 20. Populo vero eos *vt angelos ſuos haberi ac revereri* mandans, Mal. II. 7. Sciat ergo Chriſtianus quoque populus *legatis Dei & alimenta deberi,* Matth. X. 10. & *mercedem*, Luc. X. 7. & *venerationem tanquam angelis Dei, imo tanquam Chriſti Ieſu*, Gal. IV. 14. *cuius nomine legatione funguntur*, 2. Cor. V. 20. Quanta foret Eccleſiae beatitudo, ſi apoſtolica illa reuocari poſſent tempora!

78. *Veni Domine IESV; repara nos ad beneplacitum tuum! redde Eccleſiae tuae VNITATIS vincula? redde ORDINIS decorem! redde SCEPTRI tui venerationem! redde SPIRITVS feruorem, vt regnum Dei vim patiatur ſicut olim. Aut ſi vltimum ſeculum inemendabile eſt, tolle ſcenam mundi, & inchoa beata illa regna! vbi VNITAS erit ſine diſtractione, ORDO ſine confuſione, AMOR ſine intermisſione, & DEVS omnia in omnibus, in ſempiterna ſecula.*

AMEN!

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
Rerum et Verborum.

Vbi littera *H.* ſignificat *Hiſtoriam*, *R. Rationem ordinis*, *A. Annotationes*, *P. Paraeneſin*,

A.

ABſolutio. R. 37. A. 90.
A Laſco, Ioan. H. §. 98. 99.
Acoluthi. R. 13. 14. quomodo ordinentur. 23.
Adiaphora. R. p. 9.
Admonitiones mutuae. R. 53. 54.
Aediles eccleſiaſtici. R. 12.
Aegrotorum viſitatio. R. 39.
Agenda, v. Rituales libri.
Alumni Eccleſiae. R. 16. 17. (T)
Ambulatorias functiones Deus non inſtituit. A. 72. §. 3.
Amen totius Eccleſiae. R. 55. A. 90. §. 1. I. V.
Andreae. P. §. 41. 42.
Anglis cur haec potiſſimum dedicata. P. §. 1. 2. & 53. &c.
Ceremonias eorum ex papatu reliquas pontificii rident. ibid. 69.
Antiſtes, v. Epiſcopus.
Apap. P. §. 42.
Apologias ſcribendi ratio. A. 75. §. 3.
Archiepiſcopus. A. 74. (Y)
Argentinenſes theologi de inſtituenda Eccleſiaſtica diſciplina ſoliciti. H. §. 79.
Ariani (Itali) Euangelii curſum in Polonia interturbant. H. §. 98. &c.
Aaron Moſi rebellis, poenitens veniam accipit. P. §. 44.
Auditorum claſſes. R. 10.

B.

BAdius Heydelb. ad fratres legatus. H. §. 114.
Baptiſmatis forma. R. 33.
Bethlem Pragenſe templum. H. §. 25.
Bibliorum accuratiſſima editio. H. §. 117.
Bodenſteinii epiſtola. H. §. 85.
Bohemia a graecis conuerſi. H. §. 16. 17. a papa Rom. capti. 18. detrectant iugum ignotae linguae. 19. & clericorum coelibatum. 20. & communionem ſub vna. 21. & animantur ab exteris. 24. Papae primi aperte rebellant. 29. ad exterminium condemnantur. 32. defendunt ſe fortiter. 33. in concilio quatuor articulos eunincunt. 38. recipiuntur in gremium eccleſ. Rom. 39. Iterumque vexati. 44. prouocant ad eccleſiam graecam. 46. puniuntur a Ferdin. I. propter foedera cum principibus Germanis Lutheranis, 84. Impetrant a Maximiliano conſcientiarum libertatam. 118. & a Rudolpho conſiſtorium & academiam. 121. 122. vexantur denuo, ad deſperata vsque conſilia. 124. ſuccumbunt

Digitized by Google

bunt. §. 125. opprimunturque penitus. 126. & quidem ſuorum olim foederatorum ope. 127. non erecti ab illis quorum communem cauſſam tutati erant, *ibid.* nihil ergo illis reſtat niſi lachrymae. 128.

Boruſſia. Bohemos excipit. H. §. 85.

Bucerus. H. §. 79. P. §. 8.

Bulgari. H. §. 16.

C.

CAeſareo-Papatus, quid. P. §. 41.

Calix Coenae dominicae a papa ſublatus. H. §. 28. a Bohemis eripi non permiſſus. 22. 23. gladio & argumentis defenſus. 34. 38.

Calixtini ad papam reuerſi. 39. purioris religionis hoſtes. 40. 42. euanuerant ſub euangelii Luce. 123.

Caluini ad F.F. epiſtola. H. §. 80.

Catechetica concio. R. 31. 32.

Candidatorum miniſterii examen (vid. *Examen*) teſtimonium illis publice dari ſolitum. R. 24. §. 6. & A. 81.

Cantuum in eccleſiis FF. ratio. A. 86. ſq.

Ceremoniarum vſus. R. 20. §. 5. P. §. 69.

Chorepiſcopus, v. Conſenior.

Chriſtiani, populus diſcors. Par. §. 21. corruptiſſimus. 22. a paſtoribus ſuis deſerti. 23. a poteſtate ſeculari in ordinem redigendi. 24. aut a Deo atrociter puniendi. 25. 27. 28. quomodo reuocandi. 29. &c.

Chriſtianiſmi anima. P. §. 48.

Clauis regni Dei altera quibusdam eccleſiis amiſſa. P. §. 43.

Clericos non debere ſeculariter dominari. H. §. 38.

Coenam ſ. miniſtrandi forma. R. 36. ſeq.

Coetus ſacros agendi forma. R. 31. 32.

Compatres cur, & quomodo adhibentur. A. 88. (F)

Concionum prolixitas vitatur. R. 32.

Confirmationis ritus? (non ſacramentũ) cur retineatur. A. 89. 90. forma eius R. 35.

Confeſſio fratrum a Luthero edita. H. §. 76. & a Vergerio. 94. itemque Wittebergae. 110. & Geneuae (in confeſſionum harmonia.) 119.

Confeſſionis FF. ab aliis differentia. H. §. 11. teſtimonium de illa Zanchii. 111. Vrſini. 113.

Confeſſio ordinum Bohemiae prudenter conſcripta. H. §. 118. & ob id laudata. 119.

Conſenior quid. A. 76. officia eorum R. 18. 19. ordinatio. ibid.

Conſenſus eccleſ. res pulcra. R. 9. (D)

Conſiſtorium. R. 15. (P)

Conſtantini donatio. P. §. 68.

Conſultandi ordinatiſſima ratio. A. 79. 80.

Contentiones de maioritate. P. §. 14. 15. aliis nugis. 19.

Conuictus & exercitia clericorum. R. 44 - 48. inprimis obedientia. A. 91. & actiuitatis, *ibid.*

Cornu ad Lutherum legatus. H. §. 74.

D.

*DEpendentia aliorum ab aliis eccle*ſiae neceſſaria. A. 74. (X) Par.

Diaconi. R. 14. quomodo ordinentur. P. 23.

Dies feſti. R. 39. ſeqq. precum. 42.

Diſciplina eccleſiaſtica a FF. Boh. mox cum eccleſiae ſuae incunabulis fundata. H. §. 58. viſio neq; praeoſtenſa. 54. in Germanica reformatione neglecta. 75. 77. demumque

Digitized by Google

mumque vt thronus regnantis in eccleſia Chriſti deſiderata. §.79. a Io. Caluino in Gallicas Eccleſias introducta. 80. ſed in Germania fruſtra hucusque, anxie licet ab aliquot magnis theologis, poſtliminio reduci optata. 83. in eccl. Pol. & Lithuanicas difficulter quidem, tandem tamen recepta; ſuaſu Calvini 89. Muſculi. 90. Martyris. 91. Zanchii. 92. Vergerii. 94. a Laſco. 98. a turbatoribus monſtroſa erecta, ſub epiſcopis politicis. 99.

Diſciplinae ordo & gradus. R. Cap. VII.

Diſciplina ſuaue iugum Chriſti. An. 92. cui ſe omnes in vnitate ſponte ſubmittunt. R. 53. 54. quomodo peragenda. ibid.

Diſciplinae in eccleſiis neceſſitas. P. p. 35. quam ſeuera requiritur. ibid.

Dominicus dies totus ſanctificandus. R. 40. 41. & quomodo. ibid.

E.

ECcleſia quale corpus. P. §. 7. regnum Chriſte ſpirituale. 11.

Eccleſia aurora, luna, ſol, acies ordinanata, quo ſenſu. H. §. 16. adulta erit maxime vnita. 7. incrementa ſucceſſiua. 12.

Eccleſia grex, at non pecorum. A. 66. (E)

Eccleſiae notae. A. 64. (d)

Eccleſias eccleſiis vniri, ſalutare. H. §. 16. ordinis vinculis ligari optandum. R. 56. P. §. 31. 32. 33.

Editoris horum apologia. P. §. 13. 14.

Eleemoſynae. R. 44.

Eleemoſynarii. R. 11. 12.

Epiſcopus quid. R. 16. 17. an peculiaris miniſterii gradus. A. 71. officia epiſcopi apud FF. R. 17. a quo eligendi. A. 85. (Tt) an ritu peculiari ordinandi. 86. ordinationis ritus. Rat. 29. 30.

Epiſcopalis gradus vnde fratribus. H. §. 61. ne in abuſum veniat quid remedii. A. 73. R. 17.

Epiſcopi veri requiſita, & vocationis ſublimitas. P. §. 70. 77.

Eraſmus Roterd. claret. H. §. 70. teſtimonium fratribus Boh. priuatum dedit, publicum recuſauit, ibid. dedit tamen. 71. 72.

Euangelici non euangelici. P. §. 26.

Ex Euangelio diteſcendi ſtudium mercenarii character. P. §. 19.

Examen candidatorum triplex. R. 23. §. 2. tertium acerrimum. A. 81.

Examen iuniorum in eccleſia. R. 13. 32. & A. 88. (C)

Excommunicatio. R. 55.

F.

FAbricus capito. H. §. 80.

Feriari quid ſit. H. §. 53. 54.

Feſti dies. R. 39. ſeqq. H. §. 72.

Fratrum Bohemorum origo. H. §. 45. 47. 49. habitatio prima, 50. appellatio vnde. 51. perſequutio prima, 52. 53. 55. 56 diſperſi per montes & ſpeluncas, 57. conſtituunt inter ſe ordinem, 58. de paſtoribus eccleſiae ſoliciti, 59. inſtituunt miniſtrorum electionem, 60. eosque confirmandi poteſtatem epiſcopalem accipiunt a Valdenſibus, 61. cum quibus coaleſcere cupiunt, 62. inde quoq; Valdenſes dicti 63. In perſequutionibus incrementa ſumunt, 64. 65. mittunt quaeſitum puriores eccle

Digitized by Google

ſias, 66. canonem condunt de vitando in poſterũ ſchismate, 67. iterum ad Valdenſes in Italiam & Galliam mittunt, 68. & ad Erasmũ, 69. ad Lutherum aliquoties, 74. ad Bucerum & alios, 79. captiuantur & proſcribuntur, 84. in Pruſſiam, 85. fundant in Pol. maiore eccleſias, 86. 87. a proceribus probantur, 93. Ariani ſe illis potiſſimum opponunt, 89. 99. ſeqq. ſuperantur tamen, 103. fratrum moderata conſilia in conſenſum trium confeſſionum exiuerunt, 104. 105. de eccleſiis FF. teſtimonium Laſitii, 106. & Bezae, 107. fratres imperatori Maximiliano librum dedicantes eccleſiæ reformationem commendant, 108. protecti miraculoſe, 109. *ſapientes infantes* dicti Zanchio, 111. de ordine & diſciplina eccl. conſilium requiruntur ab Heydelbergenſibus, 112. ſeqq. Evangelicorum in Boh. confeſſioni ſubſcribunt, 118. ab iisdemque in commune regni conſiſtorium adſciſcuntur, 121. 122. cum iisdemque praecipitantur, 124. vt nonniſi diſperſae reliquiae ſuperſint, 126. &c. Hiſtorica haec narratio cur inſtituta, 130. 131. cur tributae aliunde laudes recitatae, 132. cur eccleſiae ſuae ordinem, in publicum edant, 133. & Par. §. 1. 4. laudatores eorum cur non falli videantur, 5. ſingularitas eorum non ſchisma, 6. Eccleſiaſticum eorum regimen omni politico regimini conuenit. P. 8.

Funerum ratio. R. 39.

G.

Gloriari in domino. A. 64. (e)

Gradus miniſterii, R. 13. (M) non per ſaltum conferendi A. 70.

Gregorius Vnitatis ſuaſor, H. §. 45. capitur & torquetur. 53. 54.

H.

Heydelbergenſes diſciplinam eccleſiaſticam molientes cũ fratribus conſilia communicant. H. §. 113. 114.

Hieronymus Pragenſ. H. §. 25.

Hus. H. §. 24. ſeq. libri eius. 28.

I.

Ianouius. H. §. 23.

Ieiuniorum ratio. R. p. 42.

Incipientes Chriſtiani. R. 10.

Increpationes mutuae. R. 54.

Indulgentias refutat Hus. H. §. 26. & Lutherus, 73.

Irreformabilitas eccleſiae ſub coelo non competit, A. 76. (Bb)

Iſrael (Georg.) H. §. 88.

L.

Anguetus. H. §. 116.

Latinitas an eccl. miniſtro neceſſaria. R. 13. & A. 69. (M)

Libros ſcribendi & edendi ratio. A. 75. (z) & pag. ib. §. 4.

Liſmaninus. H. §. 89.

Loci communes religionis in eccleſia tractandi. R. 32.

Lutherus exſurgit. H. 73. a fratribus animatur. 74. de reducenda eccleſiaſtica diſciplina monitus alienatur, 75. animum reſumit amicum, 76. de non introducta mox ab initio diſciplina dolet, 77. vltimo a FF. viſitatur, 81. vltimis litteris amicitiam teſtatur. 82. moritur: quae mortem eius

Digitized by Google

eius ſequuta, 83. eccleſe ſuae corruptionem viuus adhuvidit, P.

M.

M*Aiores a minoribus* anliquid diſcere habent. P.§.1 15.18.
Martyr (Petrus) de diſcipli̇a. H.§.91.
Maximilianus imperator ·hriſtianorum ſchismata deplor. H.§. 108. Eccleſiam reformare promptus, non poteſt ibid. euangelicis ſyncretismum permittit. 118.
Milticius ſe papae opponit H.§. 22.
Miniſterii ſcopus, praxis ·tae chriſtianae. H.§.111.114.
Miniſtrorum ordo. R. 12. ordin·tio, 23. inauguratio, 25. conuictus. Cap. IV.
Miniſterii publici ritus. R. Cp. III.
Moraui conuerſi. H.§.16.
Mundus ſemper vult decipi; etiam Eccleſiam ingreſſus. P. 17.
Muſculi de fratribus teſtimonium, H. §. 90.

N.

N*Auis* Eccleſiae ſumm periclitatur. P. §.27.28,
Neogamos copulandi form R. 33.
Nouitios recipiendi forma. R. 34. ſeqq.

O.

O*Bedientia* chriſtianismi fundamentum. A. 91. pr. P§.48.49.
Obligatio chriſtianorũ. A. 8. (H) & (I)
Oleuiani de Eccleſiis refomatis metus. H. §. 115. P.§.41.
Optatio vnitatis magnae ecleſiis. P.35.
Opera Dei procedunt gradatim, H. 10.
Orare pro omnibus omnium eſt. A. 92.
Ordo omnis a Deo, etiam pe homines inſtitutus. A. 62. obliga conſcientias. 63. vnitatis. R. 7. 8. & Cap. I.
Ordo domeſticus miniſtrorum. R. Cap. IV. Auditorum, Cap. V.
Ordinis clericorum. R. 12. A. 69.
Ordinis laus. R. 5. & A. 61. in ſpecie ordinis eccleſiaſtici. ibid. cum ſeqq.
Ordinis laudatores ſeruiunt Deo, turbatores, ſatanae. R. 63.
Ordo eccleſiaſticus fratrum apoſtolico ſimilis, H. §. 4.
Ordo eccleſiis qualis optandus. P. 39. 40.
Ordinatio miniſtrorum. R. Cap. XI.

P.

P*Apa eccleſiarum* Slauicarum inſidiator. H.§.17. Bohemos Cap. XVIII. vernaculae vſum eripere tentat. 19. & obtrudere clericorum coelibatũ. 20. & transſubſtantiationem, 21. ſq.
Papa Caeſareatus, P. §. 41.
Paſtorum ordinatio, R. p. 23. inauguratio, 25. electio, 27. & A. 84. 85. Eccleſiis praeſentatio, ibid. poteſtas in Eccleſia commiſſa. R. 28. 29.
Paritas miniſtrorum eccleſiae improbatur. A. 70. §.3.
Pecuniae quantum poſſidere liceat paſtori eccl. A. 81. §.7.
Perfecti Chriſtiani. R. 10.
Perſequutiones eccleſiam purgandi, non abolendi, vim habent. H. § 103.
Philoſophia, eccleſiae noxia. A. 69. (L)
Pii vere, *mundo* ſtulti, P. §. 7.
Poenitentium exercitia. R. 54.
Polemicorum ſcepticorum tragaedia. A. 75. §.2.
Poloni ad Chriſtum conuerſi. H.§. 16.
Polonia maior a FF. euangelium accepit. H.§.86. ſeqq.
Poloni proceres ad ſynodum in moraviam profecti. H. §. 93.

Digitized by Google

Praedicatio Verbi primaria miniſterii pars. R. 31. forma illius. 32. & A. 86. (A)
Praeparatio ad S. coenam. R. 36. ſeq.
Praeſes Vnitatis. R. 17.
Presbyteri (& presbyterae) R. 11. 68. (K)
Primaeuae Eccleſiae exempla. R. Cap. I. (C)
Procopius Holy. H. §. 37. 38.
Proficientes Chriſtiani. R. 10.
Proteſtantes vnde dicti. P. §. 26.
Proteſtatio contra eosdem. ibid.
Protoclyſias affectatio inter paſtores nulla. A. 78. (G g)
Pſalmi in eccleſia chriſtiana an ſoli decantandi, A. 86. ſeqq.

Q.

QVantitatis nulla efficacia. P. §. 20.

R.

REformatio eccleſiarum optima quaenam. H. §. 111.
Reformatione nunc omnibus chriſtianis quaſi opus. P. §. 30. &c.
Reformatores eccl. optantur. P. §. 50. norma eorum. 51. 52.
Regimen eccl. temperatum quale. P. §. 65. &c.
Reſpublica parua ordinata, P. §. 20.
Ritus, v. Ceremonia.
Rituales libri. R. 22. (Pp)
Rokyzan. H. §. 38. ſpe archiepiſcopatus allectus cauſſam prodit. ad papam oppugnandum redit, 41. aliosque conſiliis iuuat, 45. &c. inconſtans, 52 a piis deſeritur, 55. moritur. 64.
Rudolphus libertatum aſſertor. H. §. 121.

S.

SAcerdos quid. R. 12.
Sal diſciplinae. P. §. 45.
Schiſſelburgius. P. §. 41.
Senior. v. Epiſcopus.
Seniores cum conſenioribus in ſynodis cur primo compareant. A. 77. (Dd)
Sigismundus a papa dementatus Bohemos euertere quaeſiuit, ſed non potuit. H. §. 33.
Slauicae gentes. H. §. 13. ab apoſtolis conuerti coeptae, 14. ab Hieronymo auctae, 15. plene conuerſae, 16 omnes a vicinis ſibi graecis, 17. ſuperſtitionibus illorum infectae, 66. ſtatus earum modernus. 129.
Status regni Chriſti *Ration*. ſtatus non curat. P. 18.
Stiekna. H. §. 22
Suffragia ferendi ratio. A. 88.
Superattendens. Epiſcopus.
Superintendent an relinquenda vni perpetuo. A. 79. (8)
Supplicationes publicae. R. 42.
Synodorum ordo. Cap. II.
Synodales exhortationes, R. 13. A. 80. 81.

T.

TAbor ciuitas. H. §. 31.
Taboritae ſloſi. H. §. 35. oppugnantur a Calixtinis, 40 doloque ſuperantur, 43.
Templi dedicatio. R. 51.
Traditiones apoſtolicae. R. §. 11. (C)
Trichotomia theologiae. R. §. 1. & A. 65. (B)

V.

VNitas, rerum principium, medium, finis multitudinis baſis, vinculum, corona.
Vnitas fratrum vnde dicta, H. §. 51. A. 64. (c) fundator eius non vnus, *ibid.* an ſchisma, P. §. 6. corpus vere ſitum, 7. ita ſe politiae ſubmittit, vt eccleſiae libertatem non amittat, 9. corruptionum ipſe habet antidota, 9. cur aliis eccleſiis, vt minor maioribus, proponatur. 15. 16. 18. 19. 20.
Vnitas eccleſiarum magna optatur. P. §. 30 - 38.
Vſias rex ob vſurpatū ſacerdotium ponitur. P. 44.

V. ſeu W.

WAldenſes e Gallia diſperſi fratribus Bohemis epiſcopos crearunt. H. §. 61. in Auſtria perſecutionem paſſi, 62. a fratribus viſitantur in Italia & Gallia, 68. ipſique legatos in Bohemiam mittunt. 78.
Vergerius, H. §. 88. 94. ſeqq.
Wiclef ad Huſſum epiſtola. H. §. 24.
Viſitatio aegrotorum. R. 39. eccleſiarum. 49.

X.

XIanſenſis ſynodus, Arianorum machinationibus infamis. H. §. 99.

Z.

ZEratinii baronis laudatur iudicium. H. §. 116. & liberalitas. 117.
Zizca (Ioannes) H. §. 31. 33.

Digitized by Google